

under 2

QVÆSTIONES

SELECTÆ MORALES

ILL<sup>mi</sup> ET R<sup>mi</sup> D.

EPISCOPI

PLACENTINI.

*Per*  
*Dreya Sany*  
*de montes*

ILLM ET RMI DOM D. LUDOVICI

CRISPINI A BORGIA

EX ARCHIDIACONO

SAGVNTINO

ET PROPOSITO IN ECCLESIA VALENTINA  
ac in eisdem Civitate Academis Primario Theologice  
Institutionis Ordinarius, et ad Prae  
centinam primoniam a Canonicis ecclesiarum  
PARTO P... PONT. MAX  
pro Immaculatae Conceptionis causis, Oratoris destinatus

EPUS S. C. R. H. S.

SECRETARII MORALES

In quibus Novae alicujus doctrinae Illm & Rmi Dni JOHANNIS  
CARAMVELLIS EPISCOPI MISSIENSIS conseruatur  
Aliaque eiusdem generis ad eodem genere proposita diligenter

Disseruit pro maiori usque utilitate  
HANC PRIMA IN V. C. L. M. P. O. T.



L V C D V M L

Typis LAVRENTII ANISSON & IO BAPT. DEVERET

M. D. C. LXXII

CVM PRIVILEGIO IMPERIALI

ILL<sup>mi</sup> ET R<sup>mi</sup> DOM. D. LVDOVICI  
**CRESPINI A BORGIA,**  
EX ARCHIDIACONO  
SAGVNTINO,

ET PRÆPOSITO IN ECCLESIA VALENTINA,  
ac in eiusdem Ciuitatis Academia Primario Theologiæ  
Professore, atque Congregationis Oratorij Presbytero, AD  
EPISCOPATVM ORIOLIBASEM assumpti, inde ad PLACENTINVM promoti, atque à Catholico REGE PHILIPPO  
QVARTO ad ALEXANDRVM VII. PONT. MAX.  
pro Immaculatæ Conceptionis causa, Oratoris destinati.

**QVÆSTIONES**  
**SELECTÆ MORALES,**

In quibus Nouæ aliquæ doctrinæ Ill<sup>mi</sup> & R<sup>mi</sup> Dni **IOANNIS**  
**CARAMVELIS EPISCOPI MISSIENSIS** confutantur.

Aliquot etiam dubia ab eodem Ioanne proposita dissoluuntur.

*Disparitates pro multis casibus assignantur.*

**NUNC PRIMUM IN LVCEM PRODIT.**



*de la Libreria de l' Coll<sup>o</sup> de  
la Comp<sup>te</sup> de Soria*

**LVGDVNI,**

Sumptibus **LAVRENTII ANISSON & IO. BAPT. DEVENET.**

*M. DC. LVIII.*

**CVM PERMISSV SUPERIORVM.**

ILLI ET R. DOM. D. LUDOVICI

CRESPINI A BORGIA

EX ARCHIDIACONO

SAGVNTINO

ET PROPOSITO IN ECCLESIA VALENTINA

se in eadem Civitate Academiae Primario Theologiae  
Professore honorario et Episcopo

OPUSCULUM

EPISCOPALIS OMNINOGENAE ACADEMIAE  
CENTURVIAE PONTIFICIS ACADEMIAE REVERENDISSIMO

CVARTO IN ACADEMIA PONT. MAR.  
pro immaculate Conceptionis cultu Oratoris destinatum

EPISCOPALIS

SEPTUAGINTIDUAE

In quibus Novae alicujus doctrinae Illud & R. D. JOHANNIS  
CARAMVELLIS EPISCOPI MISSIENSIS consuetudo

Alicujus etiam doctrinae ab eodem locum propositae dissolutio

Disputationes pro multis casibus assignantur

HANC PRIMAM IN LUCEM PRODIT



L A G D V M

Sumptibus I. VALENTII ANISSON & IO. BAPT. DEBET.

M. D. C. LXXII

CVM PERMISSA SAEPIORVM



AD ILLUSTRISSIMUM  
D. D. CHRISTOPHORVM  
C R E S P I N V M  
DE VALDAVRA,

FRATREM MEVM GERMANVM  
Natu-maiorem, Amantissimum Regis Ca-  
tholici Consiliarium, ac in supremo Arago-  
niensi Senatu Vicecancellarium Dignissi-  
mum; nec non militaris Ordinis S. Georgij  
de Alfama Tessera insignitum eiusdemque  
Ordinis Clauicularium Fidelissimum & Ge-  
neralem Assessorem Prudentissimum.

EPISTOLA DEDICATORIA.

**M**ITTO ad te, Illustrissime Domine Frater-  
que colendissime, lucubrationes istas, mei  
muneris otia, quae sub tui nominis splendo-  
re felicius lucem aspicient. Omitto, lon-  
gam virtutum tuarum quae te laudabilem  
apud omnes (immo cunctis laudibus supe-  
riorem) reddunt, commemorare seriem, quo scriptores, vicissim,  
librorum

librorum suorum expetitam tutelam, persolvere Mæcenatibus suis consueverunt; quoniam nec tibi placitum, nec mihi necessarium fore arbitratus sum, ut libelli mei susciperes defensionem; utpote, qui tuum erga me, tot ab ipsa infantia exhibitis officijs, probatum patrocinium expertus, haud quam nouo hoc pignore indigerem, quemadmodum nec tua præstantia domestico testimonio. Verumtamen, cum cuncta opera mea, toto iuris, & rationis pondere, ad te insita propensione ferantur, unde mihi quidquid commodi, aut honoris natalus fuerim processit, iniuriam huic satis irrogasse viderer, si quod ius sanguinis concessit asilum, illi denegarem; & quo tendunt affectus, istud tametsi illis impar, opus abire non permitterem. Eat ergo in fraternæ gratitudinis obsequium; testetur omnibus, Te erga Fratrem tuum non solum Maiorinatu Fratris, verum etiam Magistri, Patroni, immo & Patris (Patre nostro in ipso vitæ nostræ limine, defuncto) munera subisse; meque tibi, non modo Minoris Fratris, sed discipuli, Clientuli Filijque titulis deuinctum scripturæ robore confirmet, atque perpetuo caractere perennet. Nam & mea me tellus dicet esse tuum. Vale.

Illustrissime Domine O. M. L. D. T.

Tuus obsequentissimusque Frater

L. EPISC. ORIOLENSIS.

AD



## AD LECTOREM.



ODVM Gordium, à Gordio Phrygiæ Rege implexum, eoque omine in Templo collocatum, vt Regio ornaretur diademate, qui nodum dissolueret, ense dissecuit Alexander. Quo facto Regnum ipse capessiuit, simulque probauit, armis potiusquam litteris Regna deberi. Nonnulli nescio an in Theologia Alexandri ingeniosa & Gordia dubia ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. D. Ioanne Caramuele orbi litterario proposita, non dilucidari à Theologis, sed proscindi à superioribus, districto prohibitionis gladio, voluere. At neque acquiritur more castrorum sapientiæ laurus, neque doctissimorum virorum, Catholicorumque scripta facilè proscribenda, sed perlegenda, semel, atque iterum reuoluenda, ac discutienda sunt, vt vel sic nos ipsorum sententiæ adharere, vel eos ad nostram trahere Theologica meliùs quam Delphica lauro redimiti valeamus. Hoc voto, hoc consilio quæ difficiliora mihi visa sunt ex his quæ eruditissimus Dominus in sua Theologia Morali & Fundamentali proposuit, disputanda selegi. Si resolutiones placuerint tibi meæ pie Lector, adiciam fortè alias, sin minus manum retraham, calamumque reponam. Vale.

L. EPISC. ORIOLENSIS.

APPRO

---

## APPROBATIO

*Domini, Domini Stephani Torregrossa Scholastici & Canon.  
Sanctæ Ecclesiæ Oriolensis, Sanctæ Inquisitionis Qualifica-  
toris, Sacrarum litterarum Primarij in eadem Ecclesia in-  
terpretis, ac in Academia Oriolana Theologiæ facultatis  
Doctoris & Censoris.*

**L**VSSV Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Domini  
Ludouici Crespini à Borgia Episcopi Oriolensis Dignif-  
simi, & Regiæ Catholicæ Maiestatis Prudentissimi Consiliarij,  
vidi, & qua potui accurata animaduersione perlegi doctissimas  
& acutissimas *Quæstiones Morales selectas*, nihilque in eis fidei  
Dogmatibus, nihil Christianis moribus inueni repugnans Quia  
potius pia omnia, & Catholica eruditione plena, ac veræ & au-  
tæ Theologiæ præsertim Moralis valida & securissima propu-  
gnacula, vt propterea ipsarum veritas quasi numquam formi-  
dare impugnationem posse censeatur. Sanè tanti operis melius  
laudatorem quam Censorem agerem; etenim non censuræ, sed  
laudis opus est, nec solùm prælo dignum sed minio accedre  
notandum arbitror. Oriolæ 4. Kal. Iulias Anno à Christo nate  
M. DC. LVI.

D. STEPHANVS TORREGROSSA.

APPRO

---

APPROBATIO DOCTORVM.

**H**OC opus inscriptum, *Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Domini Ludouici Crespini à Borgia Quaestiones selecta morales*, accuratè legimus nos infra scripti almæ facultatis Parisiensis Doctores, atque vt in lucem prodeat dignissimum iudicauimus, absque dispendio Fidei, & bonorum morum. Actum Lugduni die 29. Iulij 1658.

FR. STEPH. MOLIN Carmelita.  
FR. IOANNES ROBÉ.

---

L I C E N T I A.

**V**ILIS Doctorum approbationibus, Nos quoque censemus opus inscriptum, *Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Domini Ludouici Crespini à Borgia Quaestiones selecta Morales*, dignissimum esse quod in lucem prodeat, & idèd eius Editioni lubenter annuimus Lugduni die 14. Augusti 1658.

DE NEVF-VILLE Vic. Gen.

---

C O N S E N S V S.

**H**UNC librum, qui inscribitur, *Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Domini Crespini à Borgia*, &c. Typis mandari, & in lucem edi hac in vrbe sumptibus LAURENTII ANISSON, & IOAN. BAPTISTÆ DEVENET, Bibliopolarum Lugdunensium, ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 14 Augusti anno 1658.

VID AV.

---

P E R M I S S I O.

**V**ISO Procuratoris Regis consensu, hunc librum Typis mandari supradictis Lugdunensibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictum facultatem denuò excudat prohibemus. Lugduni die 18. Augusti anno 1658.

SEVE.

È SERIES



SERIES QVÆSTIONVM  
& Paragraphorum huius voluminis.

---

QVÆSTIO PRIMA.

**A**N Lex positiva Diuina distinguatur à lege Naturali,  
& aliqua prohibeat quia mala & opposita legi Na-  
turali. p.1

QVÆSTIO II.

<i>An Deus dispensare possit vel actu dispensauerit in lege Na- tura.</i>	p.23
§. 1. <i>De primo Præcepto.</i>	p.24
§. 2. <i>De secundo Præcepto.</i>	p.32
§. 3. <i>De tertio Præcepto.</i>	p.34
§. 4. <i>De quarto Præcepto.</i>	ibid.
§. 5. <i>De quinto Præcepto.</i>	p.40
§. 6. <i>De sexto Præcepto.</i>	p.43
§. 7. <i>De septimo Præcepto.</i>	p.44
§. 8. <i>De octauo Præcepto.</i>	p.46
§. 9. <i>De Nono &amp; decimo Præcepto.</i>	p.47
§. 10. <i>An sanctus Bernardus faueat sententia Caramuelis.</i>	p.48.

QVÆSTIO III.

*An si Deus fornicationem non interdixisset esset illa peccatum.*  
p.61.

QVÆSTIO IV.

*An si Deus non interdixisset Mollitiem esset mala.* p.91

QVÆSTIO V.

*An Mollities, Sodomia & Bestialitas sint peccata eiusdem speciei.* p.96

QVÆSTIO VI.

*De circumstantiis peccatorum in Confessione aperiendis.* p.123

§. 1. *De circumstantia Numeri.* p.124

§. 2. *De circumstantiis mutantibus speciem?* p.132

§. 3. *De actu externo.* p.144

QVÆSTIO VII.

*De his quæ censentur indirectè prohibita aliquo præcepto.* p.147

§. 1. *De actionibus occultis.* p.148

§. 2. *De observantia præcepti quoad modum.* p.160

§. 3. *De actionibus externis indirectè prohibitis.* p.164

QVÆSTIO VIII.

*Quando aut quomodo cessante fine legis cessare legem dicendum sit.* p.169

§. 1. *De librorum prohibitorum lectione.* p.173

§. 2. *De carniū Abstinentia.* p.178

§. 3. *De Matrimonio clandestino.* p.180

§. 4. *De Votis.* 181

§. 5. *Respondetur quæsitis Caramuelis.* p.190

QVÆSTIO IX.

*De electione duarum opinionū probabilium inter se pugnantium.* p.192

QVÆ

## QVÆSTIO X.

- Quando unica actione duobus præceptis satisfieri possit.* 213  
§. 1. *De annua Confessione & Communione.* ibid.  
§. 2. *De Confessione menstrua.* p.217  
§. 3. *An unica Officij diuini læctione duorum dierum obligationi satisfieri possit.* ibid.  
§. 4. *An unica Missæ auditione duorum dierum obligationi possit homo Catholicus satisfacere.* p.224  
§. 5. *An eadem actione duabus præcepti partibus satisfieri possit.* p.227

## QVÆSTIO XI.

- An restrictiones mentales sint concedenda.* p.231

## QVÆSTIO XII.

- An peccata dubia sint in Confessione aperienda.* p.241



# QVÆSTIONES

## SELECTÆ MORALES.

### QVÆSTIO PRIM A.

*An lex positiva diuina distinguatur à naturali,  
 & aliqua prohibeat, quia mala  
 & opposita legi naturali.*



P V D omnes Theologos, indubitabilis fuit pars affirmans, ideoque inualuit commune axioma: *Aliqua esse mala quia prohibita, alia prohibita quia mala.* Quòd non solum respectu legis positivæ humanæ, seu Angelicæ, verùm etiam respectu legis diuinæ positivæ à naturali & aternâ distinctæ, intellexerunt omnes

Nihilominus doctissimus Vir Ioannes Caramuel, identitatem iuris diuini positivi cum lege naturali tam acriter tam fortiter propugnat: vt delirium existimet inquirere, an dentur aliqua, quæ sint mala prout opponuntur legi naturali, independenter à lege positiva. Nam perinde esset (inquit) ac dubitare, an Petrus sit discursiuus, quia homo est, vel quia est animal rationale, idem est enim homo, quod animal rationale. Idem lex naturalis, quod ius positivum diuinum. Et qui hoc interrogat, Thomam & Scotum ignorat, quos alij scire solent sicut Pater

1.  
*Axioma apud omnes certum, quædam esse mala quia prohibita, quædam prohibita, quia mala.*

2.  
*Contrarium putat Caramuel, & delirium inquirere, an dentur mala opposita legi naturali independenter à positiva. Et qui hoc inquit,*

ignorare  
Thomam, &  
Scotum.

Si illud di-  
ceret Caramuel  
cõmiseret cõtra  
dictoria: idẽ  
enim sũt ius  
naturale &  
positiuum.

Hoc sapius  
inculcat.

Quæstio ce-  
lebris an  
actiones ma-  
la sint mala  
quia prohi-  
bita, an pro-  
hibita, quia  
mala.

Ante legem  
humanam,  
omnes qua  
cõtra Deca-  
logum mili-  
tant sũt ma-  
la. An ita sit  
ante omnem  
legẽ diuinã  
dubitatur.

& Aue. Caramuel autem, quia delirus nunquam fuit, nunquam excogitauit dicere, mollitiem, &c. esse peccatum, non quia opponitur legi naturali, sed quia opponitur iuri positivæ diuino: commiseret enim contradictoria, vt sunt, est peccatum, non quia opponitur legi naturali, sed quia opponitur legi naturali, cum idem sint lex naturalis, & ius positiuum. Sic ille in epistol. ad Bossium. Quod sapius tam in Theologia morali, quàm in fundamentali, inculcat, asserens nullam esse legem naturalem à positivæ diuina distinctam: ideoque nihil dari prohibitum, quia malum, sed omnia esse mala, quia prohibita. Vnde in Theologia fundament. fund. 12. sic scribit: Est hodie celebris in Europa illa quæstio, quæ inquit, *an actiones, quæ male dicuntur, prohibeantur quia male, an verò sint mala quia prohibita.* Ante omnem humanam prohibitionem omnes illas, quæ militant contra Decalogum esse malas, est certum. An & ipsæ malæ sint independentes ab omni lege diuina? Asserit Sanctus Thomas, asserunt Patres Dominicani, & omnes, qui Angelico Præceptori subscribunt. Negat Doctor subtilis, & negant cum illo Patres Franciscani, & Scotistæ omnes. Et ego, quia generosissimè de Deo meo sentio, Scotistis assentio: & ante positiuum Dei præceptum, nullum peccatum, aut culpam, mortalem aut venialem admitto. Sic ille.

3.

Affirmant  
S. Thom. &  
Thomistæ:  
negat Scotus  
& Scotistæ.  
Contrarium  
est certius;  
nam in sub-  
stantia con-  
ueniunt Sco-  
tistæ cum  
Thomistis.

Proh! Quàm crassâ ignorantia laboro, vel quantâ æquiuocatione laborat Caramuel! Vel linguam Latinam penitus ignoro, vel Caramuelis altam intelligentiam non pertingo. Contrarium omninò, semper tenuisse S. Thomam, didici, docui. Thomistæ enim sunt qui docent, nullâ lege existente nullum dari peccatum, nullâ, inquam, lege naturali & positivæ diuina. Scotistæ sunt, qui adhuc dato casu quod non esset lex diuina, concedunt dari peccatum, & malum morale. Vtrique legem naturalem & æternam à lege diuina positivæ distinguunt. Vtrique dari aliqua peccata, quæ talia sunt, quia legi naturali opponuntur, independentes à lege diuina positivæ, asserunt. Solùmque differunt in assignando numero eorum, quæ mala sunt, quia opponuntur legi naturali à positivæ distinctæ. Nam Thomistæ omnia quæ contra Decalogum militant, dicunt opo-  
poni

poni legi naturali, & esse peccata independenter à lege positiva. Scotista verò solùm ea quæ militant contra præcepta primæ tabulæ, & ex secunda, mendacium, quod contra octauum militat, aiunt esse opposita iuri naturali, & peccata independenter à iure positivo diuino. Quæ omnia sequentibus thesibus illustro, & probo

Prima, in sententia S. Thomæ, eiusque scholæ, lex naturalis distinguitur à lege positiva diuina. Secunda: dantur aliqua mala prohibita lege diuinâ positivâ, quia mala, & opposita legi naturali. Tertia, nullum daretur peccatum, si non daretur lex positiva & naturalis. Vel sic: nullum datur peccatum independenter à lege diuina, æterna, naturali aut positiva. Tres theses istæ simul positæ simul testimonio S. Thomæ probantur. Nam 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. sic habet: *Cum dicitur quod non omne peccatum idè est malum quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius positivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur, primò quidem in lege æterna, & secundariò in iudicatorio naturali rationis humane, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum. ex hoc enim quod est inordinatum iuri naturali repugnat.* Hæc S. Thom.

4.  
Patet in the-  
bus seqq.  
1. Lex natu-  
ralis à posi-  
tiva diuinâ  
distinguitur.  
2. Dantur  
actiones ma-  
la, prohibita  
quia male,  
& opposita  
legi natu-  
rali.  
3. Nulli da-  
retur pecca-  
tum, si non  
daretur lex  
naturalis  
positiva.  
Probatur ex  
S. Thom. ista  
Theses.

Ex quibus sic probo primam thesim. Si ius positivum & naturale, de quo S. Thomas loquitur, non distinguerentur, commiseret S. Doctor contradictoria, vt sunt: quando dicitur, quod non omne peccatum est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione per ius positivum: at si intelligatur de iure positivo (idem enim per te sunt, ius naturale & positivum) omne peccatum esset malum quia prohibitum. Absit à Sancto Thoma, quod à Caramuele æstimatur delirium. Ergo distinguit Sanctus Thomas ius positivum à iure naturali.

5.  
Probatur  
prima.  
S. Thom. di-  
stinguit ius  
naturale à  
diuina.

Iam te audio dicentem & ridentem fortè. Ius positivum humanum, concedo, ius verò diuinum positivum, nego: quia illud à iure diuino naturali distingui indubitatum est, hoc verò à naturali non distingui, est etiam certum. Sed contra, & meo iudicio euentissimè. Tum quia Sanctus Doctor contraponit ius positivum iuri naturali. Ergo nomine *iuris naturalis* non potest intelligere ius aliquod positivum, etiam diuinum. Nimis enim confusè fuisset locutus, & semper haberet locū illa cōtradictoria.

6.  
Solutio.  
Infringitur.

Roboratur  
Impugnatio.

Tum quia Sanctus Thomas, nomine *iuris positivi* humanum non intelligere, est ipsa luce meridianâ clariùs. Postea enim de lege humana loquitur ciuili, & Ecclesiastica, de quibus singillarim docet, & speciales articulos constituit, diuidens legem in æternam, diuinam, naturalem, & humanam. Naturalem esse vnam docet quæst. 94. art. 4. diuinam verò esse duplicem & diuisibilem, docet quæst. 91. art. 5. & quis dicet? ignorare Sanctum Thomam illos, qui dicunt legem naturalem à diuina positua distinguere.

7.  
Iterum confirmatur ex  
S. Thom.

Addo, quod 2. 2. q. 57. art. 2. expressissimè concedit, legem humanam, sicut & diuinam, diuidi posse in naturalem & posituam. Inquirens *an rectè diuidatur ius in naturale & posituum*. Obiicit pro parte negatiua contra affirmatiuam, quam sequitur Sanct. Doct. hoc argumentum 3. *Præterea, ius diuinum non est ius naturale cum excedat naturam humanã. Similiter etiam non est ius posituum, quia non immititur auctoritate humanã, sed auctoritate diuinã. Ergo inconuenienter diuiditur ius, per naturale & posituum*. Ad hoc argumentum sic respondet Doct. Angelic. *Ad tertium dicendum quod ius diuinum dicitur, quod diuinitus promulgatur*. Ecce quomodo necessariò distinguit ius diuinum à naturali. Nam ius naturale docet Sanctus, esse à natura inditum, non diuinitus promulgatum. loc. sup. cit. explicat mentem suam Sanctus Doctor. *Et hoc quidem (inquit) partim est de his, quæ sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet, partim autem de his, quæ sunt iusta institutione diuinã. Vnde etiam ius diuinum per hæc duo distingui potest sicut ius humanum*. Ergo ius diuinum apud S. Thom. Est ratio generica respectu iuris naturalis & positivi, & datur ius diuinum naturale, & ius diuinum posituum. Illud prohibet vel præcipit, quæ ex natura rei sunt iusta vel iniusta: & hoc illa, quæ ex iure naturali nec erant iusta, nec iniusta. Et vt omnis locus dubitationi occludatur, concludit: *Sunt enim in lege diuina quedam præcepta quia bona, & prohibita quia mala: quedam verò bona quia præcepta, & mala quia prohibita*. Nunc sic: nomine *legis diuina* Sanctus Doctor non intelligit legem humanam. Vel ergo intelligit legem naturalem, vel posituam à naturali distinctam. Si primum: ergo agnoscit aliqua prohibita lege naturali, quia mala:

la: Vnde falsò asseruit, quòd si referatur illud dictum ad legem naturalem, nullum est malum, nisi quia prohibitum. Quod non est dicendum de Sancto Doctore. Si intelligit legem positivam à naturali distinctam, habemus intentum.

Tandem vt nec leuissimus mihi remaneat scrupulus, transcribo, quæ scripsit prima secundæ, quæstione nonagesima prima, articulo quarto. Inquirat vtrum fuerit necessarium esse aliquam legem diuinam? Et inquit: *Respondeo dicendum quod præter legem naturalem & legem humanam necessarium fuit ad directionem humane vite habere legem diuinam.* Ecce quomodo nomine *legis naturalis* humanam non intelligit, nec nomine *diuine* naturalem? Quid clariùs.

Vnde probatur facilè Thesis 2. nam nihil clariùs potuit dici, in lege diuina sunt aliqua prohibita, quia mala: at ex S. Thoma respectu legis naturalis, nulla sunt mala nisi quia prohibita: ergo respectu legis positivæ à naturali distinctæ, supponuntur mala. Ergo mala quia opposita, legi naturali.

8.  
Probatur se-  
cunda The-  
sis.

Hinc tertia probata manet. Nam sanctus expressè docet quod si illud axioma referatur ad legem naturalem, omne peccatum est malum quia prohibitum. Ergo ablata lege naturali, nullum esset peccatum formaliter, & moraliter malum. Quod si adhuc velis Sanctum torquere, & persistere in tua sententia vel intelligentia, quod asseruerit etiam sublatâ lege naturali dari peccatum; insurgent contra te omnes Thomistæ. Nam Caiet. Medina, Alvarez, & omnes sentiunt ablata lege naturali nullum dari formaliter peccatum. Imò contra te ipsum loqueris. Nam per te, ius naturale & diuinum identificantur realiter non secus ac homo & animal rationale. Ergo sicut qui dicit ablato iure positivo non datur peccatum, intelligendus est etiam loqui de iure naturali, quia ablato positivo non potest dari naturale, vt tu ipse in epist. ad Bossi exclamas: sic ille, qui dicit ablato iure naturali non dari peccatum, supponitur loqui ablato iure positivo. Ergo cum Sanct. Thom. expressè dicat quòd ablata lege naturali non datur peccatum, dicit quòd ablata lege positiva non datur peccatum. Ergo si Caram hoc idem dicit & generosissimè de Deo sentit, etiam D. Thom. & Thomistæ dicentes hoc ipsum, generosissimè de Deo sentiunt. Et vel Scotistis

9.  
Probatur  
tertia.

Confirmatur  
ex Caieta-  
no, Medina,  
Aluare, &  
alijs S. Tho-  
ma sc̄tato-  
ribus.

*Caramuel  
vel dissentit  
Scotistis, &  
Thomistis  
consentit.*

consentiunt, vel Caram. Scotistis dissentit, & Thomistis consentit non agnoscantibus aliquod peccatum nisi quia prohibitum lege naturali. Omnia enim quæ sunt mala, ideò mala esse quia prohibita, lege naturali vel positivâ, & nullum esse malum si non est prohibitum lege positivâ aut naturali. Sunt propositiones S. Thomæ, totiusque Thomisticæ scholæ. Et qui hoc negat Thomam omninò ignorat, eiusque sectatores non legisse videtur. Ergo si ignorat Thomam, qui distinguit legem positivam à naturali, ignorat Thomam qui ait Thomam & Thomistas affirmare, dari aliquod peccatum independentem à lege naturali.

10.

*Doctrina  
Alvaris,  
quod nullum  
datur peccatum,  
nisi  
prohibitum  
lege naturali,  
vel æterna.*

Legi Didacum Aluarem in 1.2. quæst. 71. art. 6. disp. 130. vbi sic inquit. *Vtrum omne peccatum ideò sit malum quia prohibitum lege naturali vel æterna?* Prosequitur. Variæ sunt DD. sententiæ. Prima est Scoti in 3. dist. 37. quæst. vnic. vbi tenet, quædam esse peccata ita intrinsecè mala, vt ante omnem actum voluntatis Dei prohibentis illa, & ante omnem legem æternam intelligantur esse peccata. Sicut odium Dei, blasphemia, &c. alia verò vt furtum, homicidium, &c. solùm esse peccata quia prohibita lege naturali & æterna. Eandem sententiam sequitur Ricard. ead. dist. quæst. . art. 5. Gabr. q. vnic. art. 2. & Durand. in 1. dist. 47. quæst. 4. & post alia.

Quarta sententia est S. Thomæ in articulo, quòd scilicet omne peccatum ideò est malum morale, quia prohibitum lege naturali vel æternâ. Idem sentit S. Bonavent. in 2. dist. 33. dub. 2. Ergo ex sententia celeberrimi Thomistæ, S. Doct. est qui independentem à lege naturali nullum dari peccatum propugnat, & Scotus qui asserit adhuc sublata lege naturali, dari aliquod peccatum. Omni enim sublato actu diuinæ voluntatis, ait, Scorum sentire, dari actum intrinsecè malum.

Quid verò vel quomodo intelligat Alvarez, S. Thomæ sententiam audi. 1. Conclusio est, si nulla esset lex naturalis neque æterna, nullum esset peccatum propriè & formaliter. 2. etiam si nulla esset lex naturalis & æterna, adhuc odium Dei, homicidium, mendacium, &c. Essent mala & disconuenientia naturæ rationali. Et his duabus conclusionibus completi veram mentem S. Thomæ ait, quam postea vberius explicat. Ergo iste grauisissimus Doctor potius videtur fundamenta præbere. doctrinæ

Caramuel

Caram. posito enim quod concedit ea omnia non stante lege naturali vel æterna non fore peccata, fore tamen contraria naturæ rationali, videtur concedere, fore mala naturalia, seu Philosophicè, non moralia, quod ipse Caramuel docet sæpissimè.

In quem sensum videtur inclinasse Medina, cum eodem art. breuiter tractans hanc quæstionem occasione definitionis peccati traditæ ab Augustino, dictum factum, &c. contra legem Dei, ait: Hanc difficultatem explicat D. Thom. ad 4. & statim: Itaque tunc ( id est nullâ datâ lege naturali aut æternâ ) adulterium si non prohiberetur lege, esset veluti peccatum naturæ & monstrum, quia non corresponderet rectæ rationi: at propriè peccatum & malum morale non esset, quia vbi non est lex nec præuaricatio, vt dicit D. Paulus.

Idem probatur ex Gregorio Martinez Segouienfi Ordinis Prædicatorum qui in quæst. 71. 1 2. art. 6. dub. 2. has ponit conclusiones. Prima, de facto certum est omne peccatum esse contra aliquam legem. Secunda, si lex æterna non esset in se, neque in aliqua eius participatione, nullus actus posset, esse peccatum. Tertia, si per impossibile, esset ratio humana & lex naturalis non existente lege æternâ & regulâ diuina, actus contra naturalem rationem esset peccatum. Quarta, si esset lex æterna, & diuina non autem lex naturalis & ratio humana, actus contrarius tali legi diuinæ verè esset peccatum, non tamen imputaretur homini per accidens. Quinta, omni lege ablata naturali & diuina & æterna; actus non solum non esset peccatum, sed nec etiam malum moraliter nec naturaliter, nec esset iniquitas. Hanc conclusionem tenent communiter Thomistæ; & citat Medinam, Zumelem, Curielem, Sotum, Almain. Victoriam, Molinam, Salas, Lorcam.

Rogo an isti DD. sint verissimi Thomistæ? an dicant quod sublata lege naturali nullum datur peccatum? Et cum hæc negari non possint, non mirari non possum quod toties Vir doctissimus nobis velit persuadere, esse Sancti Thomæ & omnium qui ei subscribunt, sententiam, quæ asserit, dari aliqua peccata independentem ab omni lege diuina, comprehendendo nomine legis diuinæ legem naturalem siue cum positua identificetur, siue non.

11.

12.

*Theses Gregorij Martinezi.*

13.

*DD. cit. sunt verissimi Thomistæ & d. cent. contrariū, quod illis imputat Caramuel.*

14. *Probantur tres Theses ex sententia Scoti.* Dico secundò, in sententia Scoti, lex diuina positua libera distinguitur à lege naturali. Dantur aliqua mala moraliter, independenter ab omni lege positua Dei & prout opponuntur legi naturali. Ergo non est Scotus, qui independenter ab omni lege diuina libera negat, sed asserit dari peccatum, nec est qui identificat legem naturalem cum positua.

*Scotus concedit dari peccatum independenter ab omni lege etiam naturali.* Probo vtramque partem conclusionis seu assumpti. Primò ex sup. cit. text. ab Aliare, quo attestante docet Scotus, quædam esse peccata ita intrinsicè mala vt ante omnem actum voluntatis Dei prohibentis illa, & ante omnem legem æternam intelligantur esse peccata.

15. *Verba Scoti.* Audiamus Scotum, ipse nobis suam sententiam aperiat d. 37. 3. sent. sic scribit. *Circa istam distinctionem 37. in qua Magister agit de præceptis, queritur vnum; vtrum omnia præcepta Decalogi sint de lege natura.* Ridicula quæstio si legem Decalogi & Naturæ non distingueret, esset enim idem ac dicere, vtrum omnia præcepta Decalogi sint de lege Decalogi. Vel an omnia quæ sunt de lege naturæ sint de lege naturæ. Postea tres ponit sententias. Primam absolutè affirmantem. Secundam absolutè negantem. Tertiam dicit non explicare quæstionem, quia reduplicatiuè docet actum in quantum inordinatum non posse fieri ordinatum, & tandem suam proferens mentem asserit ita. *Ad quæstionem igitur dico quod aliqua possunt dici esse de iure natura dupliciter. Vno modo tanquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis, & hæc dicuntur esse strictissimè de iure natura. Et rationes primæ opinionis probant quòd in talibus non potest esse dispensatio. Quas concedo. Concedit igitur Doctor subtilis, aliqua esse de iure naturæ strictissimè, in quibus non potest esse dispensatio quia sunt conclusiones necessariae. Vnde ista lex naturæ iuxta Scotum non est lex libera Dei. Quæ autem sint de lege naturæ strictè explicat, negans præcepta secundæ tabulæ, esse talia, affirmans verò de præceptis primæ tabulæ, his formalibus verbis. *De præceptis autem primæ tabulæ secus est, quia illa immediatè respiciunt Deum pro obiecto. Duo quidem prima, si intelligantur esse tantum negatiua Primum, non habebis Deos alienos. Secundum non assumes nomen Dei tui in vanum, id est, non facies Deo tuo irreuerentiam,**

*Distinguit Scotus duplicem legem naturæ strictam, & latam.*

*Præcepta secundæ tabulæ non sūt de lege naturæ strictè excepta decalogo.*

*ista sunt strictè de lege natura, quia sequitur necessariò, si est Deus, est amandus ut Deus, & quod nihil aliud est colendum tanquam Deus, & quod Deo non est facienda irreuerentia, & per consequens in istis non poterit Deus dispensare ut aliquis possit licitè facere oppositum talis prohibiti.* Ecce Scotum asserentem aliqua esse ita intrinsecè illicita, ut Deus non possit dispensare ut sint licita. *Ut licitè ( inquit ) possit aliquis facere oppositum.* Ecce concedit legem natura necessariam, quam Deus non potest non ferre aut reuocare. Dispensare enim, iuxta Scotum, est legem reuocare aut declarare non obligare. sup. §. neutrum ait, posse Deum facere cum negat posse dispensare. At lex quæ reuocari à Deo non potest, non est Decalogus, quia per te Decalogus potest à Deo reuocari. Ergo concedit Scotus legem natura distinctam à lege Decalogi libera, cum concedit legem natura à Deo irreuocabilem. Hæc mihi ita clara sunt, ut pluribus verbis non indigeant.

*Præcepta prima tabula sunt de lege natura stricta.*

*Lex natura est Deo necessaria & indispensabilis.*

Audiuimus Scotum, audiamus aliquos ex eius discipulis. R.P. à Felice in tentatiuis Complutensib. tom. 2. tentat. de peccat. sic inquit. An omne peccatum sit malum quia prohibitum aliqua lege? Pro resolutione sic definit legem naturalem. *Lex naturalis est quæ à dictamine rectæ rationis præfigitur in rebus agendis & fugiendis.* Sic positiuam. *Lex diuina est quoddam præceptum quod ad homines tulit Deus ipse tanquam huius legis author.* Eruntne possibile quod iste Scotista author definitione tam diuersa legem diuinam & naturalem diffiniens, sentiat idem omninò esse legem naturalem ac diuinam? Supponit postea de facto ea quæ lege naturali sunt mala esse prohibita lege diuina positiua. Si non distingueret vnã ab alia nugatoria diceret. Nam diceret de facto omnia quæ lege naturali sunt prohibita esse prohibita lege naturali, si hæc & diuina idem sunt.

16.

*Stabilitur ex doctrina Scotistarum nostrum assumptum.*

P. à Felice.

*Distinguit legem naturalem à positiua diuina.*

Hoc posito sic ponit quætionem. *An aliqua peccata quæ sunt contra legem naturalem ut odium Dei mendacium, &c. sint mala ex eo quod sint prohibita à Deo, an verò eodem modo essent mala etiam si non essent prohibita à Deo?* Ergo prohibitionem Dei à lege naturali distinguit Complutensis Doctor Scotista, quia supponit esse contra legem naturalem, & non esse prohibita à Deo. Et ut sic inquit, an sint mala eodem pacto hoc est mora-

17.

*P. à Felice ponit quætionem, an odium Dei &c. sint mala, quia à Deo prohibita, an quia opposita legi naturali.*

liter & Theologicè. Ad quod dubium affirmatiuè respondet cum Scoto & omnibus Scotistis. Scotum etiam Suarez, Vasquez, & alij omnes qui hanc quæstionem exagitarunt pro sententia affirmatiua referunt. Ergo in via Scotistica non est dubitabile legem naturalem à positiua distingui. Tum & aliqua esse mala quia legi naturali opposita & prohibita à Deo, lege positiuâ.

18.

Confirmatur  
ex Thesibus  
à Caram.  
adductis, ex  
Thesi.

Confirmatur hæc omnia, ex thesibus ipsis, quas producit Caramuel pro suo sensu confirmando. Nam vel cæcutio, vel refragantur Caramuel. nobisque suffragantur. Producit itaque theses Louanij à PP. Franciscanis in Comitibus Prouincialibus propugnatas, quarum thesium erat 5. *Cætera præcepta secundæ tabulæ excepto illo quod vetat mendacium sunt tantum legis naturalis largè: adeoque in rigore iuris positiui Deus dispensare potest.* Quis non miretur virum Theologum his verbis distinctionem legis naturalis à positiua clarissimè continentibus identitatem ab Scotistis asseri velle. arguo 1. præcepta secundæ tabulæ excepto illo quod vetat mendacium sunt legis naturalis largè & iuris positiui rigorosè. At euidentis est quod si essent idem ius positiuum & naturale non essent, largè iuris naturalis, sed rigorosè sicut iuris positiui. Ergo ius positiuum ad quod pertinent rigorosè, & ius naturale ad quod non pertinent rigorosè, sed largè, sunt distincta iuxta thesim Scotisticam; aliàs contradictoria commiseret, scilicet *sunt rigorosè iuris positiui, non sunt rigorosè iuris positiui.* Si hoc idem est quod naturale. 2. arguo, sic. In his quæ non sunt in rigore iuris positiui Deus dispensare potest inquit thesis. Ergo supponit non posse in his quæ sunt in rigore, & non largè iuris naturalis. Ergo necessariò distinguit ius vtrumque. Nam ius in quo Deus dispensare potest nequit esse illudmet in quo dispensare non potest: posse enim & non posse sunt contradictoria respectu eiusdem iuris.

19.

Ex Thesi vigesima.

Quod confirmat thesis 20. *Aliqua natura lex complectitur materiam absolutè necessariam aut contrariam nature rationali, alia non item. Hæc à solo Deo, à nullo illa dispensabilis.* Sic argumentor. Datur apud Scotistas aliqua naturæ lex continens materiam necessariam & indispensabilem à Deo. Atqui nulla est lex positiua diuina quæ à Deo dispensabilis non sit per te, cum

fit actus liber Dei. Ergo lex positiva à naturali stricta & continente materiam necessariam, distincta esse debet iuxta Scotistas. Præterea, thesis, duas esse leges naturales concedit, aliam dispensabilem à Deo, aliam indispensabilem. Ergo concedit esse aliquid quod independenter à lege dispensabili à Deo malum sit quatenus oppositum tali legi. Est enim materia talis legis omninò indispensabilis & necessaria ut assertio tenet.

Conceditur  
lex à Deo  
dispensabilis,  
alia indispensabilis.

Confirmatur ex alia thesi Scotistarum sic asserente apud eundem Caramuel. *Ex præceptis Decalogi duo priora prima tabula si intelligantur esse tantum negatiua sunt legis naturalis strictæ. De tertio præcepto videlicet sanctificatione Sabbati quatenus cultum Dei positivum præcipit, dubitat Scotus, & nos cum illo.* Sic Scotistæ. Unde ego. Duo præcepta esse de iure naturæ certum est, & de tertio dubitatur. At non potest dubitari, pertinere strictè ad aliquam legem diuinam. Ergo datur lex positiva Dei distincta à lege naturali. Aliàs malè dubitat Scotus, & Scotistæ cum illo de tertio præcepto. Maior est thesis ipsa. Minor est certa: nam si non esset certò alicuius legis non esset certò obligatorium. At hæreticum est, asserere tertium præceptum non obligare ex vi legis diuinæ: ergo lex ad quam certò pertinet tertium præceptum, est distincta à lege ad quam dubitatur an pertineat. At lex de qua dubitatur est lex naturalis stricta, & lex ad quam pertinet, lex positiva Dei: Ergo hæ duæ leges distinguuntur.

20.

Roboratur  
ex alia The-  
si.

Nec his obstant aliæ theses, quæ primâ facie videntur favere Caramueli nam vel sibi ipsis contrariæ sunt vel nostram doctrinam firmant. Nona thesis erat. *Naturalis lex non est ipsa natura, sed actus diuinæ voluntatis, quo, per impossibile sublato, nullum restat peccatum contra talem legem.* Sexta assererat. *Et si implicet hominem cum usu liberi arbitrii creari, quin etiam præfixam sibi habeat legem naturalem; si tamen per impossibile Deus non præcepisset ea quæ sunt legis naturalis, nullum committeretur peccatum in materia talis legis, licet sciret, quis se agere contra naturalem honestatem.* Ex quibus posset inferri. Ergo independenter à lege, quæ est actus diuinæ voluntatis, nullum datur peccatum in sententia Scotistarum. Sed ex ipso contextu patet, nonam thesim contra Thomistas vel alios tantum asserere legem naturalem non esse actum intellectus, sed voluntatis præ-

21.

Non obstant  
aliæ Theses,  
quæ à prima  
facie videntur  
contrariæ.

scindendo ab eo, an sit actus liber vel non. Et ex illa potius inferri assertum Thomistarum: nam ablatâ per impossibile lege naturali etiam Thomistæ asserunt nullum dari peccatum. Vnde assumptum nostrum probatur, scilicet utrosque asserere ablatâ lege naturali (siue hæc in actu voluntatis, siue in actu intellectus consistat, siue actus ille voluntatis sit liber siue necessarius) non dari peccatum vt supra dicebamus.

Sexta Thesis confirmat distinctionem legis naturalis à positivâ.

Vnde, sexta Thesis etiam confirmat distinctionem legis naturalis à positivâ. Nam expressè supponit implicare hominem à Deo creari, quin habeat præfixam legem naturalem. Et hoc stante, ponit per impossibile quod Deus non præcepisset ea quæ sunt legis naturalis. At hæc suppositio esset implicatoria si lex naturalis à lege Dei præceptivâ positivâ non distingueretur: poneret enim si per impossibile daretur lex naturalis, & non daretur lex naturalis. Ergo lex naturalis non est lex diuina positivâ, quia illa supponitur, esse, hæc per impossibile non existente.

22.  
Roboratur  
discursus.

Nec parùm confirmant utriusque legis distinctionem verba illa, *si per impossibile Deus non præcepisset, ea quæ sunt legis naturalis*. Nam si lex naturalis est ipsum præceptum positivum Dei, quomodo est intelligibile illud, *si Deus non præcepisset ea quæ sunt iuris naturalis*? Nam nõ possunt esse aliqua iuris naturalis in sententia Scotistarum provt à Caram. intellecta, nisi Deo præcipiente. Vnde esset idem ac dicere: si Deus non præcepisset lege naturali, ea quæ præcepisset lege naturali. Vel si per impossibile stante lege naturali non daretur lex naturalis. Sicut est impossibile vel inintelligibile suppositio, si per impossibile non daretur animal rationale & daretur homo. Idem est enim homo quod animal rationale. Vnde esset idem ac dicere, si per impossibile daretur homo, & non daretur homo.

23.

Nec obstat quod postea dicant, *nullum daretur peccatum in materia talis legis*. Quia his verbis solum sumunt peccatum quatenus Deo oppositum. Et certum est quod dato illo impossibili, scilicet, quod non daretur lex diuina naturalis, non daretur peccatum contra Deum, non enim possunt intelligi de lege libera: quia ad supponendum hoc, non erat necessarium supponere per impossibile: est enim possibile ex se; & solum ex suppositione quod Deus decreto absoluto efficaci legem positivam tulerit,

tulerit, est impossibile quod talis lex non detur. Immò in sententia Caram. non ita absolutè tulit, illam, Deus, vt non possit de facto eam reuocare. Probat enim latissimè in ea de facto aliquando dispensasse vel derogasse, & totam posse reuocari, vt sequenti quæstione videbimus. Quod si velis esse malum naturale, & contra naturam, non morale, mirabiliter identificabis Scotistas cum Thomistis; nam vt vidimus isti etiam dicunt, quod sublata lege naturali diuinâ si supponatur lex naturalis in homine, peccatum tunc esset monstrum naturæ non formaliter peccatum nec malum morale.

Relinquitur ergo tam Thomistas, quam Scotistas distinguere legem naturalem à positiua: assererèque hac sublata & illa remanente, siue per impossibile, siue per possibile dari aliqua quæ sunt mala quia illi opposita. At vtraque sublatâ nullum dari peccatum nec malum morale. Quod si alteros dicis asserere quod sublatâ lege naturali quæ consistat in libero actu Dei dantur aliqua intrinsecè mala, hi sunt Scotistæ; qui expressissimè docent dari aliquam legem naturalem continentem materiam indispensabilem à Deo, & quæ etiam Deo, eam, non prohibente positiuè esset mala, & opposita legi naturali strictè, & indispensabilis à Deo; vt patet ex allatis thesibus vbi expressè asseritur & propugnatur aliqua lex naturalis à Deo indispensabilis.

Tandem nunquam fuisse Theologorum concordem sententiam, legem naturalem esse actum Dei liberum, sed aliquid ab eo distinctum, debet Caram. concedere velit nolit. Nam inquirens lib. 2. Theolog. mor. cap. 3. disput. 1. art. 2. in quo consistat lex naturalis moralis, primò omittit vt improbabilem opinionem asserentium totum hominem esse naturæ legem; & postea, vt probabiles refert sequentes sententias. Prima, asserit animam rationalem quæ potentiam passiuam Physicam, vel actiuam, vel quæ formam, esse legem naturalem Secunda, asserit eandem legem naturalem consistere in humana natura, quæ subiectum & fundamentum honestatis, & hanc esse P. Vasq. tertia, eandem legem in dictamine rationali consistere Et pro hac citat Abulensem, Sotum, Vigerium, & fatetur fauere S. Thomam I 2. q. 90. art. 1. q. 94. art. 1. & 2. & in 4. dist. 33. q. 1. art. 1. eamque sequuntur doctissimi iurisperiti. Quarra, ait naturalem

24.  
*Conueniunt  
Scotista cum  
Thomistis.*

25.  
*Non fuit  
Theologorū  
concordia sententia legem  
naturalem  
esse actū Dei  
liberum.*

*Prima sententia.*

*Secunda sententia P. Vasquez.*

*Tertia Abulensis, Soti, Vigner. fauet S. Thomam.*

Quaestio sen-  
tentia.  
S. Caramue-  
lensis.

legem esse naturam humanam quâ volitivam. Et tandem ponit suam sententiam asserentē consistere in præcepto Dei positivo. Sic discuro. Præcitatae sententiæ, Doctorisque illas sustinentes non possunt negare legem Dei positivam liberam, debere consistere in libero Dei decreto seu actu voluntatis. At isti omnes docent, legem naturalem non consistere in decreto Dei libero, aliàs malè refellerentur à Caramuele, nec citarentur pro contraria sibi sententia. Ergo distinguunt illi omnes legem naturalem à lege positiva Dei; at illi omnes non ignorabant S. Thomam: ergo non ignorat Sanct. Thomam, qui non identificat legem naturalem cum positiva.

26.

Probatur  
asseritio no-  
stra ex Pau-  
lo.

Probatur assertio nostra ex Paulo ad Rom. 2. *Quicumque sine lege peccaverunt sine lege peribunt, & quicumque in lege peccaverunt per legem iudicabuntur.* Sic arguo. Paulus asserit perituros, qui sine lege peccaverunt, non secus ac iudicandos esse illos qui peccaverunt in lege. Sed illa lex quâ iudicandi sunt qui in lege peccaverunt, & sine qua alij qui sine lege peribunt, peccaverunt, est lex positiva. Ergo independenter à lege positiva datur peccatum, ratione cuius peribunt illi qui sine lege peccaverunt. Hoc autem perire: est in æternum puniri, quod est pœna peccati Theologici. Ergo datur peccatum Theologicum independenter à lege positiva, atque adedò provt oppositum naturali.

Responso Ca-  
ramuelis in-  
fingitur.

Respondet Caramuel. primò contineri his verbis pœnam malæ conscientia. Bene. Ergo datur mala conscientia & pœna illi correspondens independenter à lege positiva. At neque mala conscientia est mala, nisi ob culpam moralem, neque pœna malæ conscientia potest esse pœna nisi supponat culpam: Ergo datur culpa moralis, independenter à lege positiva. Deinde illa verba Pauli *sine lege peribunt* non significant solam pœnam malæ conscientia. Perire enim in Scriptura, pœnam significat à superiore inflictam iuxta illud Exodi 12. *Quicumque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel.* Levit 7. *Anima polluta, &c. peribit de populis suis.* Ergo ruit solutio.

27.

Secundò Respondet Caramuel illa verba. *Sine lege peccaverunt*, non intelligi de lege divina, sed humana. Ita vt sensus sit: qui sine lege humana vel civili peccaverunt, sine lege humana peribunt

peribunt, quia peccauerunt in lege diuina. Qui verò in lege humana peccauerunt secundum eandem legem punientur. Notabilis paraphrasis & satis libera. Paulum enim loqui de lege diuina est concors Sanctorum PP. & sacrorum Interpretum sententia. Qui omnes (nullo excepto) per illa verba, *quicumque sine lege peccauerunt*, Gentiles, & per illos qui in lege, Iudæos, qui legem à Deo acceperunt significari, vnanimi consensu docuerunt. At neque caruerunt Gentiles lege humanâ, & Iudæis fuit lata lex diuina: Ergo cum Paulus dicit, eos, qui sine lege peccauerunt perituros, intelligitur, sine lege diuina libera Iudæis lata, & cum dicit eos qui in lege peccauerunt secundum legem esse puniendos de lege diuina, intelligendus est.

*Explicantur  
verba Pauli.*

Deinde lex humana præcisè sumpta non est sufficiens, vt ille qui eam violat peccare dicatur, vt ipsemet Caramuel confitetur, Nisi enim lex diuina præciperet vt legislatoribus obediremus violatio legis humanæ peccatum non esset. At Paulus expressè ait eos qui in lege peccauerunt puniendos vt peccatores. Ergo lex de qua loquitur, humana non est sed diuina.

*Lex humana  
præcisè nō est  
sufficiens vt  
constituat  
peccatū sine  
lege diuina.*

Confirmatur ex his quæ Apostolus subdit. *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ sunt legis faciunt eiusmodi legem, non habentes sibi ipsi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Doceri vellem, quinam sint illi qui legem non habent, quique faciunt ea quæ legis sunt. Et cuius legis opera faciunt, quæve lege careant? Euidens est ea opera ab illis fieri quæ sunt illius legis quæ carent, eaque facere non aliquæ lege positiuam sed naturali. Ait enim Apostolus *naturaliter*, id est natura duce faciunt opera legis. Non profectò naturali, quia naturali non carent, sunt enim homines rationales & naturâ duce feruntur: ergo positiuæ legis opera naturaliter faciunt non habentes legem positiuam. Ergo dantur naturalia opera moraliter bona independenter à lege positiuam: & illis opposita erunt etiam naturalia opera moraliter mala.

28.

*Confirmatur  
ex eodem  
Apostolo.*

Sed audiamus Caramuelem, docentem, nos verum verborum Pauli sensum sequenti paraphrasi. Gentes quæ legem non habent, id est quæ leges humanas non habent diuinæ voluntatis absolutæ legislatricis indices naturâ duce ea faciunt: quia lex naturalis moralis indicit ea, quæ humana indicere deberet. Quomiam

29.

*Confirmatio  
in Paraphrasi  
Caramueli in  
verba Pauli.  
Reprobatur.*

niam

Reprobatur.

niam Viri isti licet legibus careant sibi ipsi sunt lex, nempe ita operantur ut vita cuiuscumque possit esse aliis exemplar atque moralis lex. Sic ille. Poteramus nunc contra Caramuel. verbis, Caramuelis exclamare. Nisi Sacra Scriptura esset adamantina iam his interpretationibus esset contracta. Bone Deus! Gentes sine lege humana faciunt ea quæ lex humana præcipere deberet, quia habent legem diuinam naturalem indicentem illis quæ lex humana indicare deberet, quid mirum? quod ea faciant sine lege humana si habent legem diuinam. Et taliter viuunt ut possint esse aliis lex? Apostolus uti rem magnam dicebat, gentes sine lege facere quæ legis sunt. At gentes sine lege humana facere quæ legis humanæ sunt quia legem diuinam habent, non est quid magnū & laudabile in gentibus. Nomine *Gentiū* quis dubitet Paulum *gentiles* intelligere, qui profectò legibus humanis non carebant, sed lege illa diuina Iudæis promulgata. Et de aliquibus eorum ait agere naturali dictamine rationis ea, quæ Iudæi lege diuina dictante faciebant, sibi que ipsis esse legem, quia in cordibus ostendunt, scriptum opus legis ab ipsa, inquam, natura insculptum dono creationis quia eadem opera exercent. Ita mentem Pauli intelligunt omnes, omnes. Et aliter intelligere, tergiversare est.

30

Probatu eādum essetio, ratione, primò.

Probo deinde ratione. Negari nequit, dari aliqua intrinsecè mala moraliter, independenter ab omni lege diuina positua libera, & prohibita lege diuina quia ita mala. Ergo necessariò concedenda est lex distincta à lege libera, quæ non erit alia, quam naturalis. Probo antecedens; nam quæ Deus consulit, sunt moraliter bona, ergo quæ illis opponuntur, erunt moraliter mala, malum enim est quod bono opponitur. Atqui Deus non prohibet, quæ sunt opposita consiliis; ergo independenter à Dei præcepto positiuo, sunt aliqua moraliter mala. Minor & primum antecedens, sunt expressa Caramuelis disput. 2. Theol. Moral vbi docet esse bonum, quod Deus consulit; & ea quæ consulit, non præcipere: Atque adeò necessariò concedere debet contraria non prohibere. Ergo sine prohibitione Dei dantur aliqua moraliter mala.

31.

Secundò.

Secundò, id quod Deus, moraliter facere non potest, vel, id, quod Deum redderet moraliter malum, est moraliter malum.

actio

Sed datur aliqua actio, quæ independenter ab omni lege positiua, redderet Deum moraliter malum: Ergo datur, aliqua actio moraliter mala, independenter à lege Dei. Minor probatur. Esse crudelem, est, esse moraliter malum, Crudelitas enim est vitium oppositum Pietati. Atqui si Deus, vel leui poenâ puniret innocentem (quod quidem Physicè non repugnat) esset crudelis: Ergo esset moraliter malus. Ergo datur aliqua actio moraliter mala, independenter ab omni lege.

Tertiò, Deus non potest præcipere; vt illi non obediamus nam esset implicatoria voluntas, obediremus enim non obediendo Ergo obedire Deo, est bonum, independenter ab omni lege: Ergo & nolle, obedire Deo, est malum ante omne præceptum.

Quartò, Deus non potest præcipere, sub culpa graui materiam leuem, neque grauem sub leui. Hoc Physicè non repugnat, sed moraliter Deo. Ergo hoc quod est materiam leuem sub culpa graui interdiceret continet in se aliquam malitiam Deo repugnantem moraliter. At, hoc, non dependet à lege positiua Dei.

Quintò, odium Dei, periurium, blasphemia, independenter à lege positiua, sunt moraliter mala, & proinde dictamini rectæ rationis diuinæ, & creatæ opponuntur Ergo datur aliquid moraliter malum independenter à lege positiua Antecedens est S. Thomæ, Scoti, & ferè omnium Theologorum, vsque ad Caramuelem nemo enim hucusque dixit: odium Dei libera voluntate elicatum, non esse moraliter malum. Deinde, probò ex doctrina Caramuelis; nam odij Dei, malitia talis est, vt Deus non possit odium sui præcipere. Ergo habet malitiam moralem intrinsecam. Probo consequentiam: nam actus qui sunt omninò indifferentes sunt capaces bonitatis, & malitiæ moralis, Deo præcipiente. Ergo cum in odio Dei, non sit hæc indifferentia, signum est, includere, intrinsecam aliquam malitiam moralem.

Tandem probò, ex sententia Caramuelis debere dari legem aliquam moralem naturalem distinctam, à libera, præter legem Dei positiuam liberam quam diuidit in Physicam & moralem, & vtramque naturalem appellat, concedit Deo legem sibi in-

32.

Tertiò.

33.

Quartò.

T iuxta sententiam Caramuelis:

34.

Quintò, probatur.

35.

Sextò, probatur.

natam & intrinsecam quâ Deus carere non potest, & contra quam, nihil condere potest, neque effectiuè, neque affectiuè sic habet, lib. 1. Theol. Moral. cap. 3. *Innato igitur & infinito appetitu, Deus vult esse. Hunc appetitum innatum; aeternam legem dicimus.* Et postea. *Et quia in odio Dei, reperitur diuina mortis sub latens desiderium, odium Dei, opponitur necessario legi diuinae innatae.* Deinde loquens, de lege Dei libera Physica, ait, hanc in essentias rerum creaturarum; nullam habere iurisdictionem illâsque mutare non posse. Vnde necessario etiam creaturis innatum naturalem appetitum, seu legem naturalem innatam non aeternam concedere tenetur. Innato enim appetitus volunt habere suum esse, seu quod sunt. Nunc suppono in sententia Caramuelis. Esse principium irrefragabile sicut in Physicis Physicè, sic in moralibus moraliter philosophandum esse. Ergo sicut lex Physica libera, supponit innatam legem naturalem, & intrinsecam rebus, ita lex moralis libera, debet supponere legem innatam, seu intrinsecam & naturalem. Et sicut lex libera Physica rerum essentias non tangit, sed supponit, illâsque mutare, nullo modo potest Physicè, ita lex moralis libera; supponit essentias entium moralium, quas nulla ratione poterit immutare. At supposito quod esse entis moralis à lege morali libera non dependet, & ens morale, essentialiter diuiditur in bonum & malum, essentia entis moralis mali non erit dependens à lege morali libera quæ essentias tangere non potest morales, sicut nec Physica, Physicas.

36.

S. Bernard.  
docet dari in  
Deo legē in-  
natam neces-  
sariam Phy-  
sicam & mo-  
ralem.

Porro dari in Deo, legem innatam, & necessariam non solum Physicam sed moralem quâ Deus ipse regitur seu dirigitur, quæ est charitas. Docet expressis verbis; Bernard. sic habet de diligendo Deo. *Lex ergo Dei immaculata charitas est, qua non quod sibi utile est, quarit, sed quod multis. Lex autem Domini dicitur, siue quod ipse ex ea viuat, siue quod eam nullus nisi eius dono possideat.* Ecce Deus charitate viuat, non quidem Physicè, sed moraliter. Subdit postea *Hæc est lex aeterna creatrix & Gubernatrix Vniuersitatis, siquidem in pondere, mensura, & numero per eam facta sunt, vniuersa, & nihil sine lege relinquitur, cum ipsa quoque lex omnium, sine lege non sit. Non tamen alia quam se ipsa, quâ & se ipsum etsi non creauit, regit tamen.*

Idem

Idem habet epistol. ad Carthuf. Deus charitate regitur ex Bernardo, non quidem Physicè solùm, quia charitas vita moralis est: Ergo est lex moralis, Deo intrinseca & essentialis atque adeò necessària & innata quia ipsemet Deus est.

Cessat iam exclamare Caramuel vel risu colligere, Dianam & alios, qui *legem natura*, seu naturalem à lege positivam distinguunt; quasi supponant dari aliquam naturam, Deo superiorem ipsi leges imponentem. Theol. Fund. Fund. 12. Sic interrogat Dianam. *Num in tuo lexico, natura est aliquid distinctum à Deo, leges Deo imponens, & homines vel Deo invito gubernans? Ride ride.* Et postea: *Natura hac est Deus, Deo enim meo nulla natura dominetur*: Nulla natura, Deo, superior, nulla à qua homines gubernentur invito Deo, nulla Deo dominans: sed Deus ipse naturam suam & charitate tanquam lege sibi innata & essentiali gubernatur & regitur, gubernat & regit nos Physicè, & moraliter. Et quæ illi naturæ, & legi repugnant, si Physicè, Physica mala sunt, si moraliter moralia. Unde quæ charitati opponuntur, mala intrinsecè necessariò sunt. Deus enim charitas est, & sine charitate Deus non esset. Hoc dicimus ex Bernardo.

37.

Confirmatur; quia malum Physicum non est dependens, à lege libera Physica in sua essentia. Ergo neque malum morale, debet esse dependens à lege morali in sua essentia. Vel non eodem modo, philosophandum est in moralibus moraliter, & in Physicis Physicè.

Argumenta in contrarium, poteramus solvere solutione Caramuelis: nam ipse sic argumentum contrarium, putat solui. Argumenta (inquit) in contrarium ad hoc vnum caput, reducuntur, quod supponatur, dari actiones, intrinsecè malas, seu prohibitas, quia malas. Cùmque contrarium satis probatum fit; non oportet ea proponere; eadem solutione utens possem dicere. Argumenta Caramuelis ad hoc vnum caput reducuntur quòd nihil detur intrinsecè malum, nec prohibitum, quia malum: Cùmque satis abundè contrarium constet, nullius roboris sunt.

38.

*Cui fundamta nittatur, argumenta Caramuelis.*

Sed ut hoc etiam constet, videamus, quomodo probet legem naturalem esse actum liberum Dei. Ad suam mentem aperendam nonnullas ponit assertiones. 2. est. *Sanctio siue legislatio est actus liber Dei.* Hæc assertio (inquit) commendat

39.

*Qua ratione probet Caramuel legem naturalem esse actum liberum Dei.*

summam creatoris auctoritatem, & subordinationem creaturarum, & ostenditur. Actiones sunt ex se, moraliter indifferentes; atqui odium Dei ubique est malum: ergo est interdictum ab aliquo, qui habet, ubique legitimam auctoritatem: hic est Deus. Maiorem supponit superius probatam; sed ego nego, eam alicubi probasse. Supponit itaque quod probare debuerat; supponit quaestionem, supponit omnes actiones, esse moraliter indifferentes, de hoc dubitamus.

40.  
*Alia eiusdē  
ad istam ra-  
tionibus pro-  
ponuntur.*

Probat deinde, legem, esse actum liberum. Quia circa rem creatam nullus est, Deo, actus necessarius, finita enim bonitate non potest tollere, Dei infinitam indifferentiam. Secundò, quia etsi posset; deberet res Deum determinans habere aliquam bonitatem moralem. Sed actiones humanae ostenduntur ex se indifferentes. Ergo Deus actu libero fancit legem moralem.

41.  
*Sed Dilun-  
tur.*

Ad primùm facilè responderetur, negando antecedens. Nam licèt respectu creandae creaturae, nullus sit Deo actus necessarius; at supposito quod creaturam rationalem creare decreuerit, non est Deo liberum eam creare, sine dictamine rationis, & sine lege innata Physica & morali. At dicat mihi Caramuel, an licèt Deo sit liberum; legem istam, quam vocat naturalē, condere, supposito quod illam tulerit, possit nihilominus Deus facere, quod peccatum circa materiam leuem, sit mortale, & circa materiam grauem sit veniale? Et quo determinetur Deus, si non potest? Deinde an supposita prohibitione actus odij Dei & homicidij, possit Deus facere, quod homicidium sit maius peccatum quàm odium Dei? Hoc affirmare non credo quod audeat: & hoc negato, sequitur quod illa maior malitia odij Dei, est omninò à lege libera independens, nam eadem lege libera diuinâ vtrumque est prohibitum. Neque in ipsa lege ex parte legis, datur aliqua maior prohibitio, ratione cuius, illa malitia sit maior.

Ad secundum, faciliùs responderetur. Nam reassumit illam propositionem quod actiones humanae sunt omnes indifferentes moraliter, quod nusquam probatum iam diximus. Et vti diximus, negari potest à nemine res aliquas creatas, aliqua morali bonitate gaudere; amor enim Dei liber non potest non esse bonus moraliter.

Confirmare suam sententiam vult, Sanctorum PP. suffragiis. Nam Augustin. lib 22. contra Faust. dixisse (ait.) *Lex aeterna est ratio diuina vel voluntas Dei.* Et addit: quid! si quis restituat *est ratio & voluntas Dei.* Consulenda sunt antiqua exemplaria. Anselm. lib. de voluntate Dei: *Quicumque legi naturali obuiat, Dei, voluntatem non seruat.* Et in Proftol. cap. II. *Illud est iustum quod vis, & non iustum quod non vis.* Idcirco in sacris literis haec lex aeterna moralis, voluntas Domini vocatur. Quod videtur definitum à Christo in oratione Dominica sub illis verbis; *fiat voluntas tua.* Vnde S. Thom. Magister sententiarum & omnes DD. affirmant, eum qui temerat Decalogum, à Dei voluntate recedere (sic Caramuel.)

42.  
Argumenta  
Caramuelis  
ex Sanctorum  
authoritate.  
Ex August.  
Ex Anselm.

Non possum non confiteri me rudem: vel enim verborum sensum non capio, vel vim vllam, contra meam sententiam non sentio. Si lex naturalis est ratio diuina, ratio diuina libera non est, nec res sunt indifferentes quia id Deus iudicat & cognoscit. Si simul sit ratio & voluntas non ideò est libera: nam à ratione diuina determinatur voluntas vt amet quod videt bonum, & odio habeat quod malum iudicat, & non è contra. Vnde non determinatur voluntas à re creata, sed à diuina ratione increata & Deo necessaria.

43.  
Nihil tamen  
urgens.

Sed esto sit sola voluntas! ergo est voluntas libera; vnde ex Augustino hoc inferatur non video. Etiam Dei voluntate Spiritus sanctus producit, & non est libera, ea libertate, quâ potuerit non produci (de qua loquimur.)

Ad Augu-  
stinum.

Vnde argumenta ex Anselmo nihil probant; nam illud: *Dei enim violat voluntatem, qui legem naturalem violat;* potius probat legem naturalem non esse solam Dei voluntatem: nam esset idem ac dicere, qui violat voluntatem Dei, violat eius voluntatem. Et esset ridiculum; sicut si diceret, si discurret homo, discurret animal rationale. Sicut per te est ridiculum inquirere an discurret quàm homo, vel quàm animal rationale. Illud etiam *quod vis, est iustum, & quod non vis non est iustum.* Non significat ex contextu, quia vis, est iustum, & quia non vis non est iustum, sed docet Deum non posse velle quod non est iustum. Vnde supponit potius aliquid esse iustum vel iniustum: vt Deus illud amet, vel non amet. Vnde à Christo Domino non est

44.  
Ad Anselm.

definitum, nec à S. Thoma assertum, legem naturalem, esse actum Dei liberum ex eo quod dixerit Christus, *Fiat voluntas tua*, & S. Thomas, recedere à Dei voluntate illum, qui *Decalogum temerat*. Nam solum significant illa verba Christi voluntatem Dei, esse in omnibus rebus faciendam; non solum in his quæ cadunt sub præcepto, sed etiam in his quæ non cadunt sub præcepto. Vnde, ait, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, ibi necessariò, hîc liberè.

Et rogo, an in cælo sit præceptum amandi Deum, Deo liberum? & an amor Dei in cælo, sit bonum moraliter? vel Deus possit præcipere Beatissimis, ut illum non ament? Minimè minimè: ergo amor Dei bonus est intrinsecè, independentèr à præcepto. Ergo odium malum erit; eodem modo.

*Ad Thom.*

S. Thomas non dixit, Decalogum violare, illum, qui non facit Dei voluntatem: sunt enim aliquæ Dei voluntates extra Decalogum à quibus, qui recedit, Decalogum non violat; ut patet in consiliis. Sed qui violat Decalogum, recedere à Dei voluntate, quod verum est: nam apud S. Thomam, Deus lege positiva libera Decalogum promulgavit, licèt lege naturali iam esset nobis à natura insitum. Vnde qui Decalogum violat, & Dei voluntatem liberam, & legem etiam naturalem ad quam consequitur Dei voluntas, violat vnde semper à Dei voluntate recedit.

45.

*Probat Caramuel voluntatem, de qua supra sancti loquuntur esse liberam.*

Videns forsan Caramuel, testimoniis allatis posse responderi, voluntatem de qua loquuntur non esse liberam. Nam ut diximus odium Dei, periurium, blasphemia, non possunt diuinitus præcipi neque non interdici: respondet hanc esse grauem difficultatem, & inferiùs reassumendam; cum examinabitur, an possit Deus dispensare in Decalogo. Interim tamen probari esse liberam, quia non tulisset talem legem si nolisset, creare creaturas intellectuales, nam si hæ non fuissent conditæ, cui Decalogi leges imposuisset? Igitur liberè legem condidit, qui liberè eos condidit, sine quibus legem non imposuisset.

46.

*Sed non viriliter.*

Mira solutio? Loquimur an posito quod creauerit hominem potuerit illi præcipere odium Dei, aut non prohibere? Et respondet, esse liberum, illi hoc præcipere vel prohibere, quia fuit ei liberum hominem creare vel non creare. Si rogaremus an sit liberum Deo quòd homo sit rationalis, vel quòd constet anima

& corpore, dicere possemus quod sic, quia liberum est ei hominem, constantem anima & corpore creare vel non creare; licet non sit liberum, posita voluntate creandi illum sine anima & corpore creare. Sic liberum est Deo hominem sine praecepto eum amandi, & odio non habendi, creare quia potest non creare; de hoc non dubitamus. At non est liberum posita voluntate creandi hominem, illum creare liberum & cum libertate odio habendi Deum sine peccato.

Relinquitur, ergo, legem naturalem moralem non esse, actum liberum Dei, sed distingui à lege positiva libera. Et independenter ab ista, dari aliqua moraliter mala; quia illi legi naturali morali innatae ex intrinsicis praedicatis opponuntur. Stareque firmum axioma Theologicum *Aliqua esse mala quia prohibita lege divina positiva libera; alia verò prohibita, eadem lege, quia mala.* Quae etiam ex quaestione seq confirmabuntur.

47.  
Conclusio  
quaestiois.

QVÆSTIO II.

*An Deus dispensare possit vel actu dispensauerit in lege natura.*



**A**FFIRMATIVÆ sententiæ vnicus est author, Ioan. Caramuel; nam licet Scotistæ dixerint, vt vidimus, Deum posse dispensare in praeceptis aliquibus Decalogi, excipiunt tamen, à diuina dispensatione praecepta primæ tabulæ, & ex secunda mendacium. Sed neque ipse Caramuel, audet ita generaliter, & omnimodè subiicere diuinæ dispensationi omnia praecepta Decalogi. Et ad suam mentem declarandam, supponit triplicem dispensationem, permissiuam, contradictoriam, & contrariam. Dispensatio permissiua, intelligitur, cum permittitur non fieri quod praeceptum est. Contradictoria, cum præcipitur, non fieri quod erat praeceptum. Contraria, cum contrarium praecepto, præcipitur fieri.

I.  
Deum dispē-  
sare posse in  
lege natura.  
immo ex actu  
dispēssasse so-  
lus Cara-  
muel affir-  
mat.

Triples mo-  
dus dispensa-  
tionis à Ca-  
ramucl affir-  
matur.

Quo supposito, ait, in praeceptis primæ tabulæ, posse Deum dispensare permissiue, aliquando contradictorie, nunquam ve-

2.  
In præceptis  
prima tabu-  
rò

la, potest  
Deus dispen-  
sare permis-  
sive, sepe  
contradictio-  
riè, nun-  
quam contra-  
riè. In præce-  
ptis secunda  
omnimodè,  
iuxta Caram-  
uellem.

rò contrariè. In Præceptis verò secundæ tabulæ, posse triplici modo dispensare. Et vt suum assertum probet, discurrit per omnia Decalogi præcepta, ostendere procurans in omnibus, Deum dispensasse de facto. Cùmque de facto ad potentiam benè valeat argumentum, probatum remaneret posse dispensare, si de facto dispensasse probasset.

## §. I.

## De primo præcepto.

3.  
De facto dis-  
pensasse in  
primo Præce-  
pto, permis-  
tendo Idolo-  
latriam.  
Probat Ca-  
ramuel. ex 4.  
Reg. 5.

Probat in primo præcepto, Deum dispensasse de facto, idolo-  
latriam permittendo, & loco Contritionis lege naturali re-  
quisitæ ad peccatorum remissionem substituens Attritionem. Pro-  
bat primò, Historiâ Naaman, & Elisæi 4. Reg. 5. vbi Naaman,  
recuperatâ salute, ad Elisæum sic locutus est. *Non faciet ultra  
seruus tuus holocaustum aut victimam Dijs alienis, nisi Domino.  
Hoc tantum solum est de quo depreceris Dominum pro seruo tuo,  
quando ingredietur Dominus meus templum Remmon vt adoret,  
& illo inmitente super manum meam, si adorauero in templo  
Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus  
seruo tuo pro hac re.* Consentit Elisæus, & ait, *abi in pace.* Er-  
go Naaman (inquit Caramuel) poterat turâ conscientiam adorare  
Idolum Remmon. Patet consequentia quia aliàs non dimitte-  
ret in pacem, sed in peccati seruitutem. Hæc tota ratio Caram-  
uelis

4.  
Solutio Sil-  
uæ.

Si dicamus cum Siluio Elisæum neque dispensasse, neque  
permisisse vt Naaman adoraret Idola, sed quod seruiret à bra-  
chio Dominum suum Regem, vnde poterat se curuare & genu-  
flectere, non in adorationem Idoli, sed in obsequium Regis:  
sunt enim istæ actiones indifferentes, & quandoque vrbauitatis  
gratiâ sine adoratione pertinente ad cultum sacrum permissæ.  
Quod colligitur, ex illis verbis, ipsius Naaman, *non faciet ul-  
tra seruus tuus*: nam in illis proponebat, & promittebat nullum  
exhiberere cultum Idolo; vnde postea petere non poterat, vt ei  
cultus exhibitio concederetur.

5.

Insurgit primò Caramuel nam verba illa *non faciet*, &c.  
solum

solùm significabant Naaman non oblaturum sacrificium, vel victimam Idolo, cum qua promissione componi potest adoratio in cultu extrinseco. Sicut componi potest, quòd Petrus nunquam celebret, aut celebrare faciat Missas; & tamen expositum sacramentum adoret.

Sed contra infurgo. Nam falsum est, Naaman in illis verbis non voluisse, comprehendere negationem cultus extrinseci cuiuscumque (vt cõmuniter docent interpretes.) Aliàs non habuisset animum verè adorandi Deum, quod promisit: nam cum vero cultu veri Dei, nulla comparitur adoratio Idoli. Ergo, instantia de negatione, celebrationis, cum adoratione Sacramenti, non probat intentũ. Tamen si enim compossibile sit Physicè non celebrare neque celebrare facere cum adoratione Sacramenti, & etiam non offerre sacrificium cum adoratione externa; tamen erat incompossibilis adoratio externa, cum adoratione veri Dei quam promiserat. Quod exemplo proposito confirmatur. Non enim potest quis, nolle sacrificium Missæ celebrare, aut celebrare facere, ex affectu detestationis cultus Dei, & velle ex affectu veri cultus Sacramentum expositum adorare. Ergo si Naaman per illa prima verba detestabatur cultum falsi Dei, non poterat velle, actione illâ externâ verum cultum exhibere eidem falso Deo.

*Impugnatio prima Caramei.*

6.

*Sed enervatur. Naaman 4. Reg. 5. etiam cum extrinseci denegat falsi Deo, illis verbis, non faciet, &c.*

Dices, idcirco petiisse dispensationem ab Elisæo. Nego, quia si potuisset eam dispensationem petere, potuisset etiam dispensationem petere, sacrificia offerendi, & victimas Non enim minùs poterat dispensari in vno quàm in alio, si dispensari poterat. Ad quid ergo ex textu, infers petiisse dispensationem vnus, & non alterius? Præsertim cum, vt videbimus, illius actionis non esset dispensatio necessaria. Si ergo Elisæus sine dispensationis necessitate poterat respondere Naaman, *abi in pace*, cur recurritur ad dispensationem?

7.

*Nec potest intelligi ad oppositũ petiisse dispensationem.*

Dices secundò, Naaman conceditur, quod petiit adorare, ergo concessum est à Propheta vt adoraret Idolum. Nec iuvat inclinationem purè materialem intelligere, quod vult probare Siluius aliquibus sanctæ Scripturæ locis, præsertim in Abrahamo, Angelos, adorante Genes. 18. vers. 2. 3. Nam in illis casibus semper reperitur adoratio aliqua, quæ licet Dulia sit, est interdictum vt exhibeatur Idolis.

8.

*Siluius inclinationem purè materialem permittam fuisse Naaman concedit secunda Caramei instantia.*

D

Contra:

9.

Facilius percipitur uenia, quam dispensatio obtemperata à Naamano.

Contra; & utor tuo argumento Naaman conceditur id, quod petiit. At si uerbis standum est ita strictè non petit dispensationem, sed ueniam, & remissionem; ergo supponit adorationem illam fore peccatum, & ut ueniam mereatur, orat Prophetam, ut Deum pro se deprecetur. Minor patet *Si adorauero adorante eo, ignoscat mihi Dominus pro hac re.* Quod confirmant illa,

10.

Nec purè materialis adorationis permissio petebat Naaman, sed solius obsequii in Regem liberam executionem.

*abi in pace*; nam significant, Deum remissurum illam rem, hoc enim sonant in Scriptura illa uerba, *uade in pace.* Vel hïc ad summum significabunt, sic faciam, rogabo Dominum, ut tibi ignoscat. Ergo ex his uerbis nullâ ratione colligitur dispensatio.

E. d. m. materialis actio potest secundum uarios respectus, ad Duliam, Hyperduliam, Latriam, atque urbanitatem spectare.

Per illa uerba, actionem purè materialem non intelligimus, sed obsequium, aut seruitium regi exhibitum: Quod neque adorationem Latriæ, neque Dulix continet; quidquid sit de facto Abrahamæ. Certum enim est eandem actionem materialem secundum diuersos respectus posse pertinere ad Latriam, Duliam, Hyperduliam, & politicam urbanitatem, aut reuerentiam. Si genuflexo cruci, est latria; si B. Virgini, hyperdulia; si S. Petro, dulia; Regi, reuerentia, Domino proprio subiectio, sceminx aut uiro nobili, urbanitas. Ergo in Abrahamo fuit dulia, quando Angelo genuflectit; fuit urbanitas quando hominibus. Et de hoc mille exempla inuenientur. Vnde in Naaman obsequium merè politicum esse potuit, atque adeò non dispensauit Elisæus, sed annuit ut id facere posset, eo sensu quo potest licitè fieri, & sine dispensatione vlla in seruitium, & ministerium Regis.

11.

Tertiò ex ipso textu uiget Caramuel.

Tertiò obiicit Caramuel, Naaman tenebatur ratione scandalali, ad non præstandum illud obsequium Regi: ergo saltem quoad hoc, necesse est dicere, dispensasse Prophetam.

12.

Respondetur primò, Naaman officio suo fungens, nemini scandalum facit. Quod ratione officij præstatum scandalum actum non causat.

Nego in primis teneri ratione scandalali. Quia id quod teneor aliquâ ratione facere, non est causa actiua scandalali. Naaman officio suo fungebatur. Vnde siue scirent omnes eum esse veri Dei cultorem, siue nescirent, nullius scandalali causa erat actiua; distinguendum est enim, scandalum receptum à dato.

Distingue scandalum receptum à dato.

Deinde nego cum Siluio. Tum quia constabat eum esse uerum Dei cultorem. Tum quia nunquam ingrediebatur templum nisi cum Rege. Vnde constabat omnibus, eam actionem non fieri, nisi in obsequium regis, & nullo modo in cultum idoli.

13.

Respondet 2. ex Siluio.

Sed

Sed contra ( inquit Caramuel ) nam vnde id constiterit Siluio non constat. Quia neque in sacris literis, neque in authenticis historiis legitur. Fingit ergo, quæ iudicat prodesse posse. Etenim illa ratio, Naaman nunquam ingreditur Templum nisi cum Rege; ergo omnes sciunt eum Deum Israëlitarum & non alium colere, laborat sexcentis capitibus. Primò quid scimus! An fuerit falsum antecedens. Secundò, quia ipse Siluius hodie nescit, an talis Principis famulus ingrediatur templum sine suo Domino. Ergo neque omnes scirent tunc an Naaman ingrederetur templum sine Rege. Tertiò, esto omnes scirent, vnde iudicarent eum Idola non colere? Quis enim non iudicaret Christianum famulum Petri, qui licet nunquam ingrediatur templum sine Petro, tamen toties ingreditur quoties Petrus. Ergo idem dicendum est de Naamano. Quartò, sciant omnes, Remnonem non coli à Naaman: at ex hoc non cultu, non sequitur colere verum Deum; nam poterat in cultum aliorum Idolorum Babilonios contemnere. Quintò, condonetur ei, omnes scire non esse Dei falsi, sed veri Dei, cultorem: hinc non inferitur, Quod non scandalizarentur, qui eum viderent ante Remnonem genuflectere; sed potiùs omnes debere scandalizari, quia omnia peccata publica scandalum pariunt. Et Naaman, si crederetur verum Deum corde colere, & tamen adorare Idolum, censeretur peccare publicè. Nam vnum Deum mente, & alterum linguâ colere peccatum est.

Manet ergo, quidquid sit de efficacia instantiæ, ex historia Naaman, illi Siluium non satisfecisse; an alio occurri possit, relinquo lectori: nec enim libenter concederem dispensationem, quam vrget argumentum; & tamen qualiter negari possit clarè non video. Sic ille.

Ego, omnes impugnationes Caramuelis puto falsas. Nam prima quæ ait, non constare Siluio, nec sibi, vnde posset constare omnibus illum esse veri Dei cultorem, ex eo quod neque in sac. pagina, neque in authenticis historiis id legitur: falsa est. Nam ex sacra pagina loco citato satis colligitur clarè. Quis enim fuit in Samaria, qui ignoraret lepram Naaman, qui erat Regis priuatus? Quis nesciuit eum cum equis & curribus profectum fuisse Samariam ad Prophetam, vt sanitatem recupera-

*Naamã non tenebatur ratione scandali Regi nõ prestare obsequia.*

14.

*Aduersus Siluium plura cingit Caram.*

15.

*Omnia tamẽ falsa.*

*Publicũ, esse Naaman verum Deum colere, satis scriptura significat.*

ret? Quis non admiratus est miraculum? Ipse publicè promittit se non adoraturum alium Deum, nisi Deum Israëli. De his omnibus satis clarè constat ex citata historia; ergo publicum erat; ergo licèt vnus vel alter ignarus esset istorum, erat ex se res, omnibus, nota, & publica. Ergo vera est illa propositio, sciebant omnes.

16.

*Iuxta iuxta  
subiectam ma-  
teriam benè  
infert Sil-  
uius ex eo  
quod sine Re-  
ge illo tem-  
plum non in-  
grediebatur,  
quod constat  
ex textu.*

Præterea illa ratio, quam dicit Caramuel, peccare sexcentis capitibus, scilicet Naaman nunquam ingrediebatur templum nisi cum rege, ergo omnes sciebant, &c. nullo capite peccat iuxta subiectam materiam, & supposito miraculo omnibus noto. Primò enim antecedens constat non esse falsum, quia Naaman id promittit Elisæo. Patet ad hominem: nam per te solùm petiit dispensationem adorandi, quando Rex ingredieretur: ad quid ergo de hac actione peteret dispensationem; si aliquando ingrediebatur sine rege? Inanis certè foret petitio, vt euidenter patet: Naaman promittit verum Deum colere, & petit dispensationem genuflexionis ante Idolum quando ingreditur cum Rege: ergo nulla alia occasione vult ingredi vel genuflectere, nisi quando ingredatur feruiens Regi: ergo constat de hoc, ex Sacro Textu.

*A secunda  
impugnatio-  
ne Caram.  
ratio Siluij  
descenditur.*

Secunda impugnatio nimis inutilis est, & facilè diffatur. Tum quia illud, *omnes sciunt*, non intelligitur Metaphysicè, sed moraliter, hoc est, maior pars. Secundo non benè arguitur à famulo Principis, ad famulum Regis magnum & familiarissimum, cuius actiones, omnes sciunt, scrutanturque, vt, vel eas imitentur, admirentur, aut murmurent. Tertio, quia quis potest dubitare, omnibus constituisse miraculum? Omnibus etiam fidem Naaman fuisse admirabilem, probat Christus Dominus eam adducens in exemplum. Ergo tempore Christi notissimum erat omnibus factum Naaman: ergo multò magis viuente Naaman.

*Quæstio con-  
tra tertiam.*

Tertia minùs vrget; quia in primis non procedit in famulis Regis, qui solent templa sine Rege adire. Et non est dubium, quod nota maxima afficeretur Princeps, qui solùm quando Rex ingreditur templum, ingredieretur Reges enim non quotidie ad templa publicè procedunt. Deinde non benè impugnatur; quia si constaret Petri famulum esse hæreticum aut Turcam, quis dubitat, quod ex quo ingredieretur solùm, cum

Petrus

Petrus ingrediatur Templum, non rectè inferremus eum esse Christianum? At de Naamano constabat omnibus, quod Prophetæ promiserat se solùm verum Deum culturum. Ergo cum solùm viderent eum ingredi Templum quando Regi seruibat, illo facto fides eius confirmabatur.

Quarta multò minùs premit Siluij responsionem; nam ex non cultu Remnon præcisè certum est non inferri cultum veri Dei; sed ex aggregato non cultus cum promissione cultus veri Dei, vt colligitur ex verbis textus.

*A quarto aculeo enim feritur.*

Quinta nullo modo probat intentum. Nam actio illa Naamani, supposito quod verum Deum coleret, vt ex textu constat, non erat in cultum Remnonis, sed in Regis obsequium; quod constare omnibus debebat ex dictis. Vnde prudenter iudicari à nemine poterat cum mente vnum Deum colere, alium linguâ, vel actione; atque aded non debebant scandalizari. Manent ergo rationes Siluij in suo robore, nec benè impugnatæ à Caramuele: ac per consequens relinquitur certum, Prophetam non dispensasse in primo præcepto.

*Quintus non pungit.*

Secundum, scilicet dispensasse in lege contritionis probat, nam peccatum, gratiæ opponitur, nec potest naturaliter Attritione fugari, sed contritione opus erat antequam Christus Sacramenta instituisset. At Christus vsus suâ potentiâ absolutâ, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, & Contritionem sibi debitam iure naturæ in Attritionem & Confessionem commutauit. Cum ergo commutare sit, etiam dispensare, dicendum est Christum in primo Decalogi præcepto, quod contritionem indicebat, dispensasse.

17.

*Nititur Caramuel probare Deum dispensasse in lege Contritionis, eam in Attritione cum Confessione commutando.*

Ad instantiam istam aliquos sibi respondisse fatetur Caramuel; ita tamen vt responsionem indignam calamo iudicari. fortè responsio nostra in illarum aliquam coincidet. Sed non debemus, rem ita claram sine responsione relinquere, nisi imitari Caramuelem: diceremus, instantiam de Contritione non esse responsione dignam. Dico ergo in primis commutare, & dispensare, non sunt idem, licèt aliquando in commutatione aliqua interueniat dispensatio. Nam qui emisit votum, potest propriâ authoritate in aliud æquale vel melius commutare, & tamen non dispensat. Ergo neque quando superior aliquid in me-

18.

*Solutiones sibi datas calamo indignas censet, forsan argumentū ipsum solutione indignum erat.*

*Commutare & dispensare non sunt idēs licèt quandoque in cō-*

*mutatio  
dispensatio  
intercedat.*

*Quilibet pro-  
pria auctori-  
tate voti  
à se emissum  
in aequale  
aut melius  
commutare  
potest.  
Christus non  
dispensavit in  
lege Decalo-  
gi, sed illam  
perfecit, va-  
ria media  
parans ad  
veniam.*

19.

*Dispensatio  
quid sit, iux-  
ta Caram.*

*Nemo potest  
voti Contri-  
tione sine  
Confessione, si  
conscientiam con-  
fessorum ha-  
beat.*

*Dispensatus  
potest non uti  
dispensatione.*

lius vel perfectius commutat, dicitur dispensare: at quis negabit esse perfectius medium ad obtinendam veniam, obligationem confitendi alteri peccata, quàm sola interiori Contritione remissionem peccatorum obtinere? Licet enim Contritio in se perfectior actus sit Attritione, tamen negari non potest, ad aliquid perfectius in lege noua obligari homines, quàm in veteri: aliàs quæ Christus addidit legi, ad eius perfectionem, dispensationes vocarentur. Stat igitur Christum non dispensasse in lege Decalogi, sed perfecisse legem Decalogi instituendo Sacramenta, & dando diuersa media ad obtinendam veniam peccatorum.

Deinde dico: non rectè à te dici Deum dispensasse. Nam per te dispensatio, est actus liber superioris, eximentis vnam, aut plures personas, in vno, vel pluribus casibus, à legis (aliàs in suo vigore mansuræ) rigore; ita tamen, vt illam, aut illas, etiam non eximere possit: At in casu proposito non ita factum est non enim vnam, aut plures sed omnes, neque relinquens legem Contritionis in suo robore exemit ab illius obligatione, nam qui dispensationem obtinuit potest eam non uti, & legem quâ ante dispensationem tenebatur, obseruare pro libito, dispensatio enim non obligat dispensatum, ad sui complementum; at verò nunc nemo potest solâ Contritione sicut antea & sine peccatorum Confessione iustificari si copiam habeat Confessoris, ergo non est propriè dispensatio, quam Christus Dominus fecit, dum Contritionem in Attritionem cum Sacramento, commutauit, sed nouæ legis latio quâ omnes voluit obligare ad Confessionem, nemini facultatem relinquens vt pro libito suo nunc Confessione, nunc Contritione sine Confessionis obligatione, vteretur ad obtinendam veniam peccatorum. Sicut dispensatus potest dispensatione non uti, & legi vel voto stare ac si non esset dispensatus. Nouæ enim legis latio, vel potius noua alteriùs mediij seu causæ applicatio dispensatio non est. Nam quod Deus pro vno tempore hoc medium, ad obtinendam veniam peccatorum dederit, & alio tempore aliud, non inducit dispensationem præsertim si illa media, ex suis prædicatis apta sint ad illam. Nam quando duæ causæ possunt eundem effectum producere, si nunc vtamur vnâ, & in momento sequenti alterâ, non dicimur dispensare

dispensare: At Attritio cum Sacramento, non est minùs apta ad peccati remissionem, quàm sola Contritio, imò magis videtur conducere, cum Contritio sine ordine ad Confessionem, peccata remittere non possit, at Confessio cum Attritione, sine ordine aliquo ad Contritionem illa indulget.

*Attritio cū Sacramento sine ordine ad contritionem remittit peccata. Contritio cū ordine ad Confessionē.*

20.

Tandem dico, Argumentum multa congerere, seu potiùs confundere. Confundit enim ordinem seu legem naturæ, cum lege seu ordine gratiæ, supponit falsum, & æquiuocè vtitur vocibus *Naturaliter & debitum iure Naturæ*. Quæ omnia si disunctim discuterentur nimis prolixa solutio videretur, & propterea, volo, solutionem ad formam quantum possim restringere. Maiorem itaque explico, & & distingo: Peccatum non potest naturaliter Attritione fugari, sed Contritione opus est, supponit Contritionem naturaliter peccatum fugare & dico. Si, *li, naturaliter* intelligatur de Contritione naturaliter elicita, nego maiorem Nam Hæreticum est asserere, Contritionem *naturaliter*, hoc est, viribus naturæ elicitam, esse sufficientem ad consequendam gratiam remissionis peccatorū, & in hoc non est differentia, inter Attritionem, & Contritionem. Si, *li, naturaliter*, intelligatur de Contritione supernaturali, supernaturalitèrque elicita, vt sensus sit, Contritionem supernaturalem ex natura rei, hoc est, ex prædicatis sibi intrinsicis, habere, peccatum fugare, transeat maior. Et dico transeat, quia adhuc de Contritione supernaturali, dubitatur à Theologis, & negatur à multis Contritioni virtus hæc ex natura rei, & solùm conceditur ex Dei speciali promissione. Nunc ad Minorem Christus mutauit Contritionem iure Naturæ sibi debitam. Supponis falsum Contritionem esse iure Naturæ debitum quasi lege Naturæ sit indicta. Quia lex naturæ præcisè sumpta nullum ius dicere potest in actus supernaturales, vti est Contritio peccati remissiua, de qua loquimur (siue forma sanctificans sit, siue solùm sit dispositio) Contritio namque remissiua peccati nec naturalis est, nec iure naturali indicta aut debita. Ex eo enim quod tempore *legis naturæ*, aut *scriptæ*, id est, ante Christi aduentum, Contritione opus esset ad peccati remissionem, non rectè infertur eam esse iure Naturæ debitam, licèt post aduentum Christi, Attritio cum Sacramento sufficiat. Nam eodem prorsùs argumento probari poterat,

*Contritio naturaliter elicita non sufficit ad peccati remissionem.*

*Contritio supernaturalis an ex natura rei tollere possit peccata, non est certum.*

*Contritio nõ est debitum iuris Naturæ sed legis aut iuris iurernaturalis.*

rat, fidem, spem, & Charitatem, supernaturales, immò, & ipsam gratiam habitualem, esse debitum iuris Naturæ. Nam ante Christi aduentum, sola gratia habitualis erat forma sanctificans et si postea etiam unio Hypostatica, & ipsa Dei Maternitas, sit sanctificatiua. Et tamen esset mala consequentia ergo habitualis gratia est iure Naturæ debita, aliud enim est aliquid esse necessarium in aliquo statu, aliud, illud esse de iure illius status, seu de eius exigentia; indigentia enim, & exigentia valdè distant. Erat itaque Contritio supernaturalis, sicut & nunc, debita, non iure Naturæ, sed iure, aut lege supernaturali, quâ Deus Misericordiâ suâ motus voluit, hominem ad gloriam æternam eleuare, quod lex Naturæ non poterat, lapsumque reparare, potens illum sine peccatorum remissione relinquere, vt non sit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quæ quidem lex non connexa, sed annexa est obseruationi legis naturalis, quæ vocatur Decalogus. Vnde nunc ad consequentiam: Nego Christum dispensasse in Decalogo, prout lex Naturalis est, sed, vt sic loquar in Decalogo prout eleuato, seu in illa lege eleuante homines ad iustificationem, & vitam æternam, quæ eleuatio, non est de iure Naturæ, sed supra illam, neque iuris Naturæ debitum, sed donum Dei gratuitum, nullo modo connexum, sed annexum Decalogo. Vnde non dispensauit in lege Naturæ, quia non dispensauit in aliquo, quod lex naturalis, prout naturalis, præcipiebat, aut præcipere poterat. Longior euasit solutio quam putaram, sed non potui rem intricatam paucioribus explanare. An istæ solutiones sint dignæ calamo iudicet pius Lector.

*Christus non dispensauit, in Decalogo prout lex naturalis est.*

## §. II.

### De secundo Præcepto.

2 I.  
*In secundo præcepto Decalogi, Deū dispensare posse, probat Caram. suo iudicio euidenter.*

**B**Reuiter, & suo iudicio euidenter probat Caramuel, dispensationem. Quia in iuramentis, & votis humanis, immò in diuinis in suam vtilitatem emissis, potest homo dispensare, ergo & Deus in Theologicis; probo antecedens. Si Petrus promittat tibi mille aureos, erit debitor tibi humanitatis; si id iuramento confirmet, debebit tibi diuinitatis: & tu poteris cedere iuri

iuri tuo, quo facies, vt Petrus nulla obligatione teneatur ad dandum mille aureos. Ergo similiter, potest Deus dispensare si ei promittas castitatem, &c. Imò hanc potestatem videtur concessisse hominibus: nam Patresfamilias in votis, aliquibus Deo, factis possunt dispensare.

Nec iuuat ad materiæ mutationem recurrere; quia homo in votis, ac promissionibus sibi factis, nulla mutatione factâ ex parte materiæ potest dispensare. Ergo multò magis Deus poterit; quia non debemus dicere Deum teneri necessariò admittere hominum vota, nec posse ea condonare.

Tamet si hæc omnia vera essent prout à Caramuele asseruntur, conclusio est falsa. In primis probatio nimia est dum probat homines posse dispensare in secundo præcepto absque vlla delegatione diuina. Summus Pontifex potest in omnibus votis dispensare; in Decalogi lege dispensare non potest. Ergo vel non sequitur Deum posse dispensare in secundo Præcepto ex quo possit vota relaxare, non admittere; vel condonare; vel sequitur homines posse. Quod expressè negat Caramuel cum S. Bernard. inf. citand. Nam ea sunt in quibus nec Deus potest dispensare; & nunc probat argumentum etiam homines posse dispensare. Ergo ex relaxatione votorum & iuramentorum non sequitur secundi præcepti dispensatio.

Deinde votum non cadit sub Præcepto Decalogi nisi reductiuè; non enim ibi præcipimur vouere, sed suppositâ lege voti ea implere. Votum est lex humana, ideoque apud homines adest facultas ea relaxandi vel dispensandi. Vnde non stante voto, nihil mirum quod non teneantur. Et hoc non oritur ex potestate directa in votum, sed in vouentem. Quia enim persona vouens est sub alterius potestate, summittit alteri voluntatem suam, & vouet dependenter ab illa. Vnde non sequitur dispensare Patrem in voto, sed votum emissum fuisse sub illa conditione implicita, si voluerit Pater, si acceptauerit Deus, &c. Qua conditione non impleta votum non datur.

Vnde multùm iuuat recurrere ad mutationem materiæ; nam homo non dispensat in voto manentibus eisdem circumstantiis, sed potius illas aufert quæ necessariae erant, vt votum obligaret. Nam votum necessariò includebat hanc conditionem,

E offero

*Nec permittit recursum ad mutationem materiae.*

22.

*Adhuc tamè toto discursu admissio, Manet conclusio falsa; imò probat homines posse in Decalogo dispensare auctoritate propria.*

*Ex relaxatione, aut dispensatione votorum, & iuramentorum nõ sequitur secundi Præcepti dispensatio.*

23.

*Votum non cadit sub præcepto Decalogi nisi reductiuè.*

*Votum est lex humana; ideo apud homines facultas est dispensandi & relaxandi vota.*

*Hactamen non oritur à potestate in votum, sed in vouentem, qui cum dependentia à superiori voluntate votum emittit conditionatè.*

24.

*Homo nõ dispesat in voto*

manentibus  
eisdem cir-  
cumstantijs.  
Et semper in  
illius dispen-  
satione mu-  
tatur mate-  
ria voti.

25.

Quid circa  
vota, & Iu-  
ramenta ca-  
ueatur Præ-  
cepto secundo  
Decalogi, in  
quo Deus  
non dispensat.

offero tibi centum, si acceptaueris; posita conditione, te non acceptante, mutatur materia voti, seu circumstantia necessariò requisita ad validitatem vel ad materiam voti.

Quod secundo Decalogi Præcepto prohibetur est non vouere mala, & non iurare; at Deus non potest dispensare in voto de re mala, vt sit validum, vt iuramentum cum Mendacio sit licitum, & hoc expressè docet, Bernard. Ergo fingit Caramuel, quod sibi prodesse iudicat, non probat conclusionem.

## §. III.

## De tertio Præcepto.

26.  
Deus non di-  
spensauit, in  
tertio Deca-  
logi præcepto  
iuxta Cara-  
muclm.

**I**N tertio præcepto, non probat Caramuel. Deum de facto dispensasse, immò contrarium asserit. Licet enim in aliquorum sententia. 1. Machab. 2. videatur Deus dispensasse in lege sabbati, quia Machabæi statuerunt in sabbato præliari, si opus esset; tamen solùm sequitur ex hoc facto Deum dispensasse in lege ceremoniali, non naturali; quia in tertio præcepto indicitur cultus Dei exhibendus tali die. In prima parte quæ pertinet ad ius naturale non dispensauit. Sed neque in hac dispensasse probat ipse Caramuel: quia non magis obligabat dies sabbati Iudæos, quàm nos obligabat dies Dominica: at nobis licitum est in Dominica præliari, quia opus seruile non est. Ergo neque erat prohibitum Hebræis hoc opus, vt potè præcepto sanctificationis sabbati non prohibentur actus non seruales. Manet ergo, Caramuele annuente, Deum non dispensasse in tertio Præcepto.

## §. IV.

## De quarto Præcepto.

27.  
Poffe Deum  
in quarto  
præcepto di-  
spensare, plus  
supponit quàm  
probet.

**P**OSSE Deum dispensare (inquit Caramuel) ostenditur. Ideò enim obedimus superioribus, quia id Deus iussit, & tamen non teneremur, si non iussisset, nec si inhibuisset possemus. Hoc est argumentum doctissimi hominis. Nescio quid probet, quid supponat video. Vel vide, si tibi, placet hæc argumentatio, contra Caramuelem.

Poffet

Possêt quis dicere non posse Deum dispensare. Ostenditur: non enim ideò obedi-  
mus superioribus, quia Deus iussit, quia & teneremur, licèt non iussisset, nec inhibere nobis id potuisset. Quid huic argumentationi responderet Caramuel, nisi hæc verba, quæ contra eos scribit, qui asserentes dari aliqua mala intrinsecè, hoc ipsum cum probare proponant, supponunt: ait enim: Vides in hoc argumento, aduersarij, vt nos oppugnent, contradictoriam nostræ Theseos supponunt. Nostra enim Thesis cum Paulo asserit, ante omnem legem, nullam posse Præuaricationem assignari. Lex enim diuina non interdicit actus, quia mali sunt, sed isti potiùs euadunt mali, quia interdicti; sic ille Et ego: Vides Caramuelem, vt dispensationem propugnet, contradictoriam nostræ Theseos supponere? nostra enim Thesis est, Deum non posse dispensare, quia lex diuina prohibet aliqua, quia mala sunt cum S. Thoma, omnibus Theologis, & cum Paulo. At ipse probat posse dispensare, quia ideò obedi-  
mus superioribus quia hoc præcipit Deus; quòd non esset malum nisi Deus prohibuisset; hoc probare assumit, & hoc supponit: ergo non probat.

28.

*Nam si Caramueli, argumentum simile fieret, videret sanè.*

Si dicas cum Siluio, Præceptum honorandi Parentes, esse affirmatiuum, & obligare, positis circumstantiis certis, quando recta ratio dicat: At Deo, contrarium præcipiente, iam cessare obligationem Præcepti: quia recta ratio non dicat tunc Patrem esse colendum, vel venerandum. Exclamabit Caramuel, me miserum! Quid dicam aut quid addam? aut non intelligo aut non intelligor. Hæc solutio extra difficultatem exorbitat, & omnes etiam iuris positiui diuini & humani dispensationes tollit. Nam de omnibus Præceptis positiuis idem dici potest, quod obligant, positis circumstantiis certis, rectâ ratione dictante, tunc esse obseruanda. At præcipiente Deo contrarium, vel abrogante legem, iam rectam rationem dictare, vt illa lex non obseruetur. Vnde non secus obligat præceptum naturale quàm positiuum: siquidem in vtroque eodem modo quando recta ratio dicat, datur obseruatio cum debitis circumstantiis, & ad non obligandum circumstantiæ auferendæ sunt.

29.

*Solutionem Siluij sibi Caram. proponit, aduersus illam exclamat, & inuenitur.*

Vrget, rogans; an Circumcisio nunc obliget; etsi non obligat,

30.

*Arget amplius in abrogatione Circumcisionis.*

gat, quare non obliget? Nonne quia Deus abrogauit illam legem, quæ, positis circumstantiis temporis, obligabat vsque ad Christum, quo adueniente cessauit? Si ergo idem Deus facere potest in quarto Præcepto; ergo abrogare, commutare, seu dispensare aut soluere potest quartum præceptum, non secus ac præceptum Circumcisionis. Vnde conuenimus in re omnes; nec cum Prælatus dispensat in præcepto humano, aliud facit, non enim concedit, vt obligante Præcepto possis omittere, nec quòd possis omittere, quando recta ratio dicit non esse omittendum; sed facit dispensatione, vt tibi Præceptum non sit, & quod recta ratio dicit posse illud omitti, seu te, illo non teneri. Ergo si ipsissima concedit Siluius Deo, ne abutatur verbis, sed D. Thom. cui mente vale dixit, vale dicat lingua, & sententiæ Caramuelis cui dictamen subdidit, & linguam subiiciat.

31.

*Nihilominus solutio Siluij est de mente S. Thomæ.*

Fallitur in primis qui sic discurrit existimans, vale dixisse, S. Thom. qui asserit eo ipso quòd à Deo aliquid præcipitur quod videatur contra Præceptum Decalogi, iam cessare Præceptum, & dictare rectam rationem vt fiat quod à Deo præcipitur, & non quod antea in præcepto erat: & nihilominus non ideò Deum dispensare: nam sunt expressa S. Doct. verba 2. 2. q. 154. art. 2. Vnde si Caramuel existimat, S. Thomam, esse sibi contrarium, & asserere Deum non posse dispensare in lege naturali, existimat solutionem Siluij stare posse, quia S. Thomæ vale dicat, nec mente, nec linguâ.

*Recta ratio, lex Naturalis dicitur, prout est in nobis; prout est in iudicio aeterno, lex aeterna.*

*Quoties datur mutatio materia, aut nouum præceptum, iuxta hoc dicitur recta ratio esse operandi. Et ideò non dispensatur, sed obligat lex Naturalis.*

Porro, si S. Doctor sentit expressè legem naturalem, nihil aliud esse quàm rectam rationem, diuina enim ratio, recta ratio est, & lex naturalis; & quæ prout est in iudicio aeterno lex aeterna dicitur, & prout in nobis est, lex naturalis appellatur vt docet expressè. Quotiescumque non dicitur aliquid recta ratio, non obligat lex naturalis; & quotiescumque datur recta ratio, adest, & obligat lex Naturalis; ideoque indispensabilis est lex naturalis. Quia quotiescumque datur aliqua mutatio ex parte materiae, vel circumstantiarum quâ fit vt recta ratio dicit hoc quod antea erat faciendum, hîc & nunc non esse faciendum, iam lex naturalis ipsa, quæ antea obligabat ad hoc faciendum, nunc obligat ad faciendum oppositum. Ac per consequens non datur dispensatio in lege naturali, sed potius obligatio ipsiusmet legis naturalis.

Ad

Ad maiorem intelligentiam, legem naturalem dupliciter debemus considerare; datur enim obligatio legis Naturalis, quae immediatè, resultat ex ipsamet lege, quin praesupponat aliam legem positivam; & datur obligatio legis Naturalis ex suppositione legis positivae, vel ex suppositione alterius subiecti. Hinc diceretur propriè dispensare in lege naturali qui obligationem resultantem immediatè, ex ipsa lege naturali tolleret, non verò qui materiam praesuppositam tolleret, v. g. lex naturalis obligat ad obediendum superioribus absolutè. Praecipit superior, v. g. Pontifex, vt legam quotidie, horas Canonicas: ex suppositione huius materiae lex naturalis dicat, vt legam horas Canonicas: tollat superior hanc materiam, vel loco horarum Canonicarum det aliam materiam, v. g. eleemosynam. Tunc non dispensat Pontifex in lege naturali, sed tollit materiam, quâ non stante, lex naturalis non obligat, non quidem ratione dispensationis, sed ratione materiae, & lex naturalis inuiolata manet, quoad substantiam obediendi superiori.

32.

*Lex Naturalis solum dispensaretur casu quo tolleretur obligatio immediatè ab ipsa resultans, non verò illa qua oritur mediante lege positivâ.*

Hoc dicimus, non posse à Deo dispensari. Nam casu, quo Deus ipse praecipiat aliquid, quod contra quartum praecipitum videatur, non dispensat in lege naturali, sed firmat. Nam ipsa lege naturali teneor primò obedire Deo. Et tunc non solum ex defectu materiae, seu ex eius mutatione, sed ex ipsa obligatione eiusdem legis naturalis teneor: nam lex obligat inter parentes ordinem seruare: at cum Deus sit principalior Pater quàm ille qui me genuit, si contrarium aliquid praecipiat ex quarto Praecipito teneor illi prius obedire. Sicut si Pater mihi praeciperet aliquid & Mater contrarium, prius Patri esset obediendum: neque ex hoc dispensaretur in quarto praecipito praecipiente etiam obedientiam Matri.

33.

*Lex naturalis circa quartum praecipitum indispensabilis est à Deo. Lex obligat inter parentes ordinem seruare.*

Hinc etiam textus nonnulli Euangelicae historiae conciliantur, qui videbantur primâ facie contrarij. Nam alibi dicit, *si quis non odit Patrem suum, &c.* & iuueni illi, Matth. 8. volenti ultimum honorem patri exhibere, dixit *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: illos verò qui praetextu religionis filios à Patrū obsequio, & pietate arcebat, acriter reprehendit. Matth. 15. Estne Christus Dominus sibi ipsi contrarius? Minimè, dispensat in lege in vno casu, etenim in alio? Minus. Quid ergo docet nos illa apparens con-

34.

*Conciliantur nonnulli textus sacri ex superiori doctrina.*

tradictoria præceptorum, nisi legem naturalem, obsequia præstandi parentibus, obligare in vno casu, & non in aliis. In primo casu non obligare, quia non deessent, qui illud obsequium præstassent, & pro statu perfectionis relinquendum esse Patrem, Matrem, &c. In secundo casu obligare, quia quando aliunde Patres non habent, prætextu pietatis non sunt abiiciendi, quod faciebant ambitione obcæcati illi peruersi Ministri non Dei, sed satanæ. Ecce in neutro casu dispensatur, sed in vtróque declaratur, quomodo & quando, vnum præceptum alteri sit præferendum colendi Deum, & colendi Parentes, & in eodem præcepto quæ materia sit alteri præferenda, quis Pater, Patri postponendus. Id enim ordo charitatis, in quo lex naturalis fundatur ex se & intrinsecè postulat. In casu ergo quo supponam Deum præcipere Filio vt Patrem naturalem mori fame sinat, non dispensare censendum est in lege naturæ. Quia tunc lex naturalis dicitur patrem naturalem relinquendum esse, quia præceptum speciale Dei non potest esse contra rationem, & priùs obsequium Deo, quàm Patri meo præstare debeo. Vel Deus, qui est Dominus vitæ Patris mei, ipsum vult propter peccata punire, vel propter alium finem mihi ignotum ad se vocare: non examinare tencor, sed obedire. Quia eo ipso quod Deus hoc præcipiat, debeo pro certo habere illud esse iuxta rectam rationem, atque adedò iuxta legem naturalem & non aliud. Nam Deus non potest contra dictamen suæ rationis æternæ aliquid præcipere. Vnde nunquam potest Deus in lege naturali dispensare contrariè. Lex naturalis, est dictamen rectæ rationis æternæ. Sed nihil contrarium æternæ rationi Deus potest præcipere: ergo non potest dispensare contrariè in lege naturali. Recta enim ratio diuinæ sapientiæ quæ est lex æterna, dicitur hoc tali occasione esse faciendum & in tali occasione non faciendum. Et iuxta hanc præcipit Deus nunc hoc fieri, & postea non fieri. Et per consequens semper operatur iuxta legem sibi innatam naturalem, quâ carere non potest, & homo illi obediens legem naturalem seruat sine dispensatione aliqua.

*Deus nunquam potest in lege naturali dispensare contrariè.*

35.

*Expenditur  
discrimen  
sententiæ Cas.*

Ex quo patet differentia inter modum asserendi Caramuelis & nostrum. Neque idem dicimus omnes si rectè intelligimus, aut intelligimur. Nam nos asserimus Deum gubernari dictami-

ne

ne suae sapientiae tanquam lege directiuâ iudicante hoc vel illud esse nunc faciendum vel non, & hoc non esse liberum Deo, neque esse liberum dictamine sapientiae dictante hoc esse malum, illud non prohibere uti malum. At verò Caramuel ait non ita esse, sed merè liberè à Deo dependere hoc constituere malum vel bonum. Quod nos cum S. Thoma & Scoto absolutè negamus.

*Caramuelis & nostra.*

Ad instantiam abrogationis Circumcisionis dico, duo facta esse, primum abrogare Circumcisionem, & hoc liberum Deo fuit, sicut liberum fuit eam legem ferre. Secundum cessasse legem naturalem, quae obligabat suppositâ Circumcisione; & hoc non fuit dispensare in lege naturali, sed auferre materiam. Quod ergo Deus fecit in lege Circumcisionis, negamus fieri à Deo posse in lege naturali, id est, illam in totum abrogare, ut neminem obliget, vel illa permanente quoad aliquem alium in eodem casu ab ea deobligare, quod est propriè dispensare, Do exemplum. Dispensat Papa in impedimento affinitatis cum Petro, lege obligante Paulum in eodem casu, ita ut Papa liberè in eodem casu, cum eisdem circumstantiis possit Petrum absolvere, & Paulum ligatum relinquere cum eodem impedimento Hoc negamus posse fieri à Deo in lege naturali, scilicet quod in eodem casu quo Petrus sit deobligatus à legis naturalis obseruantia Paulus obligatus sit.

36.

*Respondetur ad instantiam de abrogatione Circumcisionis.*

Dices potest praecipere Petro ut Patrem suum mori sinat, & hoc non praecipere Paulo, ergo. Respondeo iam eo ipso quòd Deus praecipit Petro & non Paulo supponendum est respectu illius & non Pauli esse superiorem causam, ac rationem qua diuina voluntas moretur & sic recta ratio obligat ad obediendum Deo in hoc pracepto potiùs quàm in illo. Quia tunc dantur duo praeccepta impossibilia, respectu Petri & standum est maiori, ac per consequens semper viget nunquam abrogatur, nec dispensatur lex naturalis, cum semper iuxta illam operetur.

37.

## De quinto præcepto.

38.

*Dispensatio  
in quinto  
præcepto cum  
Abrahamo  
filiidii in-  
iunctum fuit,  
suadet a  
Caram. ex  
Bernard. &  
insuper ex  
ca/su 3. Reg.  
20.*

**D**ispensasse Deum in quinto Præcepto, teste Bernardo, certum est, cum Abrahamo filicidium iniunxit. Cui rationi alteram addo fortem ( inquit Caramuel ) ex 3. Reg. 20. Vbi vir de filiis Prophetarum dixit ad socium in sermone Domini *percutite me*, at ille noluit percutere, qui ait: *Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me & percuties te leo.* Cumque paululum recessisset ab eo inuenit eum leo, atque percussit, sed & alterum inueniens virum dixit ad eum, *percutite me*, qui percussit eum, & vulnerauit. Ergo Deus non solum dispensabat in quinto Præcepto Decalogi, sed & percussione illam percipiebat.

39.

*Vbi improba-  
bile putat  
Deum sub-  
misisse i ro-  
phetam socij  
dominio.*

Si dicas Deum potuisse submittere Prophetam illum sub pleno dominio sui socij; dicit Caramuel certum esse id potuisse Deum facere, sed non est probabile id fecisse. Primò, quia præceptum clarè patet; at donatio seu traditio non apparet. Secundò Prophetam imperatiuè loquitur; ergo non erat seruus. Imò punitur qui noluit percutere. Tertiò, quomodo si erat sub socij dominio, recessit à Domino statim? An Deus donationem factam reuocauit? Sunt somnia quæ ab afflictis finguntur; quia aliàs placita sua tueri non possunt, cum tamen facilius esset mentes ad exemplar sacrae Scripturae reformare, quàm illam ad mentis suæ fluctuantes Idæas torquere. Ita ille.

40.

Quid si ego dicerem sunt somnia quæ à liberis hominibus finguntur, quòd non habeant vnde suas nouas Thefes propugnent, nec vnde classicas Thefes oppugnent.

*Ex facto  
Abrahami  
non probatur  
dispensatio  
quinti præ-  
cepti.  
Inter præce-  
pta primæ &  
secundæ tabu-  
lae illa præse-  
renda sunt,  
in casu in-  
compossibili-  
tatis.*

Non probatur Deum dispensasse in quinto Præcepto ex facto Abrahami. De mente Bernardi postea erit sermo. Nam Abrahamo præceptum fuit, vt immolaret filium. Quod præceptum ad primam tabulam respiciebat. Inter præcepta autem primæ tabulae & secundæ, illa, his sunt præferenda. Et concurrentibus duobus impossibilibus, vel inuitabilibus, præcepto primæ tabulae standum est.

Deinde vel Deus cum legem tulit comprehendit Abrahamum

num quinto Præcepto, vel non comprehendit? Si comprehendit, nunc non eximit, cum præcipit mortem filij, sed superior legem fert, quâ à minori deobligetur, quod non est dispensare. Si non comprehendit; dicat cur, nisi quia voluit sibi illam vitam in sacrificium offerri; & sic semper salva manet lex naturalis.

*Eadem dispensatio improbat.*

Denique præceptum non occidendi, ex tua sententia non obligat ad seruandam vitam proximi me inuadentis, quia Deus id non prohibuit, & non asseris Deum dispensare in Præcepto. Ergo si Abrahamo non prohibuit quinto præcepto, Filij occisionem, quando eam præcepit, non dispensauit, nec contraria Præcepto præcepit. Nam quod præcepto quinto prohibetur, est occisio alterius sine sufficienti causa. At erat causa sufficiens ad occidendum filium & ad percutiendum Prophetam, quod ipse id iuberet in Nomine Domini, quia præsumendum erat altiori motiuo id præceptum ferri; ergo, &c.

42.

*Improbatur amplius.*

*Quod quinto Præcepto prohibetur, est occisio alterius sine sufficienti causa.*

Deinde præceptum quintum obligat non ad non occidendum præcisè, sed ad non occidendum sine causa, & cum odio Proximi. Hoc enim est contra rectam rationem, & hoc est in quo Deus dispensare non potest vt colligo ex Bernardo. *Nam in his qua pertinent ad dilectionem* (inquit Bernardus) *nec Deus dispensare potest.* Ergo non potest Deus dispensare vt occisio vel percussio Proximi fiat cum odio illius. Vnde etiam Deo præcipiente actionem materiale, si cum odio proximi, exequatur, peccat homo, vt patet ex illo, 4. Reg. 10. & Osee 1. de Gehu, & ex illo 2. Reg. 16. quando Semei maledicebat David: *Dominus* (inquit) *præcepit illi vt malediceret.* Attamen quia ille non perfecto odio ex charitate, & vt Dei merus executor maledicebat, à Dauide iniunctum fuit Salomoni vt non relinqueret illum impunitum: aliàs quomodo potuisset David punire Semei, si iste solùm diuino maledicendi David præcepto obtemperasset, aut odium aliquod non exercuisset. Vnde Abraham peccasset si filium, etiam posito præcepto, non obedientiâ solùm, sed proprio odio ductus occidere voluisset. Iudas tradidit Christum, tradiderunt Iudæi, tradidit Pater, tradidisset Virgo, si oportuisset, res erat à Deo decreta: peccarunt illi, sed non potuit Deus peccare, neque Virgo peccasset, quia maiori causa, & maioris

43.

*Item prohibetur occidere cum odio proximi.*

4. Reg. 10.  
Osee 1.

*Etiam Deo præcipiente actionem materiale, si exequatur eum odio peccatum est, nec vt sic exequatur dispensare Deus valet.*

2. Reg. 15.

3. Reg. 2.

Cur traditio  
Christi à Pa-  
tre, & à se  
ipso peccati  
non fuit, & à  
Iuda tanto  
seelere con-  
seatur salta.

boni intentione id fecisset. Audi Augustinum tract. 7. in Ioan. c. 4.  
Si Pater tradidit filium, & tradidit se ipsum filius, Iudas quid  
fecit? Facta est traditio à Patre, facta est traditio à filio, facta  
est traditio à Iuda. Vna res facta est; sed qua res discernit Pa-  
trem tradentem filium, se ipsum filium tradentem, & Iudam  
discipulum tradentem Magistrum suum? Quia hoc facit Pater  
& filius in charitate, facit autem hoc Iudas in perditione. Vide-  
tis quia non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo  
& voluntate faciat. In eodem actu inuenimus Deum Patrem in  
quo inuenimus Iudam: Patrem benedicimus, Iudam detestamur.  
Quare Patrem benedicimus, & Iudam detestamur? Benedici-  
mus charitatem, detestamur iniquitatem. Quid clarius? Pro-  
phetavit Caiphaz, & peccauit, & id ipsum quod assererat pro-  
phetia erat, & ille qui adimpleuit prophetiam peccauit, quia  
non rectâ intentione id faciebat. Hoc dicimus Deo repugnare,  
hoc rationi, & in hoc Deus dispensare non potest teste Bernar-  
do, quia non potest facere vt sit iuxta dilectionem, & rationem  
rectam odio proximum prosequi. Vnde cum hæc, & similia  
(inquit ipse) in Sacra pagina legimus, si non constat de præcep-  
to, intelligendum est singulare Spiritus sancti consilium ha-  
buisse, qui se ipsos occiderunt, vt de Samsone constat. Sic Ec-  
clesia Teclam, sic Apolloniam, vt martyres colit, quæ tamen alios  
damnat, si se ipsos in mare vel ignem præcipitent, vel morti  
fese offerant, quia non est credendum tam generaliter spiritum  
singularem concedi. Minorique bono maius bonum esse præfe-  
rendum dicitur recta ratio, quæ lex est naturalis. Id Deus præci-  
pit cum homicidium præcipit, id homines faciunt cum pro vita  
æterna morti fese offerunt; nec dispensatur, aut soluitur, sed  
imbibitur lex naturalis, quæ in recta ratione consistit.

Nōnullos qui  
se ipsos oc-  
ciderunt, sin-  
gulari sancti  
spiritus cen-  
silio, id se-  
cisse iudican-  
dum est ex  
Bernardo,  
sed non om-  
nes.

Lex natura-  
lis dicitur ma-  
ius bonum,  
minori præ-  
ferendū esse:  
inde quoties  
adest maius  
bonum lex  
naturalis  
viget.

44.

Ex f. d. Pro-  
pheta 3. Reg.  
20 non collig-  
itur dispen-  
satio asserta  
à Caram.

Vnde ex facto Prophetæ, non confirmatur dispensatio asser-  
ta à Caramuele, quia in eo casu erat specialis Spiritus sancti re-  
uelatio Prophetæ facta, quâ sciebat illud esse necessarium ad  
aliquod maius bonum, vt innuebant illa verba, in nomine Do-  
mini præcipio. Quod si Caramuel non vult admittere Prophe-  
tam fuisse traditum à Deo in Dominium socij, quia (inquit)  
præceptum video, donationem non video: at ego præceptum  
video, dispensationem non video. Ergo si ex hoc facto donatio  
non infertur, neque infertur dispensatio.

§. VI.

De sexto Præcepto.

Non dispensasse Deum in sexto Præcepto docet S. Thomas  
 in facto Osee, & nos eius mentem secuti, dicimus q. 3.

45.

*In facto Osea  
 Deus non di-  
 spensavit in  
 sexto Præcep-  
 to, & est  
 mens. S. Th.*

Sed affirmatiuam partem multis rationibus probat Caramuel diuersis in locis. In Theologia morali solum confirmat, quod supponit asseruisse Bernardum, exemplo Polygamiae; nam hæc est iure naturæ prohibita; sed in hac Deus dispensauit, permittens in lege veteri Patriarchas habere plures vxores: ergo.

46.

*Oppositū probat Caram.*

Sed hoc argumentum leue, ipse existimat, contra illos qui maiorem negant, licet fortissimum sit contra eos qui concedunt illam. Sed nemo probare potest Polygamiam esse iuri naturæ oppositam: ideoque nos non vrget.

47.

*Infirma tamen ratione.*

Sed factum Osee aliquantulum perpendamus, & quod sæpè docet Caramuel reuoluamus. Iussit Deus Osee assumere mulierem fornicariam, & facere sibi filios fornicationum. Ergo iussit ad mulierem fornicariam accedere, & filios ex ea gignere sibi fornicando; ergo dispensauit in sexto Præcepto. Solutiones Siluij, & aliorum, impugnat, & tandem ait: *Si non esset Sacra scriptura adamantina, frangeretur tam violentè obtorta.* Tormentum pati Sacram scripturam à Siluio & aliis probat, quia volunt intelligere in alium sensum quam sonent verba grammaticalia; illa enim verba, sume tibi mulierem fornicariam, sic intelligunt, quæ antequam à te assumatur meretrix sit. Et hoc illi videtur esse violentum sacro textui; meo tamen iudicio, quod pio lectori submitto, maiorem à Caramuele torturam, Sacram paginam sustinere, videtur manifestum. Nam Caramuel vult textum sacrum præcipere Osee, vt mulierem istam fornicando cognoscat, & postquam eam assumpserit, & filios ex ea habuerit, meretricium exercere permittat. Quis non videat maiorem violentiam inferre textui sacro, imò iniuriam, hanc Caramuelis interpretationem? Prosequitur textus: *Fac tibi filios fornicationum.* Et fieri iniuriam scripturæ vult Caramuel si hoc intelligatur non de fornicatione strictè sumpta, sed lato modo: quia solent dici filij meretricis, qui matrem habent quæ aliquantò

*Polygamia non est iuri natura opposita.*

48.

*Perpenditur factum Osee, & argumentum ex ipso pro Caram. proponitur.*

Siluius & alij mulierem fornicariam. Eam qua tantum antequam sumeretur, meretrix esset intelligentes, torquet scripturam iuxta Caram. sed imò ipse torquet.

fuerit meretrix publica, licet postea iam sit vxorata : nullam vero fieri iniuriam dicendo filios debere nasci ex actu fornicario ? Si nomen *vxoris* intelligatur de scorto, nulla fit iniuria : si verò sumatur pro vera vxore, fit sacro textui iniuria ? Si nomen *fornicationis* non sumatur in rigore grammaticali, fit violentia scripturae : si verò nomen *vxoris* sumatur propriè, & in eodem rigore, sacrae paginae violentia infertur ? non video cur tam variè. Igitur cum vtrumque verbum intelligere in stricta & propria significatione sit impossibile, vnum latè, aliud strictè est interpretandum, & intelligendum. Nulla autem est ratio cur nomen *vxoris* sumatur pro concubina, at nomen fornicationis ex antecedentibus & consequentibus, non possit in sensibus suprapositis intelligi. Ergo.

49.

*Scriptura  
semper in be  
nigniore sen  
sum, & sine  
miraculorū  
multiplica  
tione inter  
pretanda est.*

Quibus adde, quod semper scriptura in benigniorem sensum & sine multiplicatione miraculorum est interpretanda : facilius autem intelligitur, Deum præcepisse Oseæ vt mulierem meretricem acciperet sibi in vxorem, & ex ea filios sibi generaret, qui ex nomine Matris filij fornicationum appellarentur, quàm dicere quod Deus præcepit illi vt fornicationem committeret, vt per se patet. Non est ergo opus recurrere ad dispensationem, quando alia faciliori via scriptura intellecta, & illæsa manet.

## §. VII.

## De septimo Præcepto.

50.

*Pro Israëlitis  
Ægyptios  
exspoliandi  
bus, Deum  
in septimo  
Præcepto di  
spensasse pu  
tat evidens,  
Caram.  
Nullo tamen  
capite minùs  
evidens est.  
Plures causa  
Israelitas à  
furto excu  
santes.*

**I**N hoc est evidens Deum dispensasse ( ait Caram. ) in Israëlitis expoliantibus Ægyptios. Et quia licet multæ historiae factæ sint, ex quibus hoc probari possit, nulla est ita clarior, aliàs omittit. Ego dico in nullo Præcepto fortius probatur, Deum non dispensasse, quàm in isto. Sunt enim sexcenta capita vnde Israelitæ possunt excusari à furto. Primò ratione belli, titulo repessalium. Secundò ratione compensationis ob tyrannicam seruitutem. Tertiò ratione damni illati in occisione paruulorum. Tandem ex translatione dominij ( quocum non fore furtum concedit ipse Caramuel in schol. ad regul. benedict. vt videbimus, concedit enim Deum posse facere, vt quis spoliet alium. sine

sine furto) quia in nulla alia materia est tam clarum, Deum ut Dominum absolutum, posse disponere. Quia de iure *natura* omnia creata sunt à Deo communia, & distributio bonorum inter homines iure gentium introducta est Ergo remanet apud Deum de iure *naturæ*, tale dominium, quo possit huic vel alteri dare, quod voluerit sine dispensatione in lege *naturæ*. Non enim facit quod Petrus possit auferre aliquid, cuius dominium sit penes Ioannem, sed solum transferendo dominium Ioannis in Petrum, quod est diuersum. Nam Deus est magis Dominus bonorum Ioannis, quam ipse Ioannes. Et utitur in iure suo; & Deo volente non potest Ioannes esse rationabiliter inuitus, si Petrus ab eo aliquid auferebat; ac per consequens non remanet essentia furti. Eo enim ipso quo Deus concedere voluit Petro talem facultatem circa Ioannis bona, si Ioannes esset inuitus, operaretur contra rectam rationem, atque adeò contra legem *naturæ*. Itaque antea obligabatur Petrus, lege *naturæ*, ad non auferendam Ioanni pecuniam, v. g. Nunc verò, non Petrus, sed Ioannes lege *naturæ* obligatur ad dandam Ioanni pecuniam, vel permittendum, ut illam sibi sumat. Quia Deus, qui est iure ipso *naturæ* superior Dominus, sic voluit; nec potest aliquid irrationabiliter, aut contra rationem rectam velle.

Roboratur ex doctrina Caramuelis. Fund. 59. inquit enim: *Furtum est acceptio rei alienæ inuito Domino. Qui est immeritò inuitus virtualiter est non inuitus.* At; quis dicet Deo disponente, ut ego auferam Petro pecuniam quâ habet, Petrum non fore immeritò inuitum? Ergo erit virtualiter non inuitus. Ergo non potest remanere furtum. Aliud enim est (inquit Caramuel in schol. ad reg. benedict. num 141.) Deum potuisse facere ut Hebræi spoliassent Ægyptios sine furto; aliud, & omninò diuersum Deum potuisse facere quod furtum priuatâ authoritate commissum non sit peccatum. Hoc secundum, dico esse impossibile, quidquid ipse dicat. Nam eo ipso quo Deus concedat, ut quis auferat ab alio pecuniam, iste non erit rationabiliter inuitus. Ergo non potest facere Deus, ut positâ suâ voluntate remaneat furtum. Vnde non benè infert loco citato Caramuel, quod ex hypothese (possibilis sit ipsa, aut non) quòd Deus in secunda tabula legis suæ, dispensasset, cæteris manentibus ut nunc, spo-

51.

*Definitio furti ex Caramuelo.*

*Immeritò inuitus virtualiter est non inuitus.*

*Deo concedente, ut auferam, immeritò inuitus est ille à quo aufero: unde furtum intelligi nequit.*

liatio, quam perpeffi sunt Ægyptij, fuiffet furtum. Nam Deo concedente non potest supponi, quòd fpoliatio remaneat vt nunc: ergo neque potest remanere furtum. Nam ante concessionem Dei ided erat furtum, quia Domini erant rationabiliter inuiti, & irationabiliter fpoliati: at Deo concedente fpoliationem & rationabiliter fpoliati, & irrationabiliter inuiti funt. Atque aded virtualiter non inuiti. Ergo non potest remanere furtum in effe furti pofitâ Dei dispensatione, licet cætera præcepta remanerent vt nunc, quia furtum essentialiter importat, rationabiliter effe dominum inuitum.

## VIII.

## De octauo Præcepto.

52.

Dei licet non  
mentiri di-  
fpenfare poffe  
in mendacio  
Caram. doce-  
ret; fed di-  
fpenfaffe, actu  
non inuenit.

Poffe Deum dispensare, non negabunt qui aufi funt afferere, Deum poffe mentiri. Sed quia nimis durum iudicatur hoc à Caramuele, tenet Deum non poffe mentiri, bene tamen poffe dispensare in mendacio. Fatetur tamen fe non inuenire instantiam fortem ad probandum Deum de facto dispensaffe. Hæc tota Caramuelis probatio.

53.

Affertio ta-  
men caret  
ratione, &  
authoritate.  
Si poffet Deus  
dispensare in  
mendacio,  
multi funt  
textus vnde  
probaretur  
actualis di-  
fpenfatio.  
Si Deus poffet  
mendaciũ  
præcipere,  
poffet mora-  
liter men-  
tiri.  
Qua Deus  
præcipere po-  
teft, potest  
etiam consu-  
lere.

Hæc assertio, cuiusque probatio nulla est, ratione enim caret & authore. Apud Thomistas enim & Scotistas eximitur mendacium à Dei dispensatione. Si poffet Deus in mendacio dispensare, cur non effet dicendum dispensaffe in facto Iacob, in Iudith, in obstetricibus. Adfunt ergo textus, quibus instari poffet actualis dispensatio, si effet possibilis. Cur enim Sanctos Viros, & mulieres, non excusaremus à peccato, cum laudabiles fuerint & mysteriofæ actiones, in quibus funt mentiti, & speciali Spiritus sancti inspiratione moti, ad illa verba proferenda, quibus videntur mentiri? Si Deus potest mendacium præcipere, rectè videtur fequi poffe saltem moraliter mentiti. Quia quæ Deus potest consulere, potest facere & præcipere. Qui consulit homicidium, & qui præcipit est homicida moralis: ergo qui consulit mendacio erit moralis mentitor. Quod Deo, Physicè & moraliter repugnat.

54.

Confirmo ex doctrina Caramuelis, Deum non poffe dispensare

spensare in octavo Præcepto. Dubitat Caramuel an Deus possit præcipere alicui, vt se infamet: & negatiuè respondet. Non quia Deus non possit, alicui præcipere, vt faciat hanc, vel illam actionem, quæ hodie æstimatur infamia; sed quia eo ipso quòd à Deo talis actio præciperetur, non esset infame, sed gloriosum, illam facere. Admitto illam doctrinam Caramuelis, immò illam confirmo. Quia de facto hodie gloriosum est, iniurias, & contumelias pati, non aliâ ratione nisi quia Deus ita ordinauit, & statuit. Gloriosum est parcere inimicis alapasque sustinere, non aliâ ratione, nisi quia Deus hoc præcepit; dicens, *Ego autem dico vobis*, &c. Ergo eodem modo possumus dicere Deum non posse facere, vt ea, quæ ipse dicit, vel dicere facit, vera non sint: quia verbum veritatis est, & implicat vt non faciat quod dicit.

Rursus: Ergo sicut Deus, non potest facere, vt id quod dicit, sit infamia, ita Deus non potest facere, vt id quod præcipit sit contra rationem. Vnde si mendacium est contra rationem, illud præcipere non potest; vel si præcipere potest, non est contra rationem. Vnde sic concludo pro omnibus præceptis: lex naturalis in Deo, est ratio diuinæ sapientiæ iuxta S Thomam Deus nihil potest præcipere contra rationem diuinæ sapientiæ: ergo non potest dispensare in lege naturali, sed eo ipso quo aliquid præcipit, debet esse iuxta rectam rationem, sicut eo ipso quòd aliquid præcipit non potest esse contra bonam famam.

§. IX.

De nono & decimo Præcepto.

Videtur materia aliorum præceptorum reassumi: atque aded ex iis, quæ dicta sunt constat quid dicendum sit: ita ille; ita & ego. Sed addo: quod in lege veteri non ita erat explicatum obiectum horum præceptorum; & Christus Dominus ea explicuit, in Euangelio perficiens, non soluens legem. Vnde communiter DD. asserunt, quòd lege veteri non præcipientur actus interni castitatis, seu desideria nocendi proximo. Christus dixit, *audistis quia dictum est non machaberis, ego autem dico, qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam*, &c. Vbi

nota

*Vitioribus confirmatur, Deum non posse dispensare in 8. præcepto. Nequit Deus cuiuspiam præcipere, vt se infamet: eo enim ipso quòd aliquid ex præcepto diuino fit gloriosum est non infame.*

55.

*Deus non potest dispensare in lege naturali.*

56.

*In nono & decimo præcepto constat ex dictis impossibile esse dispensationem.*

*Ex præcepta Christus in Euangelio explicuit perficiens, non soluens.*

*Lex veteris non præcipientur actus internos castitatis.*

*Desiderium  
nocendi pro-  
ximo iudica-  
tur, à Ber-  
nardo malū  
intrinsecè,  
& indispē-  
sabile.*

nota notanter hoc desiderium à S. Bernardo iudicari, tam intrinsecè malum, vt à Deo dispensari non posse affirmet. Ex quo probabo statim S. Bernardum non esse pro sententia Caramuelis.

## §. X.

*An S. Bernardus faueat sententiæ Caramuelis.*

57.

*S. Bernardus  
non pertra-  
ctauit qua-  
stionem istam  
ex professo.*

*Certum est  
tamen Ber-  
nardum ad  
omnia qua  
Caram. dicit  
duci non pos-  
se.*

**I**N primis aduerto, S. Bernardum non pertractasse quæstionem lex professo. Loco enim à Caramuele citato agit de dispensationibus quæ à Prælatiſ Ord. Cisterciens. solent in Regulis Religionum concedi, quæ potius sunt licentiæ quàm dispensationes rigorosæ, de quibus loquimur. Et nihilominus, occasione huius quæstionis, doctrinam tradit, quæ videtur fauere sententiæ Caramuelis. Sed non posse doctrinam Bernardi, extendi ad omnia quæ intentat Caramuel, mihi certissimum videtur.

58.

*Verba Ber-  
nardi.  
Supponit Sæ-  
tus triplicem  
necessitatem  
in præceptis.*

Transcribamus verba Bernardi, quæ videntur sententiæ Caramuelis fauere. Conferamus cum illis, conclusiones quas infert. Conferamus & quæ à nobis notata sunt, quæ ipse omisit; & videbimus, Bernardum pro nobis esse, & à Caramuele dissentire. Sic habet disputans de obedientia religiosorum, & regula S. Benedicti; ad quam elucidandam quæstionem supponit hanc doctrinam, vt patet ex verbis suppositis his, &c. supponit ergo triplicem inuiolabilitatem, seu necessitatem in præceptis, his verbis. *Necessarium, deinde quod inuiolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed diuinitus promulgatum nisi à Deo qui tradidit mutari omninò non patitur, vt exempli causa, non occides, non machaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabule legis scita: quæ etsi nullam prorsus dispensationem humanam admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo soluere aut licuit, aut licebit: Deus tamen horum quod voluit, & quando voluit soluit. Sive quando ab Hebræis Exodi 39. Ægyptios expoliari, siue quando Prophetam cum muliere fornicaria Osee 1. misceri præcepit. Quorum utique alterum, quid nisi graue furti facinus, alterum, quid nisi flagitij turpitudine putaretur, si non excusaret utrumque factum, authoritas imperantis? Sanè ubi simile aliquid aliquando à Sanctis homini-*  
*bus*

bus fuisse legitur usurpatum, scriptura non indicante quod Deus ita praeceperit, aut eos peccasse fatendum est, sicut homines; aut certe sicut Prophetas familiare Dei consilium accepisse. Unde & unum exemplum pono, quod occurrit de Samsone qui Iudic. 16. v. 9. se ipsum unâ cum hostibus opprimens interfecit. Quod utique factum, si defenditur non fuisse peccatum priuatum habuisse consilium indubitanter credendum est, etiamsi de scriptura hoc non habeamus.

Iam verò necessarium incommutabile quid accipi velimus. Et quidem nihil congruentius quàm quod diuinâ ita constaret, aeternâ ratione firmatum, ut nulla, ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis dominici in monte habiti spiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, ceterisque alijs virtutibus tam in nouo quàm in veteri Testamento spiritualiter obseruandum contraditur. Hac quippe talia sunt, qua nec liceat nec expediat aliquando non haberi. Do siquidem moraliter qua & naturaliter bona nunquam nisi innocenter, nunquam nisi salubriter aut imperantur, aut obseruantur. Omni tempore, omni personâ, mortem contempta, custodita salutem operantur. Primam ergo necessitatem sua cuique facit in promittendo voluntas: secundam praeipientis autoritas: Tertiam praecepti dignitas. Differunt autem, ut iam dictum est quibusdam à se inuicem gradibus, tres ista necessitates, nec una omnes sequitur immutabilitatis firmitas. Nam ex prima quidem quod efficitur, etsi non penitus immutabile, tamen vix mutabile esse constat, dum solis illud liceat mutare Pralatis, & hoc non nisi fideli & prouidâ dispensatione. Quod verò fit ex sequenti, quae & maior illa est penè iam incommutabiliter: soli quippe Deo esse mutabile superius demonstratum est. Porro quod de nouissima fit tanquam omnium maxima omninò immutabile est, ut potè quod ne ipsi quidem Deo mutare liberum est. Quod igitur nulli hominum fas est nisi solis mutare Pralatis, dici vix mutabile congruè potest: Quod soli constat licere Deo, dicatur penè immutabile: Quod ne ipsi quidem Deo penitus immutabile nominetur. Hac Bernardus ex quibus has conclusiones infert Caramuel.

Prima, tam clarè D Bernardus posse Deum in secunda tabula

G dispensare

Conclusiones  
ex Bernardi  
doctrina, à  
Caram. de-  
ductæ.

dispensare asseruit, vt probabiliter in oppositam sententiam re-  
torqueri non possit.

Secunda, tam clarè idem mellifluus Doctor posse Deum in  
prima tabula dispensare negat, vt probabiliter exponi non possit  
in aliquo sensu, Deum non posse in illa dispensare, asseramus.

Tertia, putamus sufficere, si cum agimus de primæ tabulæ  
dispensatione, de contraria exponatur.

60.

1. & 2. con-  
clusiones Ca-  
ram. ex tex-  
tu Bernardi  
clarè inferri  
supponit:  
3. aliundè  
probat.

Ad primam & secundam conclusionem probandam, non  
assumit specialia verba Bernardi, sed supponit clarissimè ex to-  
to textu colligi. Tertiam non ex textu, sed ex captu suo, sic  
roborat, aut declarat. Quia tamen videatur Deus non posse  
sui odium, periurium, aut contemptum præcipere; non appa-  
ret cur debeat præcipere amorem, iuramentum verum, aut cul-  
tum; sicut non apparet cur non possit amorem iuramenta etiam  
vera, & vniuersum cultum inhibere.

61.

Alia tres  
conclusiones  
Caram. op-  
posita proban-  
tur ex Ber-  
nard. è cuius  
textu, non  
nihil ille præ-  
termisit.

Contra istas alias tres conclusiones edissero. Et probare con-  
tendo, ex textu S. Bernardi: aliquid enim ex illo omisit Cara-  
muel. Prima, non tam clarè Bernardus docet, posse Deum in  
tota secunda tabula dispensare, vt probabiliter in oppositam sen-  
tentiam inflecti non possit. Imò tam clarè docet in aliquibus  
præceptis secundæ tabulæ dispensare non posse, vt sine violen-  
tia non possit in aliam partem inflecti.

Secunda, tam clarè mellifluus Doctor, posse Deum in pri-  
ma tabula dispensare negat, vt probabiliter exponi non possit,  
si in aliquo sensu dispensari posse dicatur.

Tertia, putamus non sufficere cum agit de primæ tabulæ di-  
spensatione, si de contraria intelligatur. Et licet de sola contra-  
ria intelligeretur, putamus doctrinam Caramuelis opponi melli-  
fluos Patri.

60.

Probabile est.  
S. Bernardum  
docuisse sen-  
tentiam, ne-  
gantem di-  
spensationis  
possibilitatè  
in præceptis  
secundæ ta-  
bulæ.

Probatio nostrarum conclusionum ex impugnatione conclu-  
sionum Caramuelis constabit. Prima Caramuelis positio euiden-  
ter est falsa, & contra Caramuelis doctrinam. Sic arguo; illud  
est probabile quod Doctorum assertionibus fulcitur, sed men-  
tem Bernardi probabiliter posse in sententiam negantem di-  
spensationem adduci, est opinio plusquam quatuor Doctorum.  
Ergo falsa est positio asserens non posse probabiliter in senten-  
tiam contrariam inflecti: Maior est Caramuelis & qui dubitat,  
legat

legat illum in Theologia fundamentali, & in Epist. ad Bossium, & alibi sæpè. Minor est evidens: nam ipso Caramuele attestante, Ioannes Præposit. Franc. Siluius, Vasquez, & Suar. sic mentem Bernardi intelligunt, vt non de dispensatione aliqua, sed de mutatione materiæ locutus sit. Quibus præmissis consequentia est euidentiissima.

Deinde probo ratione non aliunde quàm ex textu Sancti Patris petitâ. Aduerto in primis, S. Doct̃or licèt aliquando vtatur verbo *dispensationis*, tamen cum peruenit ad resolutionem vtitur verbo *mutationis*, & *immutabilitatis*; mutare autem materiam intelligendum esse, vel ex eo probabiliter colligitur, quod de eisdem rebus, ait, posse à Deo mutari, & non posse mutari præcepta. At hæc sunt contradictoria: ergo cum dicit posse mutari, de mutatione materiæ probabiliter intelligetur; Anteced. probo hoc discursu. Omnis illa sermonis dominici in monte habiti spiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, tam in nouo, quàm in veteri testamento spiritualiter obseruandum contraditur, tale est, vt nulla ex causa, possit à Deo aliquatenus immutari. Sed in his comprehenduntur multa, quæ pertinent ad 5. 6. & 7. Præceptum secundæ tabulæ. Ergo cum Bernardus dicit hæc posse à Deo mutari, non improbabiler intelligitur, sed valdè probabiliter de mutatione, quæ non contradicit illi immutabilitati, quam in se continet, quæ est mutatio materiæ, vel inhabilitas personarum: Maior, melliflui Patris sunt verba; Minor est sacri textus cap. 5. Matth. vbi in ordine ad quintum declaratur inimicorum odium, in ordine ad sextum concupiscentia mulierum, declarantur à Christo esse mala, & ex ipso Bernardo satis clarè patet.

Hinc nostram conclusionem, probamus hoc syllogismo. Quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, in vtroque testamento traditur, est à Deo immutabile. At pertinere ad dilectionem, non odio habere inimicos, non occidere proximum, non mæchari ad castitatem, non furari ad iustitiam, nemo negabit nisi stolidus: ergo S. Pater clarè docet multa pertinentia ad tabulam secundam, non posse à Deo dispensari. Quod ita clarum est, vt violentia manifestissima inferatur textui mellifluis, si aliter interpretetur.

63.

Amplius roboratur id ipsum ex textu Bernardi.

64.

Clarè ostenditur, dispensationem negasse Bernardum respectu multorum, qua ad primam tabulam spectant.

65.

Bernardus  
nomine di-  
spensationis  
intelligit, di-  
cretionem  
inter præce-  
pta ex nobili-  
tate finit.

Præterea S. Doctor per *mutationem* seu dispensationem non intelligere abrogationem Præcepti, sed discretionem inter duo præcepta, declarando quodnam ex duobus præceptis obseruandum, quòdve relinquendum, quod sit maius minusve, vt sic sciatur, cui standum sit, colligitur tam ex verbis, quæ ipse Caramuel citat, quàm ex verbis quæ omittit. *Expoliatio Hebræorum, & commixtio cum muliere fornicaria* (inquit Bernardus) *quid nisi furti facinus, & flagitiij turpitudine fuissent, nisi excusaret imperantis auctoritas.* Ergo supponit duo Præcepta, primum generale non occidendi, non furandi, non fornicandi; aliud particulare & speciale occidendi, auferendi rem alienam, accedendi ad mulierem hoc enim significat *Imperantis auctoritas* quo soluuntur ab illa generali lege illi homines, quibus speciale Mandatum, vel inspiratio conceditur. Nunc sic; hoc secundum Præceptum non fit à Deo sine fine aliquo, aliàs non obligaret: ergo quod auctoritas Dei mihi hoc præcipientis obligat, vt credam altiori fine ab illo quo præceptum generale latum est, hoc præcipi. Vnde præceptum secundum est maius, & nobilius, & ideò hoc teneor, illo soluo; ideòque, ait Sanctus, Deum quando vult & quomodo vult, soluit, quia nunquam vult aliquid, nisi iuxta rectam rationem, & voluntatem, in qua consistit lex naturalis; & sic legem naturæ non soluit, sed perficit, atque stabilis.

66.

Verba Ber-  
nardi, à Ca-  
ram. omiffa.

Et vt mentem Bernardi esse istam videas lector beneuole, verba illius audi eod. lib. omiffa à Caramuele. *Enimverò Mandatum Dei est, non occides. Fac ergo duos homicidas, & vnum quidem expoliandi cupiditate, alterum verò necessitate se ipsum defendendi, facinus perpetrasse. An non hic satis euidenter inter lepram, & lepram, causa separat, faciens utique disparem valde culpam vnius eiusdemque transgressionis, &c.* Et postea. *Nihil, deinceps incestius obscæniusve quàm illas filias Loth, paternum vsurpasse concubitum: & tamen quis non videat quantum euacuerit, vel attenuauerit turpis nefandique reatum flagitiij, pietatis intentionis, & intentio pietatis.*

67.

Ecce quomodo Sanctus, primò sine recurfu ad dispensationem diuinam, ex duobus Præceptis, vel ex duabus actionibus, contra idem Præceptum, aliam vel nullam culpam (non enim crediderim Sanctum sentire, peccare illum qui sese defendendo occidit

occidit alterum) vel saltem minorem esse asserit, iuxta rationem homicidium ex liuore perpetratum ab homicidio in defensionem. Et cur, nisi quia iuxta rationem teneor ad conseruandam vitam meam, prius quàm vitam Proximi, ideóque non pecco occidendo proximum me inuadentem, pecco autem si illum ex ambitione expoliandi occidam.

Deinde euacuauit, vel attenunauit malitiam incestus, intentione pietatis filiarum Loth. Non magis ad diminuendam malitiam, quàm ad euacuandam, requiritur à te Dei dispensatio. At S. Doctor. hic non docet Deum dispensasse, sed ex intentione pietatis illam malitiam vel euacuatam, vel attenuatam dicit, quia putauerunt filix Loth maius bonum esse conseruare genus humanum, quàm abstinere se, à concubitu cum Patre; si ergo quando ex erronea conscientia, quia bona intentione præfero vnum alteri sine dispensatione, non pecco: quando non solum ex intentione, sed ex certa fide vel scientia præfero, quod à Deo præcipitur præferendum sine dispensatione, sed ratione nobilioris præcepti adimplendi, deobligabor minori. Nemo enim dixit dispensari in aliqua lege, quando præcepto superiori, vel strictiori, à minus stricto, vel minus nobili soluor.

Iterum ex Bernardo discursum meum confirmo. Prosequitur sic. *Iam verò de illo qui præcipit, & de eo quod præcipitur huiusmodi aduertenda erit, secundum rationem, distinctio, ut cuius inter Præceptorum reuerentior nobis imminet authoritas, huius grauior formidetur offensio, ac maioris cuiuscumque Mandati transgressio damnabilior æstimetur. Melius siquidem est, obedire Deo quàm hominibus, & ipsis melius magistris quàm condiscipulis porro in magistris: Melius nostris, quàm extraneis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis proculdubio & non obedire detestabilius est.* Ergo ex duobus Præceptis, altero hominum, altero Dei, huic obediendum est circa eandem materiam. Vnde si solum est Præceptum hominum non occidere, & Deus occidere præciperet, Deo potius quàm hominibus, esset obediendum, (inquit Bernard.) & hoc non esset dispensare præcepto hominum; sed ipsâ ratione dictante teneri diuino, deobligarique humano Præcepto. Quia ad hoc non requiritur scientia Præcepti inferioris, sicut ad di-

68.

*Intentio pietatis filiarum Loth euacuit, vel attenunauit malitiam incestus ex Bernardo.*

*Quando ratione Præcepti nobilioris à minus nobili soluor, non intercedit dispensatio.*

69.

*Idem ex aliis Bernardi verbis suadetur.*

spensationem. Si enim per impossibile, Deus nesciret ab homine prohibitum homicidium, tenerer ego ad occidendum, Deo contrarium præcipiente, vt patet in duobus Præceptis humanis. Nesciente Pontifice, te aliquid in tua Diœcesi præcepisse, contrariam legem ferat: dispensâtne in lege tua? Minimè, tenentur subditi lege tuâ? Minus. Quare? non aliâ ratione, nisi quia ex duobus superioribus maior est autoritas Papæ imperantis, & detestabilior offensa & ex duobus malis minus est eligendum. Et eadem doctrina militat quando duo præcepta eiusdem superioris contraria occurrunt: nam sine dispensatione cessat minus nobile, viget nobilius. Ergo in Dei præceptis id docet mellifluus Doctor esse obseruandum.

Audi nunc quæ ad propositum addat immediatè Bernardus ibidem. *Est de Mandatis similiter: maioribus quippe maior, minoribus minor opera nostra & cura debetur. De quorum etiam contemptu iuxta eandem considerationem, grauior, leuiorve offensa contrahitur. Porro maiora minoræque Mandata dixerim, secundum quod maius minusve velle constiterit illum, qui præcipit, siue hominem, siue Deum.* Nota obiter hic non sumi illud velle pro libito: non enim hoc potest facere, vt Mandatum de nobiliori virtute sit minus, ex sententia Caramuelis: sed pro placere vel displicere iuxta æquam rationem. Vnde subdit. *Est v. g. Mandatum non furaberis, & est Mandatum, omni petenti da: utrumque quidem magnum, utrumque diuinum; sed de non furando maius. Quis enim nesciat aquisimo Deo non aequè displicere tenaces, atque fures. Et quia de duobus malis plus velit tenere nostra, quàm tollere aliena: & ita minus peccare qui non tribuit sua, quàm qui non sua furatur.* Vides quomodo Bernardus ex duobus præceptis maius præferendum minori doceat, & ex duobus malis, minus peccare qui minus malum eligit, ex ipsamet recta ratione, quin adsit dispensatio diuina. Vnde sequitur quod concurrentibus duobus præceptis, si impossibilia sint, necessariò ex mente Bernardi sequitur, non peccare qui maiori obedit: atque aded esse absque dispensatione aliqua à præcepto minori solutum. Si enim vel furandum esset, vel propria non largiendum, magis peccaret qui furaretur, quàm qui propria non largiretur. Hæc mens Bernardi: Ergo cum Deus  
p ræcipit

Præcipit aliquid quod videtur contra ea, quæ præcepta iam sunt, non dispensat in lege naturæ, sed soluit ab illo generali præcepto, superiori, vel nobiliori lege naturæ non abrogata, sed potius firmata, quæ docet ex duobus præceptis, nobiliori esse obediendum. Licet ut superius, & sæpius dixi, etiam posito Præcepto præcipiente aliquam actionem materialem, v. g. homicidium, potest ab homine fieri cum peccato, nam Deus non potest præcipere fieri homicidium ex odio Proximi, quia, esset contra dilectionem, quæ indispensabilis est ex Bernardo, & homo licet Deus ei præcipiat homicidium, potest illud perpetrare cum odio, & peccabit sine dubio. Et hoc dicimus non posse Deum facere, quod peccatum non sit. Vnde cum præcipit ex altiori fine homicidium, non dispensat in quinto præcepto, quia non dat facultatem occidendi cum odio, sed propter superiorum finem, quo stante lex naturalis dicit illud esse perpetrandum. Exemplo sint historiae Abraham & Gehu Illi, præcepit Deus filium occidere, alteri præcepit delere Achab: Abrahami extollitur obedientia, & præmio donatur divino, Gehu minatur homicidium. Et vnde tanta differentia? Quia Abraham eâ intentione obediendi superiori Dei præcepto voluit occidere filium; Gehu verò ex ambitione, & affectu regnandi, & odio aduersus Achab, Dei præcepto vsus est. Ergo si Abraham voluisset occidere filium ex odio, peccasset etiam, & contra quod præceptum? Non contra quintum iuxta Caramuelem quia in illo dispensauerat Deus, ergo contra nullum. Vel ergo aliquid esset malum independenter à præcepto, vel dicendum est Deum non dispensasse in quinto, vbi prohibetur homicidium ex odio. Adde Bernardum expressè docere, Deum non posse dispensare in mendacio. Ergo aliquid pertinens ad secundam tabulam censet à Deo esse indispensabile.

*Etiamsi Deus, homicidium præcipiat, potest fieri cum peccato, si ex odio aggredatur.*

*Etiamsi cum Deus homicidium præcipit, non dispensat in quinto Præcepto.*

Secunda conclusio Caramuelis, etiam falsa est, & contra mentem eiusdem Bernardi. Evidentissimè patet ex eiusdem verbis. *Quod diuinâ, inquit, ita constaret autoritate firmatum, ut nulla ex causa possit nec ab ipso Deo aliquatenus immutari.* Quid est nullâ causâ posse à Deo aliquatenus immutari, nisi nullo modo posse à Deo immutari nullâ causâ, nulla ratione? & Caramuel docet, verba Bernardi esse vera, si dicatur aliquo

70.  
*Impugnatur 2. conclus. Caram. probatur 2. conclusio nostra ex Bernard.*

aliquo pacto vel aliquatenus posse immutari. Contradictoria profecto sunt, nulla ex causa posse immutari, aliqua ex causa posse immutari. Non posse aliquatenus immutari, & posse aliquatenus immutari. Ergo Bernardum contrarium habet, qui asserit posse aliquatenus, seu aliquo modo ab ipso Deo, quæ pertinent ad primam tabulam immutari. Bernardus subdit: *Omni tempore, omni persona, si contemnantur ista, mortem; si custodiantur salutem operari.* Caramuel dicit quod licet aliquo tempore & ab aliqua persona non custodiantur, operantur mortem, & licet custodiantur posse non operari salutem.

71.

Clarissimè  
Bernard. negat Deum posse aliqua ratione in prima tabula dispensare.

Tandem per te, Bernardus admittit dispensationem eorum quæ ad secundam tabulam pertinent non verò eorum quæ ad primam pertinent. Quæ sunt contradictoria & apud Bernardum, sunt absolutæ propositiones: & postea vis limitare doctrinam Bernardi, ut in ordine ad secundam dicat, dispensari posse permissivè, contradictoriè, & contrariè; in ordine ad primum omittere Bernardum primam & secundam dispensationem, & de ea negativè seu præscindendo, & solum negare contrariam. Ergo dicendum est, ut dicimus in secunda nostra conclusione Bernardum clarissimè docere nullo modo posse Deum in his, quæ vocat penitus immutabilia dispensare.

72.

Cum Bernard de prima tabula dispensatione loquitur, non sufficienter de contraria intelligitur, sed debet de omni dispensatione exaudiri.

Tertia conclusio Caramuelis contra S. Bernardum & Contra ipsum Caramuelem militat. Non sufficere si cum agit de primæ tabulæ dispensatione quod de contraria intelligatur, dicimus. Et patet. Tum quia negat de prima quod concedit de secunda, aliàs non rectè negaret: ergo si respectu secundæ intelligatur, de omni dispensatione, respectu primæ, etiam de omni intelligendus est. Secundò: Quia Sanctus Bernardus expressè docet nulla ex causa, nullo tempore, nullatenus, seu non aliquatenus, nec licere expedire his carere, & non habere. Ergo loquitur de dispensatione contradictoria est evidens: nam dispensatio contradictoria, ea est quæ fertur in re fugienda omninò. At Bernardus dicit, nunquam licere carentiam illorum, ut patet ex illis verbis: *Hæc quippe talia sunt, quæ nec licet, nec expediat aliquando ea non habere.* Et in hoc, ait Bernardus, Deum dispensare non posse. Ergo contra Bernardum est asserere Deum posse præcipere, ut ea non habeamus. Deinde contra mentem Caramuelis

muelis est. Nam ipse ex eo, ait, Bernardum sufficienter intelligi de dispensatione contraria: non de permissiua, neque contradictoria, quia sibi non occurrit ratio fortis in contrarium. At etiam fatetur se non inuenire rationem, cur etiam non possit contraria præcipere. Vnde eisdem verbis ait disp. concl. 18. putamus Deum non posse dispensare contrariè in præceptis primæ tabulæ. Putamus, inquam, quia non habemus aliquam sufficientem rationem. Ergo iudicat non esse euidentem rationem, cur Deus non possit contrariè dispensare sicut nec contradictoriè, aut permissiue. At ex eo dicit Bernardus non intelligi de dispensatione permissiua, neque contradictoria. Ergo etiam potest cum non intelligere de contraria; atque ad eò contra Bernardum sentit Deum posse dispensare in præceptis primæ tabulæ aliquo modo. Ergo vel Bernardo vale dicere tenetur, vel tenetur nobiscum sentire Deum, non posse in prima saltem tabula vlla ratione dispensare.

*Etsi de contraria dispensatione intelligitur adhuc Caram. aduersatur.*

Ex his, soluuntur facilè rationes quibus Caramuel vult ex Bernardo suam conclusionem stabilire. Prima apud ipsum hæc: Deus aliquando dispensauit, ergo dispensare potest: ab actu ad potentiam valet argumentum. Sed negamus antecedens, vnde ruit consequentia; neque Bernardus ponit exemplum in Abrahamo, vt patet ex eius textu, nec in periodis à Caramuele citatis: nam Deus in illo casu, vt dictum est, non mutando materiam, sed motiuum, rationem, aut finem præcepti id fecit; quo in casu vt diximus, cum duo sint Præcepta, circa eandem materiam sub diuersis motiuis, standum est præcepto nobiliori, seu perfectiori. Itaque Deus generaliter præcipit filios non occidere, & postea præcipit alicui filium occidere: contradictoria sunt ista præcepta: sed quia formalis ratio præcipiendi, seu motiuum diuersum est, non sunt contradictoria, quia non sunt idem, de eodem subiecto. Et quia pietas in Deum, secundi Præcepti motiuum est, primi verò pietas in Patrem; quæ minoris momenti est, ideò sine dispensatione vlla, cessat primum præceptum, & obligat secundum. [Et idem dicendum est cum proportionem de aliis præceptis, & exemplis illis, quibus vtitur Caramuel ex Bernardo de expoliatione Ægyptiorum, & de morte Samsonis, de coniunctione cum muliere fornicaria; vbi etiam aduertimus

73.

*Soluuntur rationes quibus Caram. pro se putat loqui Bernard.*

*Cum duo præcepta circa eandem materiam sub diuersis motiuis occurrunt, standum est nobiliori. Et hoc non ex dispensatione.*

*Præcepta non sunt contradictoria, cum diuersum est motiuum aut ratio formalis eorum.*

illam non fuisse nisi matrimonium, ut dictum est, & dicemus postea quæst. 3. ubi hæc iterum redibunt.

74.

*Quine præcepto putant Siluium & alij, solum prohiberi priuatam auctoritatem, & sine dominio homicidia.*

Sed immoror adhuc pro huius rei maiori declaratione, ex his, quæ contra Siluium, & alios, qui diuersis solutionibus argumentum soluere tentarunt, dicit Caramuel, clariorem intendo reddere meam solutionem. Negat Siluius, & alij, dispensasse Deum in præcepto quinto, cum iussit Abrahamo filium suum offerri in holocaustum, cum iussit Hebræis Ægyptios expoliare, cum Samsonem speciali instinctu mouit, ut se cum Philisthæis interimeret. Dicunt enim in Decalogi quinto Præcepto, non prohiberi quodcumque homicidium, sed illud quod fit sine legitima auctoritate aut pleno dominio, & propterea sensus Præcepti sit: non occides quemquam tuâ propria seu priuatâ auctoritate.

*Postrà Siluij doctrinâ esse falsam, nullio n. m. concedit Caram. illamque implicatoriam commiscere.*

Sed insurgit Caramuel; ergo Deus iussit ut nemo sine licentia occidat, & potest licitè hanc licentiam concedere. Cessat ergo quæstio, id enim ipsissimè (ait) se asserere. Nemo enim tam stolidus esse potest, ut dicat Deum posse dare licentiam occidendi priuatâ auctoritate, hoc est, sine superiorum licentia. Nam in tali dispensatione imbibuntur duo termini contradictorij, licentia, & non licentia hoc ipsum iterum, atque iterum inculcat, & omnia quæ addit explicatis terminis eodem redeunt.

*Sed fallitur, imò eodem vinculo quo Siluium ligare vult ipse tenetur.*

Ego in primis, vel logicam ignoro, vel Caramuel implicatoria connectit, si implicatoria est Siluij solutio, quamuis, ut dixi, ego eâ non utar. Ait, inquirimus, an possit Deus concedere (hoc est dare licentiam) ut aliquis aut innocentem, aut innoxium occidat. Ego percontor, an hoc intelligat, antequam Deus tulerit quintum Præceptum, vel eo lato. In sententia Caramuelis non erat peccatum ante latum præceptum occidere innocentem. Unde nemo indigebat licentiâ, ad occidendum innocentem. Si post legem non occidendi latam: Rogo quid eâ prohibitum sit, an prohibitum sit occidere innocentem etiam cum licentia vel solum intelligatur prohibitum occidere sine licentia? Quidquid dicas, eodem teneris vinculo quo vis nos ligare; si primum, ergo Deus non potest dispensare, quia etiam data licentia illicitum est homicidium innocentis. Si præcepit non occidere priuata auctoritate, hoc est sine licentia, quando dispensat concedit quod possit

possit occidere priuata autoritate, & sine licentia, aliàs non dispensat in præcepto prohibente occidere sine licentia. Nam occidere cum licentia prohibitum non est per te. Ergo duos terminos contradictorios imbibit hæc dispensatio, scilicet licentia & non licentia. Quidquid dicas poterit dicere Siluius, si rem ingenio tuo acutissimo sine passione perpendis.

Addo, à te non asseri quinto præcepto esse prohibitam occisionem innocentium. Sic enim habes in quinti præcepti declaratione. Respondent aliqui, hac lege solum prohiberi innocentium excidia. Sed perperam; quia si hoc verum esset peccatores possent priuata autoritate occidi, quod nemo prudenter admittit. Quid ergo? prohibetur homicidium directè volitum. Peccat, inquis, priuatus homo, si alium occidat directè; peccaret Respublica, si id faceret; vnde excusatur Respublica, quando perditos homines extremo supplicio destinat, quia directè non illorum mortem, sed suorum ciuium defensionem propugnat. Et eodem modo philosopharis de particulari homine ad sui defensionem occidente inuasorem, hoc sine dispensatione aliqua quinti præcepti.

*Negat Caram. quinto præcepto innocentium excidia vntari. Afferit prohiberi homicidia directè volita.*

Hinc, ego colligo cum tua bona licentia, Deum nunquam dispensare in quinto præcepto. Ad quod ostendendum scire volo an ista consequentia possit, ex tua doctrina formari: quinto præcepto prohibetur homicidium directè volitum; ergo priuatus homo potest occidere aliquem, ex cuius morte, aliquod magnum commodum certò sperat, quia commodum directè vult, mortem verò indirectè. Negabis, quia debet causa grauis adesse, & non qualibet sufficit, nec in cuiuslibet iudicio hoc deponendum est: ergo ad autoritatem superioris recurris, vel ad istam causam. Nunc audi: ergo quinto præcepto prohibetur homicidium directè & indirectè procuratum sine causa sufficiente, quæ à superiori iudicanda est nisi ipsa aliunde sit per se nota, concedis. Ergo interueniente tali causa, sine dispensatione vlla quinti Præcepti, potest aliquis occidi. Nunc dico, quando Deus præcepit Abrahamo filicidium, credendum est, ex causa, id fecisse: nam non stante iusta causa Deus non potest aliquem innocentem pœna aliqua afficere, & mors naturalis pœna est. Stante causa superiori non datur Præceptum non occidendi, immò

*Probatur ex ipsius Caram. doctrina Deum in quinto præcepto, imò & in ceteris nisi quam posse dispensare.*

neque dari potest, quia Deus non potest præcipere, vt innocens pœnâ mortis afficiatur, vt tu ipse asseris. Ergo nunquam dispensat Deus in quinto præcepto. Similiter de aliis præceptis, licet diuerso motiuo discurrendum est; non enim omnia ex eodem motiuo sunt contra rationem, nec eidem virtuti opponuntur.

75.

*Quinto præcepto prohibetur homicidium ex odio, & sine causa commissum; vnde omnino indispensabile est.*

Concluditur ergo quinto præcepto, prohiberi homicidium, ex odio proximi commissum, & sine causa sufficienter excusante, ideoque à Deo dispensari non posse: quia neque Deus potest præcipere, vt odio habeam proximum: est enim contra dilectionem iuxta Bern. à Deo indispensabilem; neque pœna aliqua aliquem afficere sine causa, quia esset innocentem punire. Manet ergo lex naturalis illæsa, salua, intacta, indispensabilis.

76.

*Leges non sunt æquales, & in concursu nobilior obtinet, iuxta Caram.*

*An eadem inæqualitas reperiat in legibus diuinis, & quare.*

*Non potest Deus facere vt præcepta secundæ tabulæ sint excellentiora primis.*

Pro Coronide, pono hunc discursum fundatum in doctrina Caramuelis sic habet fund. 22. Non sunt æquales leges, sed aliæ sunt nobiliores, aliæ minùs nobiles: & si concurrant, nobilior obtinere, & cedere debet inferior; lex Dei suprema est, nec cedit humanæ, aut Angelicæ. Rogo, an inter leges Dei sit constituendus iste ordo, respectu diuersorum Præceptorum? An sint æqualia omnia præcepta, an vnum altero nobilius? Si omnia dicas æqualia; ergo peccata omnia erunt paria; nam quæ æqualibus opponuntur, æqualia sunt: & hoc est hæresis. Si secundum; rogo vnde sumatur inæqualitas Præceptorum? An sit Deo liberum facere, quod præcepta secundæ tabulæ sint nobiliora primis? Si non est liberum; ergo malitia maior quæ reperitur in illis actibus est illis intrinseca; licet enim necessarium sit, vt lex præcedat, tamen ex suppositione legis, iam ex aliquo capite, non ex lege, illam malitiam habebunt. Liberum esse Deo facere vt præcepta secundæ tabulæ sint excellentiora, præceptis prioris tabulæ, quis non videat esse improbableem; nam quæ Deo opponuntur, necesse est (vt ait S. Thomas) maioris malitiæ esse quam quæ opponuntur hominibus.

QVÆSTIO III.

*An si Deus fornicationem non interdixisset, esset illa peccatum.*



ONSEQUENTER ad supradicta negat Caramuel, simplicem fornicationem esse intrinsecè malam independenter à lege Dei positiua libera : & nos etiam consequenter ad superiora firmissimè asserimus fore malam independenter à lege positiua libera Dei. Sed quia & specialiter & euidenter putat se hanc Thesim ostendere, specialiter examinanda est. Lib. ergo 4. Theol. Moral. Sic habet : *Si Deus non interdixisset fornicationem, non esset mala nec peccatum. Et ut puto euidenter ostendam. Nihilominus assero, etsi Deus non interdixisset fornicationem, esset moraliter mala & peccatum. Et ut puto, euidentissimè ostendam.* Primò demonstrando rationem Caramuelis non esse euidentem, vt ipse putat. Secundò communi Patrum consensu. Tertiò ab inconuenienti. Quartò ratione.

I.  
Simplex fornicatio mala est intrinsecè, independenter à lege positiua libera contra Caram.

*Prima Probatio.*

Ratio euidens Caramuelis est. Si copula inter solutos esset peccaminosa secundum se, vel esset quia mala ipsis, vel quia mala proli : neutrum dici potest, ergo. Non primum, quia aliquando est vtrique bona & salutifera, & licèt esset infalubris, dum non sit grauiter infalubris, non est grauiter mala. Non secundum : quia non est mala Physicè, cum tendat ad hominis generationem, & si occisor hominis iniurius est, generator beneficus dici debet. Nec recurri potest (inquit) ad educationem prolis ex cuius defectu, vel malitia, sequitur quod licèt non sit mala Physicè proli, erit mala moraliter ; nam occurritur quia mala educatio non ex fornicatione, sed sæpius ex paupertate oritur. Videmus enim filios Principum nothos benè educari ; malè verò filios legitimos pauperum. Quod si di-

2.  
Prima illius ratio diffinitur.

catur esse hoc per accidens, vrget sequitur quod per accidens potest contingere vt non peccent fornicantes: nā contingit sæpè, vt excusetur aliquis à peccato per aliquid quod per accidens euenit, quia cessat eo casu finis legis. V. g. per accidens est, vt quis ab alio inuadatur, & licet mihi indirectè, & per accidens inuaforem occidere, cessat enim per accidens obligatio seruandi vitam Proximi. Sed vbi prohibitio. ? ( inquit ) noua difficultas. Vbi enim dicitur *non mechaberis* Hebr. habet *non adulterabis*. Vnde solum videtur prohibitum adulteriū. Sed quia passim alibi in sacra pagina habetur quòd *fornicatio nec nominetur in nobis* & totus Patrum & DD. chorus in hoc conueniunt, quod omnis extramatrimonialis copula est peccatum mortale, prohibita censenda est. Hæc est tota Caramuelis ratio, suo iudicio, euidens; iudicio meo, multa congerens aut incerta, aut falsa.

3. Respondeo primò peccare argumentum, in ipsa terminorum connexionem. Sic arguit. Si esset mala secundum se vel esset

*Malum alteri, non ideo malum secundum se.*

quia esset mala proli, vel ipsis. Non video connexionem: quia non conuertuntur non est malum alteri, ergo non est malum secundum se: ratio enim formalis, quā aliquid est malum secundum se, non est, quia alteri est malum. Bonitas ipsa etiam est mala alteri nempe malitiæ, & non est mala in se. Frigiditas est mala calori, & calor frigiditati, & non sunt in se nec Physicè mala. Mendacium sæpè vtrique est bonum, & tamen est in se malum sicut ergo mendacium est secundum se malum, & sæpè est bonum dicenti & alij: potest esse mala fornicatio licet neque proli neque ipsis actoribus mala sit, sed bona. Vnde ad argumentum in forma negatur maior, quia malitia fornicationis non consistit in damno alterius, atque aded licet neutri sit mala, erit in se mala, sicut est malum mendacium independenter ab eo quod malum alteri inferat. Est ergo mala ob delectationem veneream, quam in se continet, quæ est inordinatissima secundum se considerata, vt dicam infra.

*Fornicatio mala secundum se, quoniam bona esset proli & circumferentibus.*

4.

Secundò respondeo non benè currere argumentum. Probat enim contra idipsum, quod supponit. Supponit esse prohibitam sexto præcepto. At si solum esset mala quia insalutifera ipsis concumbentibus, vel prolis educationi nociua, non esset contra sextum Præceptum, sed contra quartum in quo, præcipitur Parentibus

rentibus cura filiorum, vel contra quintum, in quo prohibetur ne quis sibi damnum inferat in vita vel salute. Concedenda est ergo aliqua malitia specialis quæ prohibeatur sexto Præcepto, aliàs dici posset sextum Præceptum esse frustraneum. Nam idem argumentum fieri posset de omnibus peccatis contra sextum præceptum. Quia nec Sodomia, nec Bestialitas, &c. erunt in se mala nisi in quantum nociua possunt esse actoribus. Contra quam malitiam non militat sextum Præceptum, sed aut quartum, aut quintum ut dictum est.

*Fornicatio speciali malitia & prohibitione careret, si solè mala esset, quia insalubris, vel proli nociua.*

Tertio respondeo malè inferri non esse intrinsecè malam, casu quo esset leuiter insalubris, & leuiter mala. Nam etiam mendacium non semper est graue peccatum, & semper est intrinsecè malum. Ut supra cum S. Thoma & Scoto vidimus.

5.  
*Fornicatio leuiter insalubris, grauius mala esset.*

Quarto. Argumentum probat minorem sine necessitate. Quia licèt vtrumque dicatur, non est intrinsecè mala fornicatio simplex. Ad quid ergo ponitur & probatur illa minor, sed neutrum dici potest: est enim æquè verum quod licèt vtrumque dicatur non est intrinsecè mala in tua sententia. Nam illa mala quæ infert concumbentibus, vel proli, non sunt mala intrinsecè, sed dependenter à Præcepto, pertinent enim ad præcepta secundæ tabulæ quorum obiecta, excepto mendacio, per te, non sunt intrinsecè mala. Vnde argumentum poterat sic institui. Si esset mala, vel esset mala proli, vel ipsis: sed licèt vtrumque dicatur non est intrinsecè mala, sed quia prohibita. Ergo nullo modo est mala intrinsecè. Ergo sine necessitate probatur illa Minor sed neutrum dici potest. Hoc euidens est. Vnde euidens est, non esse euidens, neque veram rationem Caramuelis.

6.

*Secunda Probatio.*

Fateris esse communem Sanctorum Patrum sententiam, omnem copulam extramatrimoniale esse illicitam. At nullus est qui dicat expressè esse illicitam quia prohibitam: imò omnes eisdem verbis quibus detestantur mendacium, detestantur etiam fornicationem, & ipsa vitia venerea. Et quia non possumus transcribere omnium Patrum testimonia, sufficiant pro omnibus, D. Augustinus, & S. Thomas. August. ergo sic habet in enchirid.

7.  
*Fornicatione & alia venerea, eisdem verbis ac mendacium Patres abhorrent.*

cap. 22. *Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt peccatum est. Neque idè ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendò. Possumus & furando alicui prodesse si pauper, cui palàm datur, sentit commodum, & dives cui clam auferitur non sentit incommodum; nec idè tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus prodesse & adulterando, si aliqua nisi ad hoc ei consentitur, appareat amando moritura, & si vixerit pœnitendo purganda; nec idè peccatum negabitur tale adulterium. Vide quomodo Augustinus mendacium & adulterium, imò furtum æquiparet; & illam tuam rationem retundat, vel est mala quia mala proli, &c. Nam licèt sit bona alteri, docet esse peccatum in se. Audi quæ addat. Si autem meritò nobis placet Castitas, quæso quid offendit veritas, ut propter alienam utilitatem, illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendò? Æquiparat igitur Sanctus, mendacium cum lasciviâ: illud ait opponi veritati; istam castitati. Nullamque esse rationem cur castitas non possit violari ob utilitatem Proximi, & veritas violari possit; ergo sentit tam intrinsecè malum esse adulterium contra castitatem, quàm mendacium contra veritatem, cum ex vno alterum inferatur. Imò Augustinus probat esse malum mendacium ex eo quod adulterium sit malum. Argumentum enim Augustini est; non est minus amabilis veritas quàm castitas. Sed hæc non est violanda propter utilitatem Proximi. Ergo neque illa: Clarè itaque sentit esse intrinsecè malam castitatis violationem, cum ex ea inferat esse malam intrinsecè violationem veritatis, aliàs nulla esset Augustini Logica omnibus meritò formidabilis.*

*Castitatis violationem esse intrinsecè malâ clarè docet Augustinus.*

8.

*Fornicationis malitiam intrinsecam probat sanctus Thomas.*

S. Thomas 2. 2. quæst. 54 art. 2. expressè dubitans an fornicatio sit ex se mala, expressè tenet affirmatiuam sententiam. At si solùm esset mala quia prohibita, facilè difficultatem excuteret dicendo esse malam quia prohibitam; ergo sentit esse ex se malam. Vnde ad 2. ait: *Fornicatio dicitur esse peccatum in quantum est contra rectam rationem.*

9.

*Eius ratio non probatur à Catam.*

Dices vix posse, principiis S. Thomæ stando, defendi simplicem fornicationem esse intrinsecè malam: nam ratio S. Thomæ ex ipsius Sancti Doctoris mente non subsistit. Sic enim arguit

arguit: quod est contra ordinem naturæ peccatum est: at contra ordinem naturæ est quod filij non benè educentur: ergo illos generare ita vt non benè educentur peccatum est. At hoc sequitur ex concubitu vago: ergo concubitus vagus peccatum est. Sed hoc argumentum retorquetur contra S. Thomam; nam in fine corporis art. ait: *Nec obstat quod si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat de educatione prolis: quia id quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundum id quod in aliquo casu potest accidere.* Nunc sic insurgit Caramuel. Finis & ratio formalis legis interdicens concubitus vagos, teste D. Thoma, cessat aliquando per accidens non in communi, sed in particulari. At probabile est legem, quando eius finis & ratio formalis cessat per accidens in casu aliquo particulari, cessare obligationem legis pro eodem casu: ergo quando ratio formalis & finis legis quæ vagos interdicit concubitus cessat per accidens in aliquo casu particulari, tunc probabiliter cessabit obligatio illius legis. Maior est evidens, est enim obuia: & qui dubitat relegat S. Thomæ textum. Minor est evidens, vel qui dubitat legat Dianam part. 1. tract. 10. resol. 27. & 28. Probabile est ergo fornicationem si provideatur proli non esse peccatum mortale inspectâ ratione S. Thomæ. At non est probabile iam, sed certum, non esse licitam: ergo cum hoc non ostendat Sanctus Thomas deferere Thomistas debemus, & cum Scoftitis dicere esse malam, quia eam interdixit omnipotens Sic ille

Sed contra primò. Dubitavi de maiori, relegi textum S. Thomæ, & quidquid sit de veritate illius præmissæ secundum se, inveni esse evidens contrariam esse omninò mentem S. Thomæ. Verba enim sancti non sunt fideliter transcripta, & nisi præli sit error magnus est error. Ait enim Sanctus. *Quia id quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundum id quod communiter accidit, & non secundum id quod in aliquo casu potest accidere.* Ommissis illis *secundum id quod communiter accidit & non,* iunxit Amanuensis non Caramuel, *iudicatur secundum id quod in aliquo casu potest accidere.* Sanctus autem dicit *non iudicatur.* Sensus ergo verborum S. Thomæ est quod id quod cadit sub legis determinatione non iudicatur secundum id quod in aliquo casu potest accidere, sed secundum id quod communiter acci-

10.

Verba D. Thom. non fideliter à Caram. transcripta, nec illius ratio ab isto enervata.

Legis determinatio non acceditur secundum finem singularem casum, ex D. Thom.

dit. Vnde non obstat quod in aliquo casu contingat quod bene provideatur proli, quin fornicatio sit peccatum, quia communiter accidit contrarium. Vnde Caramuel non retorquet argumentum, sed sensum torquet. Sustineri ergo potest fornicationem esse intrinsecè malam Stando principiis S. Thomæ.

II.

*Eodem argu-  
mento vix  
sustineri po-  
test in via  
Scoti forni-  
cationem esse  
malam.*

Contra secundam. Nam eodem argumento probatur vix posse sustineri in via Scoti fornicationem esse malam posito Præcepto: Vnde tenetur Caram. Scotistas deferere. Nam præmissæ illæ, si veræ sint, non minùs torquent Thomistas quàm Scotistas: sunt enim æquè veræ respectu legis positivæ liberè prohibentis, quam respectu legis naturalis seu necessariæ. Quod fateatur Caramuel. in Theolog. fund. fundam. 18. Vbi probat hoc idem argumentum esse verum, respectu legis humanæ, quia respectu legis diuinæ efficax est, sic: strictius obligat lex diuina quàm humana, aut æquè strictè etiamsi velis, non verò minùs strictè: at cessante fine legis diuinæ in aliquo particulari, cessat lex ipsa in illo casu particulari. Ergo idem dicendum est de lege humana. Nunc sic: si finis & ratio legis cessat pro aliquo casu particulari, cessat lex pro eo casu. At finis & ratio legis prohibentis vagos concubitus cessare potest pro aliquo casu particulari: ergo probabile est posse esse in aliquo casu licitam simplicem fornicationem, adhuc supposito Præcepto diuino. Maior est euidens, & qui dubitat legat Caramuelem loc. cit. Minor est euidens, & qui dubitat assignet finem legis prohibentis simplicem fornicationem, qui non possit cessare in aliquo casu particulari. Lex enim sine fine lex non est. Finis qui cessare non possit assignabilis non est, & cum nullus videatur esse alius quàm educatio prolis, impeditio Matrimonij, qui omninò cessant in multis casibus teste ipso Caramuele. Ergo cum certum sit fornicationem esse malam, & hæc certitudo non ostendatur in via Scotistica, deferendi erunt Scotistæ à Caramuele.

12.

Contra tertiam, nam iuxta doctrinam S. Thomæ optimè probatur fornicationem esse malam intrinsecè. Nam fornicatio habet duas malitias intrinsecas subordinatas aliam genericam, aliam specificam. Prima consistit in delectatione venerea in qua conuenit cum aliis speciebus luxuriæ: & eam supponit S. Thomas dicto art. ex doctrina in superioribus articulis tradita.

Secunda

Secunda est nocumentum quod affert proli non bonæ educationis: & in hoc differt ab aliis speciebus luxuriæ. Vnde stando doctrinæ S. Thomæ cum illa delectatio venerea reperitur in simplici fornicatione, licet aliquando benè provideatur proli, & illam quærant fornicatores; sequitur quod fornicatio sit species luxuriæ, & sit mala intrinsecè in genere luxuriæ, stando principiis S. Thomæ, independenter à libera Dei prohibitione: quia illa delectatio venerea independenter à prohibitione libera auertit hominem à suo fine ultimo.

*Fornicationis duplex malitia generica, quæ est delectatio; specifica, damnans proli. Prima independenter à lege auertit à Deo.*

*Tertia Probatio.*

Ex Assertionem Caramuelis sequuntur plura fordida absurda. Ergo est falsa. Probo antecedens. Primò sequeretur non esse intrinsecè malam bestialitatem, Sodomiam, &c. ergo. Scio te Logicam scire, nec horrere consequentiam, consequenter enim concedenda est. Sed audi quæ inde sequantur. Ergo potest Deus præcipere hominibus bestialitatem, & illam facere bonam ac virtuosam, non secus ac virginitatem & castitatem. ergo & castitatem prohibere & reddere malam Quia tam indifferens est castitas, quam bestialitas secundum se, sicut & alia indifferentia. Ex quo fit quod cum votum non possit fieri de materia indifferenti, virginitas non poterit esse materia voti secundum se. Si negaueris, assigna rationem disparitatis: si concederis, non credo quod te audier aliquis sine horrore, neque credo quod tibi aderit Scotus, nec Scotista.

13. *Sententia Caramueli. intrinsecam malitiam fornicationi denegantia plura fordida absurda.*

Confirmatur. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. probans mendacium esse intrinsecè malum, ait, *quod illud quod est secundum se malum ex genere, nullo potest modo fieri bonum & licitum.* Ergo si Deus non potest facere bonam bestialitatem, intrinsecè mala est. Si verò intrinsecè mala non est, potest eam Deus facere bonam & meritoriam apud ipsum Deum; charitatem autem demeritoriam & peccaminosam. Quid absurdius?

14. *Malum secundum se ex genere nequit fieri bonum.*

Respondebit Caramuel concedendo sequelam. Neque hoc esse inconueniens: nam Deus supremus & omnipotens Dominus potest in Decalogo dispensare non solum permissiuè, id est, concedendo facultatem vt non fiant quæ præcepta sunt; sed etiam contradictoriè, id est, præcipiendo, vt ea non fiant, imò contrariè, id est, præcipiendo, vt contraria fiant. V.g. in quarto

15.

Deus potest  
dispensare  
tripliciter in  
lege natura  
docet Car-  
muel.

Præcepto *honora Patrem*, potest concedere facultatem filio, ut non honoret Patrem. & hoc est dispensare, permissiue. Potest & præcipere ut filius non honoret Patrem suum, & hoc est dispensare contradictoriè. Potest denique præcipere ut filius Patrem contumeliis & iniuriis afficiat, & hoc est dispensare contrariè. Similiter in aliis præceptis secundæ tabulæ. In præceptis verò primæ tabulæ, eodem pacto potest dispensare permissiue, & contradictoriè: contrariè verò putandum est non posse. Quia non videtur possibile, Deum præcipere hominibus, vel Angelis, sui odium, periuria, vel blasphemias, licet non appareat ratio euidens, cur hoc non possit præcipere: Sicut de præceptis secundæ tabulæ dictum est. Hæc omnia docet Caramuel. lib. 2. de lege Mor. disp. 6. Ex quibus sequitur Deum posse præcipere hominibus odia, dissensiones, homicidia, furta, vsuras, detractiones, adulteria, sodomias, pollutiones, bestialitates. Et hoc certum esse iudicat Caramuel. opinatiue autem dicit etiam dici posse quod Deus potest præcipere blasphemias, periuria, cultum idolorum, sui odium, desperationem, infidelitatem, ac hæresim. Ac per consequens, potest facere, quod adoratio Dei veri sit mala moraliter, & demeritoria apud Deum; adoratio verò Diaboli sit moraliter bona, & apud ipsum Deum meritoria. Et hoc nullum esse inconueniens, nec sufficere ut sententia ex qua hæc omnia sequuntur, deferatur.

16.

Deus essen-  
tialissimè bo-  
nus Physicè  
& moraliter.

Sed contra. Deus essentialissimè bonus est, non solum Physicè, sed etiam moraliter: ergo illi implicat non solum Physicè, sed etiam moraliter esse mendacem, crudelem, immisericordem, inhonestum (horreo scribere) adulterum, fornicarium. Et hæc omnia sequerentur si posset in Decalogo modo prædicto dispensare. Ergo non est dicendum. Anteced. est certum: Deus enim in esse morali & Physico, est perfectissimus, & sibi ipsi lex est, ut docet S Thom. 1. part. quæst. 21. & ipse Caramuel. asserit Deum contra legem sibi innatam non posse aliquid condere neque effectiue, neque affectiue. Minor probatur eidentissimè: Nam qui consulit mendacium mendax est. Ergo & qui præcipit. Ergo si Deus posset Mendacium præcipere posset esse mendax: ac per consequens posset operari Deus saltim affectiue contra legem sibi innatam. Quod similiter posset probari

bari de aliis operationibus. Repugnat ergo Deo ea omnia præcipere, quæ suis Attributis repugnant.

Ex quo soluitur alia Caramuelis euasio. Concedere enim posset sequi ex hac sententia inconuenientia & absurda : at ex hoc non sequitur sententiam esse falsam, quia falsitatem (inquit) non probant inconuenientia, sed impossibilia. Nam, quidquid sit de veritate huius propositionis, absurda quæ ex hac sententia sequuntur impossibilia sunt. Quæ enim maior impossibilitas, quam Deum physicè & moraliter perfectissimum posse præcipere, & reddere bonas operationes contra sua intrinseca Attributa, Deus summè verax potest mendacium præcipere. Potest præcipere non amari, imò odio haberi summum bonum. Parentes non honorare : Adulteria, & Sodomiam præmio æternæ gloriæ donare; quid absurdius? Quid impossibilius, quam cælo inferre Mahometicum Paradisum? At hoc sequitur ex tua sententia; ergo omninò est repellenda : Probo.

17.

*Non absurda  
solum, verum  
& impossibi-  
lia ex senten-  
tia Caramuel. se-  
quuntur.*

Nam lex positua interdicens vagos concubitus, & alia in Decalogo prohibita, data est viatoribus, & cessabit, cessante peregrinatione. Ergò in Cælo, vbi neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei, erit hoc licitum, nec statui Beatifico repugnabit. Etenim commune DD. placitum est sensus corporeos visum, auditum, tactum, &c. suâ etiam beatitudine corporali potituros, à qua tamen excipiunt, & meritò, delicias carnis. Ergo signum est has non esse secundum se licitas : aliàs cur negabuntur sensui, cui alia conceduntur? Error fuit Millenariorum constituentium post hanc vitam mille annos ad perfruedum temporalibus bonis : hoc enim centuplo illo Euangelico credebant promissum; quos retundit Hieron. illis verbis. *Quod si in cæteris sit retributio; in vxoribus appareat turpitudine.* Mahometus Barbaram illam gentem seduxit fingendo carnis delicias in vita futura. Cuius error damnatus est non solum quia dixerit factum, quod factum non est fieri possibile est, sed quia impossibile est Deo non repugnare nefanda. Absit ergo à nobis asserere hoc esse Deo possibile, quod ab impio homine, Antichristi ymbra, factum fuisse, non sine blasphemia, dictum, nec sine horrore, auditum est.

18.

*Mahometicū  
Paradisum  
cælo inferis  
Caram.*

*Sensu corpo-  
rei in cælo  
sua etiam  
beatitudine  
gaudebunt,  
non tamen  
caro delitiis  
veneris.*

*Millenario-  
rum error.*

Dices, de fide est quod Matrimonium in Cælo cessabit; at

19.

Matrimonium non est malum ; ergo malè infertur quod fornicatio est mala ex hoc capite.

20.

Confirmatur , de facto Deus præcepit aliqua , quæ prohibita sunt in Decalogo , & quæ essent peccatum si Deus non dispensasset in illis Præceptis. Ergo dicendum est Deum posse in illis dispensare. Antecedens patet nam Deus præcepit Abrahamo mortem filij , quam si Abraham intentasset ante Dei Præceptum , peccasset ; & post Præceptum fuisset meritoria , & fuit , nam voluntate occidit filium , & reputatum est illi ad iustitiam ; ergo.

21.

*Matrimonium  
in celo cur  
cessabit.*

*Delectatio  
venerea p-  
gnat statui  
beatifico.*

Respondeo ad argumentum inde probari nostram sententiam : Nam Matrimonium in Cælo cessabit , quia cessabit causa cur in hac vita licitum est , nempe generis humani propagatio quæ per i' lud directè intenditur. Vnde copula quæ non dirigitur ad hunc finem , sed ad delectationem veneream capiendam nunquam & nusquam licita est. Fornicationem igitur non dicimus malam , quia cessabit in cælo præcisè ; sed quia delectatio venerea repugnat illi statui. Quod patet à fortiori ex eo quod ibi Matrimonium cessabit non alia ratione nisi quia non adest causa propagationis ob quam permissa est ; quod amplius constabit ex dicendis statim.

22.

*Deus necem  
filij Abrahæ  
indicens  
legem Deca-  
logi nõ abro-  
gavit.*

*Legem natu-  
ralem de no-  
bilitate præ-  
cepto antese-  
rendo sine  
ulla dispen-  
satione stabi-  
livit.*

Ex quibus etiam manifesta fiet solutio ad confirmationem. Nam cum Deus præcepit Abrahamo vt filium suum immolaret , non præcepit aliquid contra quintum Præceptum Decalogi , nec derogavit Decalogum in totum vel in parte : sed ostendit inter præcepta diuina etiam naturalia , debere ordinem seruari , vt pro nobilioribus minùs nobilia relinquuntur , vt latè probatum est supra & probabitur in tua etiam sententia. Vrgente enim duplici Præcepto , siue naturali , siue positiuo , sine vlla dispensatione , ipso iure naturali , sum deobligatus minori , & teneor maiori. Maiora autem Præcepta , sunt , quæ ad primam tabulam , pertinent , quàm quæ pertinent , ad secundum. Deus vt supremus Dominus prius adorandus est & obediendus : & vita propria , vel aliena , pro vera Dei adoratione despicienda Et vt hoc ostendatur Abrahæ , præcipitur illi vt sacrificium offerat filij sui , quod ad Religionem pertinet. Vnde non dispensat Deus in Præcepto Decalogi , sed ostendit quintum non obligare instante Præcepto

Præcepto nobiliori. Hinc etiam fit quod ego sine dispensatione vlla possum me inuadentem occidere, si aliter seruare vitam meam non possum: quia ordo charitatis postulat, vt prius propriam, quàm alienam vitam seruem. Homicidia ergo prohibentur quinto Præcepto, sine iusta, vel nobiliori causa perpetrata; at urgente causa superiori, non prohibentur. Quod æquè verum est, siue hoc à iure naturali, siue à positivo proueniat: nam in sententia Caramuel. non est prohibitum homicidium à particulari homine, vel à Republica commissum, causa defensionis; sed solum homicidium sine causa sufficienti. Vnde homicidium Isaac non est prohibitum: at prohibitum est homicidium Abelis: quia illud Religionis causâ; istud, sine vlla ratione, à non habente auctoritatem fuit commissum. Et hoc est quod nos asserimus, Deum non posse facere, vt homicidium ab aliquo homine, sine vlla causa factum, cum odio proximi vel liuore vindictæ, vel cum intentione nocendi Proximo, peccatum non sit: quia hoc est repugnans legi sibi innatæ tam physicæ, quàm morali: & ex intrinsicis prædicatis iustitiæ diuinæ & bonitati opponitur. Quod ad eò verum est vt adhuc supposito diuino Præcepto præcipiente homicidium Proximo, si hoc fiat cum intentione vel complacentia mali Proximo illati, licet ex alio capite sit actus obedientiæ Præcepto Dei, esset malum. Sicut enim, licet homicidium inuadentis me sit licitum, si excedam in modamine tutelæ inculpatæ, malus est excessus; sic licet homicidium sic à Deo Præceptum, si à me non fiat ea intentione recta, quâ præcipit, excedo & malum facio. Vt patet in Gehu: qui licet ex Præcepto diuino domum Achab deleuerit; tamen à Deo fuit punitus, quia non rectâ intentione obediendi Deo, sed sibi Regnū acquirendi mortem Achab intulit, vt docet Rupertus. Vnde clarè patet quod adhuc posito Præcepto diuino præcipiente homicidium, potest hoc esse moraliter malum; quia actio materialis indifferens est vt sit mala vel bonâ, tam ipso iure naturæ, quàm supposito Præcepto: vnde non fit bona moraliter ex eo præcisè quod præcipitur positiuo & libero Præcepto, quia etiam eo posito, potest esse mala. Imò non potest Deus facere, quod sit bona si cum odio Proximo fit: nec præcipere, vt fiat cum tali odio, quia repugnat hoc diuinæ bonitati: esset enim innocentem ali-

*Quinto Præcepto interdicitur homicidia sine iusta causa.*

*Deum huiusmodi homicidium aut ex odio factum reddere bonū.*

*Cur Gehu interficiens Achab mandato Dei, postea punitur.*

Repugnat  
Deo innocen-  
tem punire.

quâ pœnâ affligere, quod Deo repugnat. Sicut repugnat facere, vt actus sine libertate sit culpabilis, & pœnâ dignus. Vnde asserit Caramuel lib. 1. Theol. Mor. disp. 9. in fine. Deum non posse hominem vel minimâ pœnâ damnare sine causa; neque furorem, aut indignationem, aut punitionem, quæ sunt actus iustitiæ vindicatiuæ, contra innocentem exercere: quia in anima innocente, quâ tali, peccata intelligi non possunt. Ergo multò minùs poterit homo ea facere: neque Deus dispensare, vt ab homine fiant, quæ ab ipso fieri nequaquam possunt. Quando autem duo Præcepta occurrunt, quia nobilioris satisfactio obligat quam ego directè intendo, cessat obligatio minoris. Quia Præcepta iuris naturalis inter se ordinata sunt, & nobiliora minùs nobilibus præferuntur si impossibilia sunt, vt statim fusiùs explicabitur.

23.  
Caramuel  
tenetur dice-  
re fornicatio-  
nem licitam  
esse pro men-  
sa vita.

Tandem sequeretur delirare debere Caramuel; at hoc non est dicendum. Ergo neque illud ex quo sequitur: sequelam probo; nam Caramuel deliraret si diceret, de facto, supposito Præcepto interdiciente simplicem fornicationem: si mors cuiquam intentaretur, nisi ad mulierem non suam accederet, licere ei accedere, vt sic vitæ suæ consulere. Atqui hoc dicere tenetur et si fornicatio non esset mala nisi à Deo prohibita lege positua libera, vt ipse tenet: ergo vel tenetur delirare, vel suam sententiam reiicere. Maior probatur ex Theologia fundam. fund. 12. vbi ita habet: *Si hoc dicit Caramuel, mirabiliter delirat; si hæc rationibus suadere conatur, ligari argumentator debet, rationes eius solui non debent.* Minorem probo: Non est minus prohibita simplex Pollutio, quàm simplex fornicatio: & fatetur Caram. se non inuenire rationem claram & manifestam cur simplex pollutio non sit licita ad vitandam mortem adhuc supposito Præcepto. Ergo tenetur dicere à fortiori esse licitam in eo casu simplicem fornicationem. (Dico à fortiori, quia casu quo seminis effusio ob eam causam licita redderetur, deberet qui eo remedio indigeret prius vti fornicatione, quam pollutione, quia hæc maius peccatum est, & ex duobus malis minus est eligendum.

24.

Probatur minor verbis etiam eiusdem; sic habet in Theologia fundament. fund. 57. num. 4. Thomistas æquè ac Scotistas (hoc

(hoc est asserentes Pollutionem, esse intrinsecè malam iure natura, & asserentes esse malam, quia prohibitam iure positivo) torquet hæc sequens ratio. Et debet habere solutionem claram & manifestam, ne dicamus incertum esse, quod supra omnis quaestionis aleam esse verum tenemus; sic discurro. Pollutio ideo est peccatum, quia est feminis, ad generationem ordinati infœcunda decisio. Sed hoc non sufficit; ergo. Probatur Minor; proximior est proli fœtus ipse, quàm semen. At fœmina quæ vel deberet mori, vel embrionem aut fœtum emittere, potest Theologorum consilio, contra embrionem, contra fœtum (imò etiam contra ipsum infantem animâ rationali præditum) sicut contra inuasorem procedere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & dato casu quod aliter nequeat, vitam seruare, illius emissionem directè & positivè procurare, & eandem de facto etiam emittere. Ergo à fortiori poterit directè & positivè procurare emissionem feminis in casu quo illud inuadat hominem, & iste nequeat se conseruare aliter quàm semen superfluum decidendo. Nec hinc volo tantùm sequi posse, semen corruptum emitte: quia argumentum æquè probat de non corrupto viuo & sano: nam aliqui feminis corruptione; alij laborant incorrupti abundantia. Ergo ratiocinij propositi solutionem exspecto. Ita Caramel; nunc sic.

*Argumentum quo Caramel efficacissimè ostendi putat in omni sententia Pollutionem pro vitæ uenda licere, etiam possi à lege.*

25.

Per te illud est probabile ab intrinsecò quod habet fortes rationes, & cui non datur solutio euidens. At tu ipse asseris, à te non inueniri solutionem eamque ab aliis exspectare: ergo de facto probabile iudicare teneris semen posse emitti quando aliâ viâ imminens vitæ periculum euitari non potest. At casu quo hæc Pollutio sit licita medium minùs malum est fornicatio simplex. Ergo quod de Pollutione asseris, teneris dicere, de simplici fornicatione à fortiori: ergo non solùm asseris, quod protestaris te solùm asserere, scilicet quod ablato Decalogo esset licita fornicatio, eo verò stante etiam cum vitæ periculo esse illicitam. Nam sublato Decalogo (per te) non solùm in necessitate, sed absolutè esset licita. At illo stante teneris, si consequenter Philosopheris, dicere, quod inclamas tibi appingi à RR. PP. Bossio, & Diana: nempe probabile esse quod licita est pro vita seruanda. Quia argumentum à te fabricatum adedè est forte, vt nulla tibi

K

occurrat

occurrat solutio. At hoc dicere probabile, per te, non est solùm error Theologicus, sed hæresis: ergo vel delirare tenetur Caram. vel suam sententiam, non secùs ac oppositam, derelinquere.

16.

*Dissoluitur  
illud argu-  
mentum ex  
p. 24.*

Quid? quod ego existimo Thomistas tuo argumento non premi: etsi placet, neque Scotistas. Nam quod illi dicunt ex vi iuris naturalis, possunt hi dicere ex vi iuris positiui. Etenim omnes debent, vti Catholici conuenire in hoc, quod pro vita seruanda, nulla ratione est licita Pollutio, aut fornicatio, tametsi licita sit occisio foetus.

27.

*Inter Præ-  
cepta Decalogi  
datur nobili-  
tatis ordo  
quam præ-  
stent.*

Ad solutionem ergo claram & manifestam aliqua supponenda sunt clara & manifesta; quæ si negentur, vix clariora quibus probentur, poterunt inueniri. Primum, in Præceptis Decalogi, siue hoc sit ius positiuum liberum, siue ius naturale innatum & necessarium, dari ordinem pulcherrimum & sanctissimum, nobiliora enim sunt præcepta primæ tabulæ, quàm præcepta secundæ. Ita Caram. in fine Theol. Mor. Insuper tam inter præcepta primæ tabulæ, quàm secundæ inter se comparata etiam dari ordinem, vt prius obligent quæ digniora sunt. Sunt autem digniora in Præceptis primæ tabulæ quæ ad Attributa principaliora pertinent; inter præcepta verò secundæ tabulæ, quæ animæ bonum, quàm ea quæ bona corporis concernunt, sunt digniora. Inter quæ nobiliora bona minùs nobilibus sunt præferenda; quæ omnia docet Augustinus locis statim citandis, & Bernardus vti supra quæst. 2.

28.

*Ex duobus  
præceptis no-  
bilibus, ex  
duobus ma-  
lis, minus  
præstat eli-  
gere.*

Secundò supponendum est quod quando duo præcepta occurrunt nobilius obligare, vt certissimum docent omnes. Et quando duo imminent mala, minus esse eligendum; sic concil. 8. Tolentan. disp. 2. his verbis: *Cum inter minora & maxima mala mens constringitur. si omninò nullus sine peccato euadendi aditus pateat, minora semper eligantur*; quod etiam docet Augustinus lib. de Mendacio his verbis. *Quæ autem sanctitatis religionisque causa seruantur, cum hæc violare iniuriosi voluerint etiam peccatis minoribus, non tamen iniuriis aliorum, si conditio proponitur, & facultas datur, redimenda sunt. Et tunc iam illa desinunt esse peccata, quæ propter grauiora vitanda suscipiuntur.*

Hæc sunt principia certa & manifesta lumine naturæ nota

ab ipso iure naturali disposita, iurèque diuino confirmata. Nam de facto nil Deus præcepit contra naturæ ordinem, vt ex Augustino docet Caram, ipse enim lib. 22. contr. Faust. cap. 27. sic ait. *Lex aeterna est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, & perturbari vetans.*

*Deus nihil præcipit contra ordinem naturæ.*

Quibus positis tam à Thomistis, quàm ab Scotistis neganda est maior, vel distinguenda. Pollutio est peccatum quia est feminis infœcunda decisio, præcisè nego; absolurè loquendo concedo. Nam licèt sit verum quod ex hoc capite peccatum est, non tamen ex eo solùm, sed quia continet inordinatam delectationem veneream. Itaque duo habet. Primum est continere inordinatam delectationem veneream, in quo conuenit cum simplici fornicatione, & aliis luxuriæ peccatis. Secundum est feminis in terram decisio infœcunda, in quo à fornicatione differt. Inspectâ solâ ratione infœcundæ decisionis feminis non esset peccatum illud emittere pro vita seruanda, tunc enim comparatur cum emissione prolis, cum abscissione virilium, cum sanguinis effusione, quæ etiam possunt reddere perpetuè, vel pro aliquo tempore hominem infœcundum, & sunt licita pro vita seruanda, si aliter seruari sit impossibile. Et ratio est quia tunc opponuntur duæ operationes intra idem præceptum quo prohibetur homicidium, vel intra eandem lineam iuris naturalis, id est occidi hominem à femine; vel semen ab homine decidi, vel occidi prolem: ex quibus malis minus est semen vel sanguinem aut prolem effundi quàm vitam. Pertinent enim hæc omnia ad bona corporis, inter quæ nobilior est vita hominis quàm spes generandi; ideoque semen effundi & ipsa virilia instrumenta possunt abscindi. Et inde est etiam quod ego possum me inuadentem occidere, quia naturæ humanæ, æquè bona est vita mea quàm proximi, & ordine charitatis prius debeo vitam meam seruare quàm alienam non enim mihi dicat Charitas proximū amare plusquam me. At consideratâ delectatione Venerea; quia hæc opponitur principali bono nempe animæ bono quod est Castitas præferri debet bono corporali, quod pro illa despicienda est; quia concurrentibus duobus malis altero corporis, altero animæ, minus malum eligendum est: & concurrentibus duobus præceptis minus nobile est deserendum, si vtrumque seruari non potest. At principalius

30.

*Pollutio non præcisè mala est quod feminis sic infœcunda decisio, sed ob delectationem.*

*Delectatio venerea opponitur bono animæ, cui c. d. r. vita corporis.*

præceptum est quod iubet animæ integritatem seruare quam corporis vitam; quia illa delectatio venerea opponitur fini ultimo, & animæ puritati & integritati, propter quam vita, & honor, & omnia bona corporalia sunt dispicienda.

31.

Confirmatur  
sur prædicta  
ex August.

Quæ omnia docet Augustinus lib. de mendac. Et, vt videas quàm Metaphysicè, quàm subtiliter hoc pertractet Augustinus, audi illum nostram disputationem proponentem, lib. de mendac. cap. 15. *Vtrum mentiendum sit etiamsi inuitabilis conditio proponatur, vt, aut hoc faciamus, aut stuprum patiamur vel aliquam execrabilem iniquationem, etiamsi mentiendo nulli faciamus iniuriam.* Et postquam ad propositæ quæstionis resolutionem, firmissima, ex sacra Pagina, fundamenta iecit, distinguens violationem castitatis, à violenta corporis oppressione, docet pro illa seruanda esse mendacium admittendum. Quod si possit conferuari castitas non consentiendo, sustineri poterit corporalis violatio pro veritate seruanda: quia Animi Castitas non violatur dum non consentitur violationi, audi illum cap. 18. *Ista sunt autem, quæ sanctitatis causa, seruanda sunt, pudicitia corporis, & castitas anima, & veritas doctrina. Pudicitiam corporis, non consentiente nec permittente animâ, nemo violat: quidquid enim nobis inuitis, nullam tribuentibus potestatem, maiori vi contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est, sed permittendi potest esse aliqua ratio, consentiendi nulla. Quæ autem possit esse ratio, vel causa sustinendi, corporalem violationem non consentiendo, declarat. Conficitur ergo ex his omnibus hæc sententia vt mendacium quod non violat doctrinam pietatis, neque ipsam pietatem, neque innocentiam, neque benevolentiam, pro pudicitia corporis admittendum sit.* Ex quibus verbis planè sequitur, quòd mendacium contra doctrinam pietatis vel pietatem, non est admittendum pro pudicitia corporis, dum tamen conferuetur animæ puritas, non consentiendo sed sufferendo violentiam, quia permittendi potest esse aliqua ratio, consentiendi nulla; quod clarissimè docet his quæ sequuntur verbis. *Vnde cogimur non opinione hominum, quæ plerumque in errore est, sed ipsa, quæ omnibus supereminet & vna inuitissima est, veritate, etiam pudicitia corporis perfectam fidem antepone.* Subdit rationem; *quia eâ non consentiente neque permittente*  
nullo

nullo modo rectè dicitur violari pudicitia corporalis, quidquid in corpore fuerit, alienâ libidine perpetratum. Sed quid si utrumque stare non potest? quid, pro quo sit contemnendum quis non videat, cum videat, quid cui sit præponendum animus corpori, an corpus animo? anima Castitas, pudicitia corporis, an pudicitia corporis, castitati animæ? Et quid magis in peccatis cauendum permissio facti alieni, an commissio facti sui? Nihil acutiùs, nihil pulchriùs, nihil veriùs dici potuit: ergo hoc ordine seruato verissimo & iustissimo, non subdendo pretiosa vilioribus, in quo errant homines, standum est in hac inuictissima veritate, quòd pro seruanda pudicitia corporali, vita corporis fundenda est, si utrumque seruari non potest. Nam si pro conseruanda corporis vita, mentiri non potest, & pro castitate seruanda, aliquo modo mentiri potest; ergo pro castitate seruanda, vita corporalis fundenda est. Argumentum est euidens; pro ~~Ver~~itate seruanda, vita corporis est fundenda. Sed pro castitate seruanda est veritas relinquenda; ergo à fortiori pro castitate vita corporis fundenda est.

Inuictissima  
veritas pro  
corporali pu-  
dicitia vitam  
corporis fun-  
dendam.

Vnde patet euidens disparitas inter emissionem proles, abscissionem membrorum etiam virilium pro seruanda vita quia omnia sunt bona corporalia, inter quæ minus malum est vnum aut alterum membrum quàm totum hominem perire; & inter inuadentem & inuasum, hic tanquam innocens priùs seruandus est. Emissio autem feminis quâ castitas animæ, & corporis violatur, si voluta sit, pertinet ad lineam bonorum animæ quæ omnibus bonis corporis anteponenda sunt; ideoque pro illa, vita corporalis effundenda. Quod clarissimis verbis ibidem docuit Augustin. Sed in hoc errant homines, quòd subdunt pretiosa vilioribus. Cum enim concesseris, admittendum esse aliquod malum, ne aliud grauius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sui quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum & id putat grauius quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius reuera fugiendum est. Hoc totum ab amore peruersitatis gignitur vitium. Cum enim duæ sint vite nostra, vna sempiterna quæ diuinùs promittitur, altera temporalis, in qua nunc sumus. Cum quisque istam temporalem amplius diligere cæperit quàm illam sempiternam; propter hanc, quam diligit, putat esse omnia

32.

Gravida  
Matri licet  
in propria vi-  
ta tutelam  
mittere pro-  
lem; homini  
non licet mit-  
tere semen,  
& quare.

facienda, nec ulla æstimat graniora peccata quàm que huic vitæ faciunt iniuriam, & vel ei commoditatis aliquid inique & illicitè auferunt, aut eam penitus illat à morte adimunt. Itaque fures, & Raptores, & contumeliosos, & tortores, atque interfectores magis oderunt quàm lascivos, ebrios, luxuriosos, si nulli molesti sunt. Iniuriam facerem Augustino, si meam verbis suis aliquam adderem ponderationem.

33. Confirmet hæc Bernardus sic scribens de triplici genere bonorum. Sicut autem corporis natura, est sanitas, ita cordis natura, est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus, & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat creatorem. Si verò sanitati corporis, sollicita est providenda custodia; puritati cordis tanto sollicitior est impendenda, quanto pars illa dignior ista esse conuincitur.

34. Hæc est inuictissima veritas, verissima Theologia à Patribus ediscenda, non proprio captu à nobis confingenda. Ex ea sic arguo. Maius bonum est pudicitia animæ, quàm vita corporis. Maius malum est, illam quàm istam perdere. Sed ex duobus bonis, maius, & ex duobus malis minus est eligendum. Ergo pro pudicitia seruanda corporis, vita perdenda est. Maior ex Augustino & Bernardo est verissima. Minor est principium per se notum. Consequentia bona est. Ergo cum feminis emissio sit pudicitia amissio, prius est mors sustinenda quàm illa consentienda. Quæ ratio non militat in abscissione membrorum, vel fœtus emissione, quæ carent voluptate venereâ, & pudicitia violatione, ut per se patet, & ad eandem vitam pertinere euentissimum est. Concluditur ergo non posse pro vita seruanda, castitatem violari, quæ altioris ordinis bonum est, posse tamen fœtum emitti, membrâque abscindi, quæ eiusdem ordinis & lineæ bona sunt.

#### Quarta Probatio.

35.  
Fornicatio  
probatur am-  
plius intrin-  
secè mala.

**A** Ratione sic arguo, primò, fornicatio simplex independentè ab omni Præcepto positiuo, dicit auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam. At actus auertens hominem à Deo, & couertens ad creaturam independentè à Præcepto, est malum independentè ab illo; ergo. Probo maiorem delecta-

tio

tio quæ in feminis effusione sentitur tam vehemens est, vt teste Abulense, homines traheret in reprobum sensum, vt eam tanquam vltimum finem prosequerentur. Quod etiam experientia confirmat; nihil enim sic homines à cultu veri Dei in idololatriam præcipitauerit: vt patet in Salomone, aliisque. At illa delectatio non est in illo actu ratione prohibitionis, sed ex se; ergo illa, ex se auertit hominem à Deo.

*Delectationis  
Veneræ ve-  
mens mali-  
tia.*

Confirmo ex S. Thom. 2.2. quæst. 187. art. 3. vbi dubitans an gula sit peccatum mortale, affirmatiuè respondet, & ad 2. hæc habet verba. *Quod in quantum auertit à fine vltimo contrariatur gula directioni Dei qui est super omnia sicut finis vltimus diligendus; & secundum hoc solum gula est peccatum mortale.* Preme illud *secundum hoc solum*, id est præcisè propter hoc, independenter à damno, quod potest facere alicui in vita, salute, vel aliquo alio. At maior delectatio est in actu venereo quàm in gula. Ergo sicut gula auertit hominem à Deo, & propter hoc solum est peccatum mortale; ita delectatio venerea.

Confirmo iterum ex eodem Sancto quæst. 148. vbi ob specialem malitiam gulæ, reducit illam ad tertium præceptum, scilicet quod vitium gulæ auertit hominem à fine vltimo; & subdit: *Et secundum hoc per quandam reductionem opponitur Præcepto sanctificationis Sabbati in quo præcipitur quies in fine vltimo.* Ergo concedit esse malam intrinsecè; quia Præceptum sanctificationis sabbati est primæ tabulæ, in qua prohibentur, quæ intrinsecè mala & indispensabilia sunt, adhuc in sententia Scotistica. At maior inordinatio, & auersio à fine vltimo, reperitur in actu venereo quàm in gula: ergo sicut hæc, ita & ille est intrinsecè malus.

Confirmo rursus ex eodem S. Thoma ibidem. Nam cum sibi obiiceret quod gula non videretur esse peccatum, quia non contrariatur directè alicui Præcepto Decalogi: Respondet non esse necessarium quod omnia peccata mortalia sint directè, contra aliud præceptum. Ergo supponit nimiam delectationem cibi esse malam intrinsecè, independenter à præcepto positiuo, expressè eam prohibente, ideóque reducit eam ad Præcepta primæ tabulæ. At innegabile est, esse multò maiorem delectationem veneream ergo esset mala, etsi non esset speciali Præcepto interdicta,

36.  
*Gula est peccatum mortale, quia opponitur Dei dilectioni.*

37.  
*Gula peccatum reduci-  
tur ad tertium  
præceptum.*

38.  
*Non oportet  
quod omnia  
peccata mili-  
tent directè  
contra ali-  
quod Præcep-  
tum Deca-  
logi.*

quia

quia saltem indirectè opponeretur Præceptis primæ tabulæ.

39.

*Malitiam  
moralem in  
trinfecâ for-  
nicationis in-  
fert intrin-  
seca illius op-  
positio cum  
virtute ca-  
stitas.*

Secunda ratio. Actus simplicis fornicationis intrinsecè, & independentè ab omni lege, est oppositus virtuti castitatis; sed hæc independentè ab omni lege est intrinsecè bona: ergo actus illi oppositus est intrinsecè malus. Quomodo enim esse, vel dici potest, non esse malum quod ex intrinseca ratione opponitur intrinseco bono? Neque enim odium Dei est aliâ ratione malum intrinsecè, nisi quia opponitur diuinæ bonitati, quæ essentialissimè bona est: neque mendacium, nisi quia opponitur veritati.

40.

*Malitiam  
moralem non  
consistere in  
oppositione cū  
virtute probat  
Quiedo, ex eo quod  
actus consilij  
oppositi, cum  
virtute pugnant,  
nec sunt mali.*

Hoc argumentum multis euentissimum, præsertim respectu odij Dei & Mendacij, forè nonnullis inefficax videbitur ex doctrina quam tradit Quiedo l. 2. controu. 4. p. 2. contra illos qui malitiam moralem formalem peccati constituunt in oppositione cum virtute. Actus enim qui opponuntur consiliis opponuntur virtuti, cum nemo nisi stolidus possit negare, quod consilia pertinent ad sublimiorem virtutem; & certum est quod actus illis oppositi, peccata non sunt, aliâ consilia in Præcepta transirent. Non ergo benè infertur malitia intrinseca ex intrinseca oppositione cum virtute.

41.

*Sed ex eodem  
capite sententia  
Quiedi  
corrueret, si  
argumentum  
subsisteret.*

Sed quidquid sit de constitutiuo formali malitiæ moralis in quocumque hæc ponatur, habet locum argumentum Quiedi & eodem probari posset non consistere in illo malitiam formalem. Sed aliis omissis In sententia Quiedi constituentis malitiam formalem in dissonantia libera cum recta ratione; bonitatem verò in consonantia cum illa probo eodem argumento in ea non consistere. Sic arguo. Actus consilij sunt boni, & consonantes naturæ rationali. Ergo actus oppositi consiliis erunt actus dissonantes naturæ rationali. Anteced. est verissimum. Consequentia bonissima, quia dissonantia consonantiæ opposita est. Ergo vel actus oppositi consiliis erunt mali, quod negas; vel malitia non consistit in dissonantia cum natura rationali, quod affirmas. Nam sicut ex oppositione cum virtute, per te, non colligitur malitia, quia actus oppositi consiliis sunt oppositi virtuti & mali non sunt; ita neque ex dissonantia cum natura rationali colligitur malitia, quia actus oppositi consiliis sunt dissonantes naturæ rationali, & per te, mali non sunt.

Inqui

Inquirenda est igitur aliqua declaratio huius rei ex qua veritas illius propositionis ostendatur quod actus intrinsecè oppositus virtuti est intrinsecè malus, eamque verificari in actibus oppositis consiliis Vnde efficacius reddetur argumentum nostrum. Et vt doctrinam sumamus à probatissimo authore, audiamus Theologiae Magistrum S. Thomam 2. 2. quaest. i. 53. art. 2. Vbi obiiciens sibi nullum actum venereum posse esse bonum & per consequens neque Matrimonium, respondet ad primum. *Quod aliquid potest impedire virtutem dupliciter. Vno modo, quantum ad communem statum virtutis: & sic non impeditur virtus, nisi per peccatum. Alio modo, quantum ad perfectum virtutis statum, & sic potest impediri virtus per aliquid, quod non est peccatum, sed minus bonum. Et hoc modo usus feminae deicit animum non à virtute, sed ab arce, id est à perfectione virtutis. Vnde Augustinus dicit, in libro de bono coniugali. Sicut bonum erat quod Martha faciebat occupata circa ministerium Sanctorum, sed melius quod Maria audiens verbum Dei; ita etiam bonum Susannae in castitate coniugali laudamus, sed tamen bonum viduae Annae, ac multò magis Virginis Mariae anteponimus.* Ecce expressè S. Thomas duos modos impediendi virtutem assignat 1. impediendi gradum perfectissimum, seu arcem virtutis: & hoc ait posse fieri sine peccato. 2. impediendi virtutem secundùm rationem communem virtutis: & hoc ait non posse sine peccato fieri. Id quod impedit arcem virtutis, ait, esse minus bonum; illud verò quod impedit rationem communem virtutis, ait, esse malum. Nunc sic discurre. Id quod impedit arcem virtutis est minus bonum, minus autem bonum non opponitur positivè maiori bono, sed solùm aliquo modo priuativè quatenus dicit carentiam maioris perfectionis, vel superioris gradus: imò est intra eandem virtutem, licèt in minori gradu, & potest esse gradus ad illam, vt patet in humilitate, & aliis virtutibus. Primus gradus est via ad octauum, & non opponitur octauo licèt dicat carentiam illius, non enim esset primus, si non diceret carentiam secundi, ac per consequens non dicitur propriè opponi virtuti humilitatis. At verò primus vel minimus gradus superbiae opponitur positivè & contrariè humilitati. Et sic verificatur quòd est malus, eo ipso quod opponitur positivè virtuti, licèt virtus humi-

42.

*Virtus licèt quantum ad arcem impediatur à bono minori, ac quantum ad statum communem nunquam impeditur nisi à peccato.*

*Minus bonis est gradus ad maius, illique positivè non opponitur.*

*Malum est  
quidquid op-  
ponitur posi-  
tione virtuti.*

liratis sit in consilio, quoad sublimiorem gradum. Sicut etiam carentia sola maioris charitatis mala non est, & non dicitur propriè opposita amoris Dei: at minimus gradus odij Dei opponitur eius amoris, & malus est, licet non sit in præcepto habere summum gradum charitatis.

43.

Quod confirmatur Physico exemplo. Primus gradus caloris non opponitur positivè calori, licet dicat carentiam secundi, & tertij vsque ad octauum: at verò primus gradus frigiditatis positivè opponitur calori, & è contra. Actus ergo solùm oppositi priuativè consiliis non sunt mali, quia possunt esse boni, & intra eandem virtutem, vt in eodem exemplo adducto à S. Thom. Actus verò, qui positivè opponuntur, sunt actus vitij contrarij. Ideoque necessariò debent esse vitiosi & peccaminosi. Vnde redditur innegabilis illa propositio, scilicet quod illud quod est intrinsecè & positivè oppositum virtuti, necesse est esse intrinsecè & positivè malum.

44.

*Instauratur  
ratio, n. 19.*

Et hinc confirmatur ratio nostra ex S. Thom. nam quia fornicatio simplex opponitur virtuti castitatis, secundùm rationem virtutis, hoc est positivè, & contrariè, est secundùm se mala. Matrimonium verò quo non opponitur castitati positivè & contrariè, sed solùm impedit maiorem perfectionem castitatis, bonum est.

45.

*Di uitur ar-  
gumentum  
Ouid. 40.*

Nec inde infertur quòd Ouido veluti certum infert, scilicet quod consilia transirent in præcepta. Nam in eius sententia dantur aliqua quæ sunt mala independentè à præcepto, imò præcepta quia mala. Ergo licet actus oppositi consiliis, modo dicto, sint mali, non idèò consilia transirent in præcepta.

46.

*Mira DD.  
varietas in  
explicando  
malitia mo-  
ralis con-  
stitutio: &  
summa con-  
cordia in pe-  
sanda illius  
grauitate vi-  
detur tollen-  
da.*

Hic obiter annotare non desinam miram Theogolorum varietatem in assignanda ratione formali actus mali, summamque vniformitatem in pensenda maiori vel minori malitiæ grauitate. Communiter conueniunt in hoc quod maior vel minor grauitas inter peccata specificè sumpta prouenit ex oppositione cum perfectiori virtute, v. g. actus malus odij Dei ex genere suo est grauior, quàm actus malus desperationis, vel actus homicidij: quia ille opponitur charitati; isti verò spei, & iustitiæ. Quod astimant verum etiam quandoque, ex defectu libertatis, vel materia,

terix, sit veniale quod opponitur perfectiori virtuti, & mortale quod opponitur minùs perfectæ; quia tunc non idèò desinit esse grauius ex genere quod opponitur perfectiori virtuti, sed ex peculiari ratione venialis aut mortalis, quæ aliunde, & non ab oppositione cum virtute metitur. Sicut homo imperfectissimus in esse hominis, perfectior est quacumque bellua, licèt hæc aliquando, vel ratione vtilitatis, vel magnitudinis, vel fortitudinis, vel astutiæ, videatur hominem superare. Hoc posito disconueniunt ( edoceri vellem quomodo ) in hoc quod malitia consistat in prædicatis dicentibus oppositionem cum virtute. Quæ Philosophia esset: maior vel minor grauitas consistit in maiori vel minori oppositione cum maiori vel minori leuitate: at grauitas non consistit in oppositione cum leuitate? Maior vel minor malitia consistit in oppositione cum maiori vel minori virtute, vel in prædicatis illam includentibus. Ergo malitia consistit in prædicatis dicentibus oppositionem cum virtute. Videtur innegabilis consequentia.

Tertia ratio à paritate sic arguo. Idem argumentum, quo probatur simplicem fornicationem non esse peccatum, probat mendacium non esse peccatum: ergo vel mendacium non est malum intrinsecè, vel eodem modo dicendum est simplicem fornicationem esse intrinsecè malam. Probo antecedens. Quia vel mendacium est malum quia dicenti, vel aliis malum est. Neutrum dici potest. Ergo non est intrinsecè malum. Probatur minor. Nam mendacium est sæpè bonum dicenti & aliis. Ergo ex hoc capite non est malum. Vnde ergo habet malitiam intrinsecam? Nam vndecumque illi malitiam adscribas, poteris etiam simplici fornicationi adscribere.

Si dicas esse peccatum quia opponitur virtuti veritatis: etiam simplex fornicatio opponitur virtuti castitatis. Si dicas esse peccatum quia repugnat Deo mentiri: etiam repugnat Deo venerè delectari. Si dixeris esse malum, quia Deus in eo dispensare non potest: rogabo cur à Deo dispensari non possit? Certè non alia ratione indispensabile est à Deo, nisi quia intrinsecè malum. Ea enim quæ dispensabilia sunt idèò sunt dispensabilia, quia intrinsecè mala non sunt: ergo quæ sunt indispensabilia, idèò indispensabilia sunt; quia mala sunt, nec à Deo dispensari pos-

47.

*Fornicatio-  
nis intrinse-  
ca malitia  
iterum sua-  
detur; à pa-  
ritate men-  
dacij.*

48.

*Dispensans  
cum alijs non  
Deo secum  
dispensare va-  
let.*

sunt. Vnde ergo inferemus mendacium taliter esse malum, quod à Deo dispensari non possit, nec reddi licitum aut bonum positivè?

Dices, à posteriori colligitur Deum non posse dispensare, quia si posset dispensare, sequeretur posse mentiri, quod est impossibile; Insto primò. Ergo neque potest dispensare in simplici fornicatione: quia sequeretur posse illâ delectari, quod non secus Deo repugnat ac mentiri. Secundò non sequitur, Deus potest dispensare in mendacio. Ergo potest mentiri: loquendo de permissiva dispensatione, facultas enim dispensandi non est facultas illud faciendi, sed facultatem concedendi ut ab alio fiat; quæ potestas coniungi posse videtur cum impossibilitate faciendi id in quo dispensatur. Summus Pontifex potest dispensare in matrimonio, & non potest ducere uxorem: & dispensat in impedimentis, quæ non potest contrahere. Neque facilè inuenitur quam oppositionem habeat mendacium hominis cum Dei veritate. Deus enim ratione veracitatis suæ non potest dicere falsum: non verò obligatus est ad faciendum quòd homo non mentiatur. Ergo sicut ex eo, quod dispenset in fornicatione humana, non sequitur posse fornicari; ita ex eo quod dispensaret in mendacio hominis, non sequeretur posse mentiri: ac per consequens non est magis malum intrinsecè mendacium, quàm simplex fornicatio.

49.

*Deum posse  
dispensare in  
mendacio ne-  
mo dixit.*

Quod si tandem dicas hoc argumento Caramuelem non premi, quia ipse concedet planè Deum posse dispensare in mendacio. Dicam in primis contra Caramuelem in hoc, necessariò, se debere confiteri patrono orbatum; quia neque à S. Thoma, neque ab Scoto, neque ab eorum discipulis asseritur. Deinde, ut vidimus supra, ipsemet fatetur se non inuenire instantiam, quæ probet Deum dispensasse de facto; licèt non videat rationem, ob quam non possit dispensare. Vnde de mendacio cum formidine asserit, quod sine formidine asserit de simplici fornicatione; atque adedò aliquo modo vrgetur, cur enim hic non trepidat sicut ibi. Dico etiam me non solum scribere propter Caramuelem, ideòque debere rationes ponere, quæ alios quàm Caramuelem conuincant, ne doctrinâ illâ generali dispensationis ferantur.

Denique

Denique falsum est Deum dispensare in simplici fornicatione: ergo falsum est eam non esse intrinsecè malam. Probo antecedens; si daretur casus in quo dici posset Deum dispensare in simplici fornicatione, maximè in matrimonio: sed tunc non dispensat Deus, sed ille actus, ex natura rei & independenter à diuina dispensatione, est licitus: ergo nunquam dispensat Deus in fornicatione, sicut non dispensat mendacio. Probo minorem insistendo in paritate mendacij. Nam licèt mendacium sit intrinsecè malum, & à Deo indispensabile, licèt vt restrictione mentali, vel æquiuatione cum iusta causa: Et tunc licèt verba, quæ à te proferuntur, essent mendacium, si illa restrictio non adesset; ex vi restrictionis adiacentis, sine dispensatione vlla Dei, fit vt non sit mendacium, atque adeò licitum ipso iure. Ergo similiter illa actio copulæ viri cum muliere, quæ, si non adesset circumstantia matrimonij, esset fornicaria, ipsâ adiectâ, fornicaria non est, sed redditur licita ipso iure, sine vlla dispensatione diuina. Non enim habere debet maiorem vim restrictio mentalis, ad extrahendum à ratione mendacij verba illa, quàm circumstantia matrimonij ad extrahendam actionem illam à ratione fornicationis. Vnde Angelicus Doct. loc. sup. cit. loquens de concubitu Oseæ ex Præcepto Domini, ait: *Nec talis concubitus propriè fornicatio dici debet.* Quid ergo dici debet matrimonium, quo illa extrahitur à ratione fornicationis, ideoque peccatum non fuit.

50.  
*In fornicatione Deus nunquam dispensauit.*

*Matrimonij actus inde pendens à diuina dispensatione licet.*

*Oseæ concubitus non fuit propriè fornicatio.*

Quod quidem maiorem vim habet in sententia Caram. negantis fortiter restrictiones mentales Nam (quidquid sit de veritate suæ sententiæ, quam postea impugnabo, quia illas negari non posse mihi euentissimum est.) Ipse concedit authores concedentes restrictiones mentales benè sentire, sed malè loqui: quia restrictiones ponunt in mente respondentis; at probat debere poni in verbis interrogantis v. g. non nisi ex circumstantiis adiacentibus, & consignantibus. Ponit exemplum. Petrus occidit hominem, & homicidium certo Confessori confessus est: accedit postea ad eundem, vel alium, à quo inter alia, interrogatur, an commiserit homicidium. Et respondet negatiuè: nec mentitur. Quare? Non quia vtatur restrictione mentali, sed quia, ex circumstantia loci, & temporis, & confessionis, restringitur

51.  
*Restrictionis mentalium assertores benè sentire, sed malè loqui dicit Caramuel. sed immerito.*

*Restrictio mentalis esse debet tum in mente interrogantis, quàm respondentis.*

interrogatio Confessoris, & æquiualeat huic: Commisisti homicidium quod tenearis confiteri, vel, quod nondum confessus sis? Ad quam interrogationem benè respondet negando absolutè, & sine restrictione. Itaque restrictionem non in verbis respondentis, sed in verbis interrogantis ponit. Sed quis est barbarissimus, vt malè loquantur, qui eam restrictionem in responsione ponunt, si benè loquuntur qui illam ponunt in interrogatione, vt illi à Caramuele de mala locutione arguantur? Ex circumstantiis interpretor mentem interrogantis, & illam regulo, ad id quod potest, & debet, de iure interrogare, & ipse interrogans sic debet sua verba regulare. Ergo & debeo regulare mentem respondentis. Quia si responderet absolutè, non restringendo illam responsionè negatiuam ad sensum interrogatoris, mentiretur: est enim falsum quod non commisit homicidiū absolutè loquendo. Vnde in mente debet habere illam restrictionem, quam etiam debet habere interrogans. Nam interrogans illicitè interrogaret, si interrogaret absolutè non restringendo interrogationem ad circumstantias, & conformando se illis in mente. Sic etiam respondens mentiretur, si absolutè & sine restrictione vlla negaret. Benè; verum est quod ad restrictionem verborum interrogantis, & respondentis sunt necessariae circumstantiae adiacentes, vt ritè & rectè uterque procedat. Quia sine causa, vel circumstantiis; quibus coaptari debet mens tam loquentis, quàm respondentis, non licet restrictionibus vti sicut infra dicemus.

*Vt licitè fiat requiruntur aliqua circumstantia.*

52.

*Matrimonium esse licitum independenter à dispensatione probatur ex Caram.*

Ad rem nostram sic discorro. Ex mente Caramuelis circumstantiae adiacentes sine vlla restrictione mentali sufficiunt, vt verba quæ essent mendacium, mendacium non sint. Ergo circumstantia Matrimonij sufficiens erit, vt quæ sine Matrimonio esset fornicatio, fornicatio non sit, adiecto Matrimonio. Ergo sicut ibi sine vlla dispensatione diuina redditur non mendacium pronuntiatio talium verborum; ita similiter hic redditur non fornicatio illa copula. Ergo non dispensat Deus in simplici fornicatione, sicut non dispensat in mendacio.

53.

*Reus falsò accusatus tanquam cauter ter-*

VRgeo in sententia Dianæ & multorum Theologorum, reus falsò calumniatus de capitali delicto si addicatur tormentis (vti dici solet) tanquam cadauer, potest crimen falsò impositum sibi imputare illudque confiteri dicens à se fuisse commissum. Insu-

per

per potest obiicere falso accusatori crimen falsum, si hoc modo quendum, cri-  
 iudicat infirmandum fore dictum accusatoris, vitamque men sateri  
 propriam, vel famam esse seruandam. In primò casu est sententia potest ex  
 Lessij, & aliorum nullo modo peccare reum. In secundo non- Dianna.  
 nulli existimant non peccaturum contra iustitiam, licèt peccaret Falsa accu-  
 contra veritatem, quia reuera diceret, quòd non esset. At non satori potest  
 peccaturum mortaliter, est sententia aliquorum, & vt puto Ca- crimen oby-  
 ramuelis. Ex his duobus casibus sic philosophor. Vnde oritur cere.  
 quod in neutro casu peccet contra iustitiam imponendo sibi, vel  
 alteri, falsum crimen in detrimentum propriæ, vel alienæ famæ?  
 Respondent sic asserentes in primo casu despici honorem pro  
 vita tuenda, quæ est maius bonum. Vel potiùs rerum ex duabus  
 mortibus eligere quam réputat leuiorem; horret enim tormen-  
 ta, ex quibus mori timet, non secùs, imò magis, quàm stran-  
 gulationem, vel decapitationem. Vnde sine vlla dispensatione,  
 sed iure suo vtens, eligit suauiore mortem, cum vtramque vi-  
 tare non possit. Similiter in secundo casu vim vi repellere, & ex  
 duplici fama, propria, vel aliena, aut potiùs, ex vita propria, &  
 aliena fama, minus malum eligit, quod est alienam famam la-  
 befactare. Rectissimè. Cur ergo non discurrendum sic est in ma-  
 trimonio, vt ratione circumstantiæ propagationis humanæ, abs-  
 que vlla dispensatione, reddatur licita copula, quæ sine vllò fine  
 intenta & procurata esset illicita. Quod enim ille facere potest,  
 cum iniuria propria vel proximi, ob defensionem propriam, quia  
 directè hanc, non illam intendit; potest quis facere in matrimo-  
 nio, quia directè propagationem humanam intendit, non de-  
 lectationem.

Ampliùs rogo: In primo casu vel mentitur qui sibi crimen § 4.  
 imponit, vel non. Si primum: ergo falsum est, quod asserunt Reus ille vix  
 nullo modo peccare, vel mendacium est aliquando licitum. Si potest à men-  
 non mentitur: rogo iterum. An quia dispensatur à Deo? Negas? dacio, negatis  
 Quomodo ergo iste à mendacio excusatur? Iudex interrogat le- restrictioni-  
 gitimè an commiserit crimen sibi obiectum: Reus verè non bus, excusari.  
 commisit: & tamen ait verum esse quod sibi imputatur. Certè  
 posset negare, si tormenta pati vellet. Vnde ergo excusatur à  
 mendacio? Hic obiter noto vix posse inueniri, excusationem  
 mendacij nisi respondentem concedamus æquiocatione, vel  
 restrictione

restrictione vti. Nam ex parte interrogantis absoluta est interrogatio, an tale commiserit crimen, non solum quod confiteri teneatur, vel possit, sed quod in rei veritate commiserit. Ergo debet dici reum respondere cum restrictione dicendo, commisi quoad effectum vel pœnam, vel commisi iuridicè loquendo. Sed, quidquid sit de restrictione, iste nullo modo peccat neque mentitur, quia circumstantiæ adiacentes illam prolationem verborum, aliàs falsam, reddunt veram. Ergo similiter dici potest in copula viri cum fœmina, quæ ex adiecta circumstantia matrimonij redditur bona, quamuis sine illa foret mala intrinsecè & secundum se.

55.

*Inuaforè occidens pro vita tuenda, aut accusatorem accusans non peccat, sed iure suo vitur, iuxta Caram.*

*Quinto Præcepto tantum iure dicitur homicidium directè voluntum ex Caram.*

Tandem hæc omnia confirmo ex doctrina Caramuelis obuia & iudicio suo certissima. In casibus enim, in quibus, pro vitanda morte propria, occido inuaforem, vel crimen falsum accusatori falso obiicio, non pecco, quia vtor iure meo, & directè intendendo defensionem vitæ, vel honoris, ex qua indirectè sequitur alterius damnum. Vnde in explicatione quinti Præcepti inquirens quæ homicidia hoc Præcepto prohibeantur, sic loquitur. Respondent aliqui hac lege inhiberi tantummodo innocentium excidia. Sed perperam; quia si hoc verum esset, peccatores possent priuatâ autoritate occidi, quod nemo prudenter admittet. Alij hanc legem impositam priuatis hominibus iudicant, non Magistratui, nec Principi. Sed maiora inconuenientia ex hoc sequerentur, possent enim Magistratus, & Principes quemcumque innocentes occidere, quod est falsum. Tum & posse sicut ab isto ab aliis articulis Principes liberari, atque adeo adulteria, furta, &c. impunè committere. Quid ergo respondet Caramuel. Ego quidem semper tenui, & teneo, quintum Decalogi Præceptum omnibus esse impositum, & neminem posse, vlllo prætextu, aut titulo, ab illius obligatione eximi. Peccat priuatus homo, si alium occidat directè, & peccaret Respublica, si idem faceret. Nec tamen inde sequitur sententias capitæ, quæ contra sceleratos feruntur, esse illicitas: quia hæc Reipublicæ pestes nunquam directè occiduntur. Explicatur; Petrus, priuatus homo habet ius defendendi suam vitam: etsi inuadatur, poterit illam defendere etiam perdendo inuaforem, si aliter nequeat. Quod à fortiori Reipublicæ concedendum est. Respublica ergo suo iure

vtens suorum ciuium diuitias, vitam, quietem, quæ omnia scelerati homines absorbent, & turbant, primò & per se propugnans inuasores occidit indirectè. Stat igitur illæsa quinta lex Decalogi, quin ab eius obligatione aliquis eximatur. Ita ille; vnde ego sic similiter iuxta mentem tuam discurrendo. In sexto Præcepto prohibita est simplex fornicatio, quæ directè tendit ad veneream delectationem: Copula verò matrimonialis, quia directè tendit ad propagationem generis humani, quo iure potitur humana natura, non secùs ac iure defensionis, non est illicita, absque vlla dispensatione. Nec inde sequitur in aliquo casu esse licitam fornicationem ad vitam tuendam, quia ius conseruandi vitam est inferioris ordinis iure conseruandi castimoniam, cui vt dictum est opponitur positiuè simplex fornicatio, non verò matrimonium.

Doceri volo à te, vir doctissime, quo iure vtatur Respublica, eum occidit indirectè inuasorem. Conceditur hoc illi ex dispensatione diuina, vel ipso iure naturali innato, contra quod, saltem de facto, non procedit lex positiua? Si primum: Rogo iterum super quam obligationem cadat hæc dispensatio? nam dispensatio supponit alligationem: atque adedò quintum Præceptum prohibet etiam istud homicidium indirectum, quia vt indirectè possit quis alium occidere indiget dispensatione; quòd si non datur obligatio, licita est latronis occisio, quia lege non prohibetur, non verò quia dispensatur à Deo. Vnde coincidis in explicationem, quam impugnabas: Asseris enim legem solùm prohibere occidere innocentes, non nocentes, vt sunt qui, vel Reipublicæ membra absorbent, & perturbant, vel vitam alicui adimere procurant.

Urgeo, à te negari non potest Deum potuisse prohibere homicidium indirectum: si enim prohibere illud non potuisset, sequeretur, contra te, homicidium illud ex se esse bonum, vnde inuadentis actio ex se esset mala, quod negas millies; At si prohibuisset, non esset licita inuasoris occisio: ergo quia non prohibuit, de facto licita est. Vnde potius dicendum est non dari prohibitionem, quam dispensationem dari: ergo similiter possumus discurre in copula viri cum femina: nam ad copulam matrimonialem adest causa sufficiens, quæ non adest ad simpli-

56.

*Respublica  
scelestos occi-  
dens iure na-  
turali vti-  
tur, non di-  
spensatione.*

57.

*Natura ha-  
bet ius ad nisi  
propagationem.*

cem fornicationem; quia hæc directè vult quod opponitur castitati, scilicet delectationem veneream; illa verò directè vult propagationem generis humani; sicut in homicidio inuasor vult directè proximo damnum inferre: at inuasus directè vult se defendere. Vnde sicut hæc actio, sine dispensatione aliqua, licita est; ita illa: quia adest causa sufficiens vt non censeatur prohibita, nec contraria iuri naturali, hoc est rectæ rationi; sicut enim Respublica, vel quiuus particularis, habet ius ad sui defensionem, sic habet ius ad sui propagationem: & cum hæc inter bona eiusdem lineæ versentur, iuxta superiùs dicta, fit inde quod possint homines vti hoc medio ad propagationem, non tamen simplici fornicatione; quia hæc tendit directè ad delectationem veneream, quæ opponitur pudicitæ bono, quod superioris ordinis bonum est, ideóque non possunt illo vti ad conseruationem vitæ.

58.

*Non licet  
propagare ge-  
nus humani  
absque Ma-  
trimonio.*

Vnde non rectè inferas: ergo sicut possum ad defensionem vitæ occidere inuadentem, ita possum ad propagationem vti simplici fornicatione, & habere concubinam. Nam eodem exemplo tibi occurritur: Ille enim qui ab alio inuaditur non potest inuasorem occidere, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ; nam si potest sine morte alterius se defendere, v. g. frangendo illius arma, non potest vitam illi adimere. Vnde cum ad propagandum genus humanum iam aliud medium adsit, scilicet Matrimonium, quod per se ordinatum est ad hunc finem: qui vult finem propagationis intendere non potest vti simplici fornicatione pro libito suo, sed debet vti Matrimonio.

QVÆSTIO IV.

An si Deus non interdixisset Mollitiem, esset mala.

**S**ECUNDA conclusio Caramuelis est: si Deus non interdixisset mollitiem, nunquam esset mala, sæpè esset bona aliquando obligatoria sub peccato mortali. Multa paucis congesta probat sic. Si Mollities esset per se mala, deberet hominibus constare, sed non constat, ergo. Probatur minor DD. adhuc certant quid sit semen. Sanguinem alij, alij sudorem, sputum esse contendunt. Nemo potest probare esse contra ipsam naturam, sanguinem, sputum, sudorem, lac, & similia excrementa voluntariè emittere. Ergo neque semen.

Nec iuuat quod semen ad generationem ordinatur. Quia etiam ordinatur sanguis, & lac; ergo cum Mollities non sit dicenda contra naturam, quando ad naturæ salutem conducit, restat vt solùm à prohibitione sit mala.

Si dixeris ideò malam, quia impediret Matrimonia, cum illa sufficeret ad sedandam concupiscentiam. Dicam non esse bonam illationem, vt patet ex Mahometanorum vsu, qui Matrimonia non fugiunt, licèt sit illis mollities à legislatore suo permessa, imò & sodomia. Sed dato quod sit bona consequentia, quis ostendet esse malum naturæ quod nulla sint matrimonia. Multæ respublicæ illis caruerunt. Ergo & ad matrimonij bonitatem ad diuinam institutionem est recurrendum, & ad mollitiei malitiam, ad prohibitionem.

Hinc probatur quod esset aliquando obligatoria; quia si æger illa indigeret ad remedium, teneretur illam applicare, sicut teneretur ad alia remedia. Vnde si non obstaret prohibitio Dei, tenereris vti illa vt remedio necessario ad salutem: Ergo est euidentis quod detur illa circumstantia extrinsecæ prohibitionis, quæ illud remedium reddit illicitum. Nam si Deus manè prohiberet sanguinis emissionem, qui hodiè ad vitandam mortem

1.  
Mollities non esset mala imò sæpè esset bona sublatò Dei interditiò, ex Caramuele.

2.  
Nec Matrimonia impediret, & si impediret adhuc bona esset.

3.  
Mollities quandoque obligatoria sublatà lege, ex Caram.

tenebaris sanguinem emittere, tenereris potius mori quam tale remedium admittere. Eodem modo de emissione feminis philosophorūsum poni, quia potuit, & voluit, primis hominibus interdixit, quia ipse Dominus & creator est, nos serui & creaturæ: ipsi imperium, nobis obedientia gloria est.

4.

*Amplius roborat suam doctrinam*

Urgetur, potest grauida parens contra animatum foetum procedere, si aliter vitam conseruare nequit. At proximior est ad generationem proles animata quam semen; ergo cum possit occidere prolem, vt vitam seruet, semen verò emittere non valeat vitæ tuendæ causa, signum est totam malitiam mollitiei à malitia non dependere, sed ab interdictoris voluntate. Hæc sunt argumenta Caramuelis; Arguta quidem, sed meo iudicio ex doctrina ipsius Caramuelis falsa, & contra rationem. Quod ex supra dictis iam circa fornicationem satis patet, & nunc ex speciali eorum discussione amplius patebit.

5.

*Mollities interdixisset lege positiuâ liberâ, esset peccatum Nunquam esset bona, & multò minùs obligatoria. Et addo, quod, & probare intendo, quòd si non stante lege positiuâ Dei, esset verum assertum Caramuelis, etiam positâ tali lege positiuâ Dei, esset verum, quòd mollities, etsi à Deo sit interdicta, non semper est mala, sæpè est bona, & aliquando obligatoria. Quoad hanc partem videbor alicui magnam suscepisse Prouinciã, sed manus Caramuelis deducet me in illam.*

Asserendum omninò est quod Mollities, etsi eam, Deus non interdixisset lege positiuâ liberâ, esset peccatum Nunquam esset bona, & multò minùs obligatoria. Et addo, quod, & probare intendo, quòd si non stante lege positiuâ Dei, esset verum assertum Caramuelis, etiam positâ tali lege positiuâ Dei, esset verum, quòd mollities, etsi à Deo sit interdicta, non semper est mala, sæpè est bona, & aliquando obligatoria. Quoad hanc partem videbor alicui magnam suscepisse Prouinciã, sed manus Caramuelis deducet me in illam.

6.

*Probat ur infrigendo Caramuelis ar-  
gum.*

Vtrâmq; partem asserti mei probò ex superius dictis infringendo seu retorquendo sagittas Caramuelis in ipsum. In primis non est bona argumentatio: emittere sanguinem, lac, sputum &c. non est per se malum. ergo nec emittere semen, erit per se malum: non enim constat, an semen sit lac, &c. Probo assumptum: nam in emissione feminis est aliquid, quod non est in emissione sudoris vel sanguinis, scilicet delectatio venerea, ratione cuius hæc actio mala est. Esset bona argumentatio sic: emittere sanguinem cum delectatione venerea non est malum. Ergo neque semen emittere. Et sicut euidens est consequentia posito illo termino in antecedenti, sic illo non posito est euidenter inconsequens. Cum ergo quod prohibetur sexto Præcepto, sit inordinata delectatio venerea, quæ in emissione feminis capitur, ideò licet

licet illa excrementa emittere non sit per se malum, est per se mala pollutio, quae continet talem delectationem, non ex vi praeccepti, sed omnino independenter ab illo.

Confirmatur, non esset bona consequentia; emittere sagittam non est peccatum: ergo neque emittere sagittam cum odio proximi erit peccatum: Emittere sputum non est peccatum, ergo emittere sputum in proximi contemptum non est peccatum. Fortius in eadem materia. Oscula & amplexus sine libidine mala non sunt; ergo neque sunt mala cum tali delectatione. Si ergo haec, quibus accidentaliter & extrinsecè ex sola intentione, & voluntate agentis coniungitur illa circumstantia, mala sunt: Cur non erit mala pollutio cui ex ipsa natura coniuncta est delectatio venerea, licet malae non sint aliorum excrementorum emissiones, quibus non inest illa delectatio.

7.

*Confirmatur eadem doctrina.*

Nunc retorqueo argumentum, & probo adhuc posito Praecepto non esse malam pollutionem. Si esset mala, deberet hominibus constare. Sed non constat: ergo. Probat minor. Doctores adhuc certant (adhuc dico supposito praeccepto) quid sit semen: alij sanguinem, sudorem, sputum esse, contendunt. Nemo probare potest esse contra ipsum praecceptum sanguinem, sudorem, & caetera alia excrementa voluntariè emittere Ergo neque semen. Etenim certum est non esse prohibitum sanguinem emittere: at probabile est semen esse sanguinem: ergo probabile est posse semen emitti adhuc supposito praeccepto.

8.

*Mollities vel inrinfecè mala, vel ex nullo capite.*

*Semen quid sit adhuc non constat.*

Nec iuvat dicere esse expressè prohibitam feminis effusionem. hoc enim rogo ubi? Quia nomine feminis nescio adhuc quid intelligatur, an sanguis vel sudor, &c. Unde vel dubitari debet an sit prohibitum sanguinem vel sudorem emittere, vel remanet dubium, an supposito praeccepto sit prohibitum semen effundere. Unde probatur esse bonum saepè immò & obligatorium. Nam aegrotus tenetur adhibere remedia necessaria ad salutem recuperandam: atqui ad hoc tenetur etiam supposito praeccepto: ergo etiam illo posito erit obligatorium semen emittere pro salute vel vita seruanda sicut obligatur ad sanguinis fusionem. Praecceptum enim non praecipit expressè retinere semen cum vitae dispendio ergo non est cur ita intelligatur strictè & rigorosè.

9. *Ocluditur unum effugium.* Minus te iuuabit recursus ad generationem prolis, quem nobis repellis: quia etiam sanguis, & lac, & foetus ipse Proximiora sunt generationi, possuntque emitti pro seruanda vita adhuc supposito præcepto. Mater grauida potest emittere prolem adhuc supposito præcepto: ergo potest emittere semen, eodem præcepto supposito, ad tuendam vitam. Neque ex hoc sequitur impediri Matrimonia supposito præcepto, sicut eo non stante non impedirentur, quamuis licita esset pollutio. Ergo nulla est ratio cur supposito præcepto non sit licita aliquando effusio feminis, si non est illicita secundum se.

10. *Alteri solutioni occurritur.* Quod si iterum recurras ad prohibitionem dicendo de facto esse prohibitam feminis effusionem, quia est infœcunda decisio humoris ad generationem ordinati, siue sit sanguis, siue lac, seu quidquid aliud, quia prohibetur id quod ex femore ad generationem per illa organa deciditur. Dicam etiam iure naturali non libero esse malum independenter à Præcepto libero emittere id, quod per illas partes vel canales illos effunditur, sanguis sit, siue sudor dicatur, ob delectationem veneream inordinatam quam in se continet independenter ab omni Præcepto.

11. *Roboratur amplius doctrina tradita n.8.* Immo vrgetur in tua sententia argumentum. Nam per te licet sine vlla limitatione sit prohibita occisio hominis, tamen non intelligitur prohibita occisio vel effusio prolis, quando directè intenditur salus matris grauidæ, ex qua indirectè sequitur prolis mors. Ergo licet absolutè prohibita sit feminis effusio, hoc intelligetur, quando directè procuratur, non verò quando directè & per se salus intenditur. Atque adeò posito adhuc præcepto erit licita effusio feminis, sicut & prolis. Recurrendum est ergo ad delectationem veneream, ratione cuius, siue ante, siue post præceptum, est inordinata & opposita bono animæ quod principaliter est ideoque vita corporalis illi postponenda. Quæ ratio non militat in emissione foetus, abscissione membrorum, vel ipsorum virilium instrumentorum, quæ cum sint bona eiusdem lineæ corporalis, & in illis non capiatur venerea delectatio, pro digniori bono corporis, quod est vita, sunt contemnenda.

12. *Confirmatur ex D. Aug. & D. Thoma.* Quod confirmo ex doctrina Sanctorum Augustini & Thomæ citata sup. nam malitiam mendacij in eo constituunt, quod vitur verbis homo non ad id quod instituta sunt. ergo pollutio erit per se

se mala, quia homo utitur membris corporis non ad id, ad quod creata sunt. Itaque duo in istis partibus consideranda sunt. Primum quòd sint instituta ad generationem. Secundum, quòd sint ad corporis integritatem pertinentes. In hoc secundo conueniunt cum cæteris corporis partibus, ideoque pro vita seruanda possunt abscindi, sicut & aliæ partes, quia pars debet cedere toti. In primo conueniunt cum cæteris actibus venereis; & ut sic opponitur actio delectationis venereæ bono animæ, quod vitæ corporali præferendum est. Quapropter non potest pro vita seruanda procurari pollutio, ut sapius dictum est.

In fine aduerto, nihil ad rem conducere quod addit de Mahometanorum vsu, & de Republicis, quæ Matrimoniis caruerunt. Tum quia gentem illam barbaram barbarè à Diabolo delusam; nemo est qui ambigat: Vnde totam beatitudinem collocant in vsu libidinis, quod esset hæreticum, à Christiano homine dici. Nemòque inficiari potest inter illos magnam, & irrationabilem esse confusionem in filiorum educatione, & generatione. Nam viri abstinent ab vxoribus, cum asserunt se grauidatas ab illis sanctonibus. Filios spurios nobiliores, existimant, quàm légitimos. Putant vouere castitatem abstinendo à fœminis, coëundo cum masculis. Et alia id genus obscœniora obseruant, quæ ipso lumine naturæ absurdissima dignoscuntur. Non ergo deest, nec licet, talia nos exempla sectari. Respublicæ etiam, quæ caruerunt matrimoniis non vixerunt castè, neque multiplicatæ sunt sine concubitu cum fœminis. Vnde probant potiùs exempla ista esse necessaria Matrimonia quæ sunt medium à natura ipsa ordinatum ad propagationem non ad delectationem. Atque aded ex illis non probatur licita pollutio. Relinquitur ergo hanc esse illicitam sepositâ etiam interdictione positiuâ.

13.

*Mahometani  
beatitudinẽ  
ponunt in  
vsu libidinis.*

*In filiorum  
educatione  
irrationabi-  
liter procedunt.  
Spurios præ-  
ferunt legiti-  
mis.  
Alia id ge-  
nus absurda.*

## QVÆSTIO V.

*An mollities, Sodomia, Bestialitas sint peccata eiusdem speciei.*

1.

*Mollities, Sodomia, Bestialitas, sunt eiusdem speciei, quibus satisfaciunt pro qualibet confitenda ex illis, si dicat: procuravi pollutionem. Ita Caram.*



ERTIA conclusio Caramuelis est. Mollities, Sodomia, Bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ: adeoque nemo tenetur in confessione exponere vtrò ex istis modis peccauerit, sed satisfaciunt dicens procurauisse pollutionem.

2.

*Oppositum tenentes non semel vocat pollutionis patronos, sed minus caute.*

Conqueritur de omnibus qui hanc suam thesim impugnant, quod non probis rationibus, sed opprobriis in eum iaculatis, id fecerint. Opprobria non probo, neque illa quæ Caramueli inferunt aduersarij, neque illa, quibus aliquando eos afficit, non semel pollutionis patronos eos compellans. Mitiùs loqui potuisset Dominatio tua, ne fortè aliquis te imitatus, Sodomiam te Patronum vocitaret. Sic conclusionem probat, est expressa mens S. Thomæ, eam defendunt authores in meo commentar. ad reg. S. Bened. citati, & tam clara videtur, vt contraria videatur error in philosophia. Verba S. Thomæ, quibus id expressè docuerit, non producit, qui alios notat, quòd festino oculo scripta sua legerint, & decurtatas periodos transcribentes, opiniones aliquas, à se nunquam vel leuiter excogitatas, ei adfinxerint: Doctori Angelico hanc adscribit sententiam, quam non solum sanctus expressè non docuit, sed formalissimè omisit, vt patebit cuicumque non cursim, sed attentè, legere textum voluerit.

*Sanctus Thomas, quem pro se citat, ipsi non adest.*

3.

*Oppositum sui asserti, putat Caramuel in philosophia errorem.*

Errorem esse in Philosophia sic ostendit. Ideò furari argentum, aurum vel similia non sunt peccata specie distincta, quia licet materiæ sint specie distinctæ non dantur malitiæ speciei distinctæ sed tota illa distinctio specifica se tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contra naturam philosophor, quæ ideò sunt prohibita, quia in abusu emittendi seminis extra vas naturale consistunt. Quod eodem modo reperitur in mollitie, bestialitate, &c. Sunt enim purè pollutiones, quæ diuersimodè procurantur. Sicut mollities manu procurata non distinguitur à procurata tactu, vestium, vel aliorum membrorum,

Vnde inter coniugatos non censetur peccaminosa, dummodo semen decidat intra vas. Hæ sunt Ceramuel. probationes.

Non melater, nec puto infantissimi Philosophi mentem subterfugere magnam inueniri difficultatem in assignanda ratione formali, in qua consistit specifica distinctio: non enim omnia eodem modo specie distinguuntur. Vtinam doctissimus Caramuel dum negat distinctionem specificam inter actus venereos contra naturam, & illam concedit in actibus iuxta naturam, apperuisset nobis suæ scientiæ thesaurum ne curreremus in incertum.

4.  
*Specificæ distinctionis formale censetur intuitum, difficile est assignare.*

Pro quæstionis autem resolutione; suppono negari non posse dari in rerum natura entitates specie distinctas, insuper dari aliquas entitates, inter quas ita clarè apparet distinctio specifica, vt nullà tergiuerfatione Metaphysicâ negari possit. Aliàs, inter quas non ita clarè distinctio specificâ discernimus ex formis intrinsicis, sed ex modis diuersis attingendi aliquod obiectum. V.g. homo, & Leo distinguuntur, specie ratione formarum quas quasi oculis cernimus. Actus naturalis specie distinguitur à supernaturali: quæ sit autem forma non facilè dignoscitur: & communior sententia illos distinguit ex modo tendendi. Actus fugæ & profecutionis specie distinguuntur circa idem obiectum: & solum ex modo tendendi.

5.  
*Distinctio specifica quædam quo sumitur à diuersis formis, quandoque à diuerso modo attingendi obiecta.*

Quod si dicas censendum tunc esse dari in illis actibus formas illis intrinseca, ratione quarum specie distinguuntur transeat. Sed inde saltè redditur supponendū quod ex modo tendendi infertur cognitio diuersarum formarum specie distinctarum. Quod docuit S. Th. expressè 2.2. q. 154 art. 1. vbi obiiciens sibi quod nō videtur posse dari species luxuriæ distinctas, quia tota diuersitas videtur se tenere ex parte materiæ, & ex parte modi. Respondet ex diuersis modis colligi diuersitatem formarū. Hæc sunt S. D. verba. *Quod prædicta diuersitas materiæ habet annexam diuersitatem formalem obiecti, quæ accipitur secundum diuersos modos repugnantia ad rationem rectam.* Intulit ergo sanctus, diuersitatem formalem ex diuerso modo attingendi obiectum. Hac igitur ratione inquirimus an actus venerei contra naturam, ita opponantur recte rationi, vel iuri diuino positiuo aut naturali, vt inter se comparati, distinguantur specificè. Quia diuersitas materiæ, habet annexam diuersitatem formalem, secundum diuersos modos repugnantia contra naturam.

6.  
*Vel etiam si perpetuo à diuersis formis proueniat, non semel ista ex diuerso modo tendendi in obiecta percipiuntur.*

7. *Intra genus luxuria dantur peccata specie diuersa.* Suppono secundò negari non posse intra idem genus luxuriæ dari peccata specie diuersa. Tum quia peccata iuxta naturam inter se comparata, specie distinguuntur, vt adulterium, stuprum, & raptus, & cætera quæ à S. Thoma dinumerantur. Tum quia peccata contra naturam distincta sunt specie à peccatis iuxta naturam intra genus luxuriæ.

*Peccata iuxta naturam inter se, & à peccatis contra naturam specie distant.*

Igitur si probauero peccata contra naturam inter se comparata non secùs distingui intra genus luxuriæ, ac peccata iuxta naturam inuicem comparata. Et à fortiori. Si ostendero debere distingui non secùs ac peccata contra naturam distinguuntur à peccatis iuxta naturam, habebò intentum. Ergo, vt ordine à te præscripto procedam, duo circa hanc materiam discutiam. Primò probabilitatem. Secundò vtilitatem tuæ sententiæ.

## De Probabilitate.

8. *Probabilitas duplex, intrinseca, & extrinseca.* Probabilitas extrinseca sententiæ Car. Thomæ in S. Thomæ immèritò fundatur. Probabilitas duplex est. Intrinseca, & extrinseca, illa rationibus; hæc authenticis DD. autoritatibus stabilitur: & quia fortè probabilitas intrinseca, quæ tribuitur sententiæ neganti distinctionem specificam inter actus prædictos, inuenta, vel inquisita est ex suppositione probabilitatis extrinsecæ, quæ tota in autoritate S. Thomæ immeritò fundatur, ideò ab illa exordium sumo.

9. *S. Thomas clarè semper loquitur, adulteria verborum perhorrescit.* Suppono S. Thomam diuino ingenio præditum formalitates ipsas in formas, modos, & accidentia adæquatè distinguere, omnia verborum adulteria perhorrescere, panem vocare *panem* & vinum *vinum*, id est speciem vocare *speciem*, & modum *modum*. Nec licere nobis vocum significationes mutare ad placitum: quia si ita liceret, actum esset de Conciliis, & de Euangelio. Ita tu in epist. 1. ad Bossium. Et rectè nam aliàs essemus veluti ædificantes turrim Babilonicam.

*Quid indagandum circa mentem D. Ang. in hac questione.* Suppono etiam S. Thomam, vt supra probatum est, ex diuersis modis repugantiæ cum matrimonij bono inferre diuersitatem formalem, & specificam distinctionem. Vnde quod inquirimus iuxta textum S. Thomæ est. *An cum diuersum modum repugantiæ constituat in actibus contra naturam inter se comparatis, illos distinguat specie, vel illi modi habeant annexam specificam*

specificam formalem distinctionem, sicut de peccatis iuxta naturam expressè docet. Clariùs. An expressè docuerit quod illi modi diuersi repugnantiae qui inueniuntur in actibus contra naturam, non distinguunt illos specie; sicut expressè docuit illos diuersos modos repugnantiae, qui inueniuntur in actibus venereis iuxta naturam, inferre diuersitatem specificam.

Dico igitur S. Thomam non solum non docuisse actus venereos contra naturam esse eiusdem speciei, sed potiùs oppositum supposuisse, ita clarè, vt sine violentia non possit in sententiam Caram. inflecti. Hoc probò discurrendo ferè per omnes articulos quaest. 154. 2. 2. vbi de specibus luxuriæ ex professo disputat, & incipiendo à primo artic. agit in illo de diuisione specierum luxuriæ, & doctrina S. Thomæ est. *Quod materia vel obiectum actus venerèi potest non conuenire recte rationi, vno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerèi actus. Et sic in quantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam, quod est in omni actu venerco ex quo generatio sequi non potest. In quantum autem impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ, est fornicatio, quæ est soluti cum soluta.* Nunc sic: impedire generationem, vel educationem prolis, certè non videntur formaliter, sed modaliter & accidentaliter distingui. Conueniunt enim in hoc quod est impedire bonum prolis: educatio autem solum est circumstantia, quæ versatur circa generationem prolis consequenter & in tua sententia ex eius defectu simplex fornicatio non esset peccatum. Imò neque mollities ex eo quod opponitur generationi. Et tamen S. Thomas illa distinguit specificè ex eo solum quòd in modo impediendi bonum prolis differant. Nec licebit sibi negare specificam distinctionem inter simplicem fornicationem & bestialitatem. Ergo ex modo damnificandi prolem distinguit S. Thom. peccata ista specie.

Loquendo de peccatis contra naturam distinguit illa inter se his verbis. *Quod potest pluribus modis contingere; vno modo, si absque omni concubitu, causa delectationis veneræ, pollutio procuratur; quod pertinet ad peccatum immunditia. Alio modo si per concubitum ad rem non eiusdem speciei; quod vocatur bestialitas.* Nunc sic arguo, non est magis accidentale delectationi veneræ quod quaratur sine concubitu, vel cum concubitu ad

IO.

*Actus contra naturam venereos distinguuntur specie, clarè supposuit Doctor Angelic.*

*Fornicationem à bestialitate, ex diuerso modo impediendi bonum prolis distinguit Doctor Angelicus.*

II.

*Eadem distinctio inter actus contra naturam sequitur ex textu Angelico.*

rem diuersæ speciei, quam quod quæratum cum impedimento prolis, vel educationis eiusdem; ergo vel illa, quæ hoc secundo modo opponuntur, non distinguuntur specie; vel quæ illi primo modo opponuntur, specie differunt. Cur ex S. Thoma specificam distinctionem inferens ex vno modo oppositionis, potius quàm ex altero.

*Confirmatur.*

Confirmo: nam eod. art. S. Thomas subdividit peccata venerea iuxta naturam, illa distinguendo solummodo in modo. At etiam cum pertractat de diuisione peccatorum contra naturam inter se, illa distinguit in modo. Ergo vel utrobique distinctionem specificam ponit, vel neutroque ponenda est. Probo anteed. transcribendo verba S. Doctoris. Diuidit peccata iuxta naturam sic.

*Alio modo materia, in qua exercetur actus venereus, potest esse non conueniens rationi rectæ, per comparationem ad alios homines; & hoc dupliciter. Primò quidem ex parte ipsius feminae, cui aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non seruatur; & sic est incestus, qui consistit in abusu mulierum, consanguinitate, vel affinitate iunctarum. Secundo ex parte eius in cuius potestate est femina, quia si est in potestate viri, est adulterium; si autem in potestate Patris, est stuprum, si non inferatur violentia; raptus, si inferatur.*

*Fieri aliquid cum violentia, vel si e illa, modus accidentalis videtur.*

Id ipsum repetit in specialibus singulorum articulis, quæ ne omnia transcribam omitto. Profectò fieri aliquid cum violentia, vel sine illa, modus accidentalis videtur; & tamen est sufficiens ad inferendam specificam distinctionem. At etiam in peccatis contra naturam assignat sanctus diuersum modum dissonantiæ cum recta ratione, vt statim patebit: ergo supponit in illis specificam distinctionem.

II.

*Diuisio peccatorum contra naturam ex D. Thom.*

Audi nunc quomodo S. Doctor peccata contra naturam diuidat art. II. *Quod quidem potest pluribus modis contingere; vno quidem modo, si absque omni concubitu, causa delectationis venerea, pollutio procuretur. Quod pertinet ad peccatum immunditiae, quod quidam mollitiem vocant. Alio modo si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Tertiò, si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam, vt Apost. dicit ad Rom. I. quod dicitur Sodomiticum vitium. Quartò, si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum non debitum,*

*debitum, aut quantum ad alios monstruosos, & bestiales concumbendi modos.*

Sic discorro, S. Thomas vocavit species *species*, & modos *modos*. Ergo vel in utroque casu ponit distinctionem specificam, vel in neutro. Rursum subdividit peccata contra naturam, sicut peccata iuxta naturam. Cur illa subdivisio est in species, & ista in individua? fortè quia ibi erat dubitabile an specie distinguerentur; hic verò erat indubitatum quod solo numero differrent? Minimè; sed potius, quia supposuit in his non deberi dubitare specie distingui.

Paret. Nam dubitans an peccata contra naturam differrent specie à peccatis iuxta naturam, debuisset dubitare consequenter an illa inter se specie differrent. Quod non omisisset, si esset dubitabile, sicut non omisit hoc dubitare de peccatis iuxta naturam. Art. 1. ubi de vitio contra naturam agit, obiiciens sibi quod peccata contra naturam non videbantur constituere speciem luxuriæ, sed potius alterius vitij, ex eo quod illa non numerantur inter species luxuriæ in 1. art. Respondet quod *ibi enumerantur species luxuriæ, quæ non repugnant humana nature, & ideò prætermittitur vitium contra naturam.* Duo infero. Primum: ergo supponit dari species peccatorum, quæ sunt contra naturam: aliàs facilè respondisset dicendo illa non numerari, quia ynam tantum constituunt speciem infimam. Et sic expressè docuisset tuam sententiam. Secundum: si sanctus non supponeret dari peccata specie distincta contra naturam, non benè dixisset vitium contra naturam prætermisissum. Nam quoad illud, in quo omnia peccata contra naturam conveniunt, & secundum quod constituit speciem luxuriæ distinctam ab aliis, quæ sunt iuxta naturam, non fuit prætermisissum. Tam quia in elencho articulorum in principio quæstionis numeratur undecimo loco. Tum quia in ipso art. 1. ponitur. Ibi, *uno modo quia habet repugnantiam ad finem venerei actus, & sic in quantum impeditur generatio proles, est vitium contra naturam. Quod est in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest.* Ergo cum sanctus dicit fuisse prætermisissum hoc vitium, non de ratione communi omnibus vitiis contra naturam, sed de speciali loquitur; & cum dicat in illo articulo solum fuisse numeratas species pec-

13.

*Vel ponit S. Thomas distinctionem specificam inter peccata contra naturam, vel tollit in peccatis iuxta naturam.*

14.

*Peccata contra naturam distingui in varias species supponit, ut indubitabile Angelic. Doct.*

cati iuxta naturam, subintelligitur numeratas non fuisse species peccati contra illam, & per consequens supponit dari præfatas species.

15.

Ratio quæ  
D. Aug. varias species peccati iuxta naturam, fortius concludit illas in vitiis contra naturam.

Rurfus art. 8. vbi quærit an adulterium sit species luxuriæ; obiicit sibi tertio pro parte negatiua sic. *Vbi est eadem ratio deformitatis, ibi non videtur esse alia species peccati. Sed in stupro, & adulterio, videtur esse eadem ratio deformitatis: quia utrobique violatur mulier alterius potestati subiecta. Ergo adulterium non est determinata species luxuriæ ab aliis distincta.* Respondet. *ad tertium dicendum quod uxor est in potestate viri, sicut ei Matrimonio copulata. Puella autem in potestate Patris, sicut per eum in Matrimonio copulanda, & ita alio modo contra bonum Matrimonij est peccatum adulterij; alio modo peccatum stupri, & propter hoc ponuntur diuersæ luxuriæ species. Esse Matrimonio copulatam, vel copulandam non sunt modales & accidentales circumstantiæ, tam respectu fœminæ, quàm respectu delectationis venereæ? Et tamen inter hæc ponit S. Thom. specificam distinctionem: ergo vel confundit S. Thom. voces speciei, & modi; vel ex solo modo infert distinctionem specificam. Nemo potest affirmare esse magis accidentales, respectu actus venerei, fieri cum concubitu ad bestiam, vel cum concubitu ad virum, aut sine concubitu; quàm esse Matrimonio copulatam, vel copulandam fœminam: ergo vel hæc in genere luxuriæ non distinguuntur specie, vel illa distinguunt ex doctrina S. Thomæ.*

16.

Pollutio est species distincta, & infimum locum tenet inter peccata contra naturam.

Præterea inter peccata iuxta naturam ponit S. D. in infimo loco simplicem fornicationem; & inter peccata contra naturam ponit in infimo loco pollutionem art. 12. ad 4. dicendo *Quod grauitas in peccato magis attenditur ex abusu alicuius rei, quàm ex omissione debiti usus. Et ideo inter vitia contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum, &c.* At ex S. Thoma fornicatio simplex, quæ infimum locum tenet inter peccata iuxta naturam, ponitur species ad illis distincta: Ergo pollutio simplex debet in eadem differentia specifica poni inter peccata contra naturam.

17.

Confirmatur S. Doct. qui callebat nomina propria rerum, ponit

in

in plurali vitia contra naturam. Nomen autem vitij non pro aliquo individuo sumitur, sed pro habitu specifico. Sicut nomen virtutis. Opponuntur enim vitium & virtus in rationibus generica & specifica intrinseca: ergo cum dicit dari vitia contra naturam, supponit illa esse specificè, & non numericè tantum inter se distincta.

*Nomen vitij pro habitu specifico supponit: ergo nomen vitia contra naturam pro pluribus habitibus specificis, ap. S.Th.*

Dices S. Thom. distinguere illa peccata v.g. stupri, & adulterij, eo quod præter malitiam veneream important malitiam iniustitiæ contra Maritum, & contra Patrem, & idèò distinguuntur specie à simplici fornicatione & inter se. Luculenter quidem, sed quid inde? Ergo intra genus luxuriæ non distinguuntur specie, atque adèò non differunt magis inter se in genere luxuriæ quàm peccata contra naturam. Hæc enim distinguuntur etiam specie, si, præter malitiam veneream, dicant malitiam iniustitiæ. Vnde si quis Sodomiam committeret cum Religioso, vel cum consanguineo, aut feminam à viro, aut filium vel filiam à Patre raperet, committeret sacrilegium, incestum, & iniustitiam, & essent peccata contra naturam specie distincta à pura pollutione. Vnde fit evidens eadem ratione distingui specie inter se actus contra naturam, & actus iuxta naturam.

18.

*Pari modo distinguuntur inter se peccata contra naturam & iuxta naturam.*

Deinde in raptu, & stupro iniustitia contra eundem Patrem committitur, & à S. Thoma intra genus luxuriæ distinguuntur specie illa duo.

Quid? quòd S Thom. non solùm distinguere specie actus iuxta naturam quia continent malitiam contra alias virtutes, quod expressè docuit in 4. dist. 41. Sed etiam sub genere luxuriæ videtur manifestum. Tum quia aliàs non essent species luxuriæ, sed sacrilegij iniustitiæ, &c. In quo vt iam vidimus esset idem dicendum de actibus contra naturam. Tum quia hoc videtur expressè docuisse: nam art. 6. Obiiciens sibi quod stuprum non videtur species luxuriæ, quia inferre alteri iniuriam pertinet ad rationem iniustitiæ, & non ad luxuriam; respondet. *Quod nihil prohibet unum peccatum, ex adiunctione alterius, deformius fieri. Fit autem deformius peccatum luxuria, ex peccato iniustitiæ: quia videtur concupiscentia inordinatior, quæ à alectabili non abstinere vt iniustitiam vitet.* Ecce quomodo sub genere

91.

*S.Th. non solùm distinguit peccata iuxta naturam specie, ratione oppositionis cum alijs virtutibus, sed etiam intra genus luxuria, quoniam forius opponuntur castitati.*

genere luxuriæ illam ponat specie inordinatiorem, non ex eo præcisè quod est contra iustitiam; sed quia est inordinatior concupiscentia, & qui diceret illam maiorem inordinationem esse ita euidenter formam, & non modum accidentalem? Et tamen S. Thomas propter illam, specialem intra genus luxuriæ speciem constituit stuprum.

20.

*Adulterij  
malitia com-  
munes. &  
speciales in-  
tra ipsum lu-  
xuria genu.*

Præterea in artic. 8. dubitans de adulterio an sit species determinata luxuriæ ab aliis distincta, ait in corpore artic. Quod mulier adultera tria facit. Primum operatur contra præceptum non machaberis. Secundum virum suum derelinquit, in quo facit contra certitudinem prolis. Tertium ex alio viro prolem sibi statuit; quod est contra bonum propriæ prolis, & subdit. *Primum est commune omnibus peccatis mortalibus, alia vero duo specialiter pertinent ad deformitatem adulterij. Unde certum est quod adulterium est determinata species luxuriæ, utpotè specialem deformitatem habens circa actus venereos.* Ecce quomodo præter malitiam communem omnibus actibus venereis, quæ sunt contra præceptum speciale intra idem genus luxuriæ deformitatem ponit Sanctus ex eo quod ille actus sit contra bonum prolis, vel contra ius mariti, licet hæc iura pertinere potius ad iustitiam videantur. Ergo cum distinguit S. Thom. hos actus specie, intra eandem rationem luxuriæ distinguit, vel nulla est quæstio.

21.

*Si intra ge-  
nus luxuria  
peccatis con-  
tra castita-  
tem malitia  
specie diuer-  
sa non com-  
petit, sed so-  
lum in ordi-  
ne ad alia  
genera vitio-  
rum, omnia  
possent dici  
solum in nu-  
mero distin-  
ctæ, & actum  
de questione.*

Quid ergo oportet ingenia fatigare inquirendo an dentur peccata luxuriæ specie diuersa. Possemus enim ex facili quæstionem istam excutere dicendo omnia peccata luxuriæ in ratione luxuriæ, solo numero diuersificari. Neque hoc esse contra S. Thom. adhuc in peccatis iuxta naturam: quia dum illa distinguit specie, non in genere luxuriæ, sed alterius vitij specificam illis tribuit distinctionem. Immò addere possemus peccata luxuriæ contra naturam non distingui specie à peccatis luxuriæ iuxta naturam: quia eidem virtuti castitatis opponuntur. Quod profectò esset absurdum, absurdissimum. Et in sententia Caram. à fortiori procedit. Cum eodem præcepto prohibeantur. De quo infra

22.

*Quod S. Th.  
seorsim de*

Nec his omnibus obstat quod Sanct. Doct. non instituerit speciales articulos circa distinctionem specificam actuum venereorum

reorum contra naturam, sicut circa actus iuxta naturam. Nam hanc, ut diximus, supposuisse videtur, cum per se pateat inordinatio concupiscentia in genere luxuriæ inter ipsos, quam inter actus iuxta naturam nili ab hoc genere in aliud transferantur. Quod si ex quo illud omisit, liceret inferre illius mentem esse illa peccata inter se non distingui specie, liceret etiam inferre sensisse non distingui specie, quamvis continerent malitiam contra aliam virtutem, ut actus sodomiticus inter Religiosos vel confanguineos, quia de hoc non dubitavit specialibus articulis. Itaque non valet argumentum, omisit quæstionem an peccata contra naturam distinguantur specie inter se, ergo sensit non distingui: Præsertim cum expressè declarauerit mentem suam fuisse de illis specialiter non tractare; ut patet in 4. dist. 41. ad 2. q. vbi dixit. *Sed quia vitium contra naturam innominabile est, relinquatur.* Ut latius infra Sicut cum subdividimus animal in rationale & irrationale & hoc non subdividimus non idèò sentimus irrationabilia inter se specie non distingui.

*unaquaque specie peccata contra naturam non differuerit, potius confirmat quam infirmat S. D. varias illorum species agnovisse.*

Non est ergo expressa mens S. Th. vitia contra naturam esse eiusdè speciei specialissimæ, sed potius illa esse specie distincta. Ex quo ruit probabilitas extrinseca tuæ sententiæ. Nam tota illa series DD. qui asserunt sanctum Thomam ita dixisse, vel non adverterunt textum, vel vnum secuti sunt id attestantem. At in iure testes, qui dicto vnus nituntur, pro vno tantummodo reputantur. Vnde cum facta discussione appareat dictum illius, cui adhærebant, non sic se habere, ut ab illis assertum est, nullam fidem faciunt: ergo, &c

23.  
*sententia Caram. probabilitate extrinseca destituta est. Testes dicto vnus nitentes, pro vno reputantur, & isto deficiente omnes deficiunt.*

Accedo ad probabilitatem ab intrinseco, quâ etiam carere sententiam istam, manifestè constabit. Præmitto me non tanti facere conceptum meum ut arrogare mihi ausim rem istam ita euidens redditur, ut oculis cerni possit; nam crimen arrogantia pertimesco, quod supra insinuavi, inculco. Intendo probare ita esse euidens peccata contra naturam distingui inter se specie, ac est euidens peccata iuxta illam inter se, & peccata contra naturam à peccatis iuxta naturam distingui specie. Ita quod si euidens non est peccata contra naturam inter se differre distinctione specifica, neque erit euidens distingui specie à peccatis iuxta naturam, nec ista inter se. Nolo à Caramuele dissentire, nec de intelligentia vocum *euidens*, & *probabile* contendere. Suppono

24.  
*Distinctio specifica, inter peccata contra naturam necessario concluditur, si non negatur, inter peccata iuxta naturam.*

Opinio probabilis, quid sit.  
Evidens ratio quae?

pono vt certum quod ponit pro maiori in argumento suo. Illa est opinio probabilis, cui non datur solutio euidens. Illa est ratio euidens, cui ne quidem probabilis solutio datur. At nemo est in mundo (ait ille) qui daturus sit euidens solutionem Filliucio: & mihi diu cogitanti, libros legenti, & viros doctos consulenti non occurrit vel vna solutio probabilis Ergo ratio Filliucij aut est euidens, aut ad minus valde probabilis. Ergo sententia, quam illa persuadet, si non est omnimodè certa, erit saltem probabilis

25.  
Sententia Car. ab intrinseco improbabili, in quam clausis oculis ceteros ducere contendit.

Contra te arguo argumento tuo. Illa est opinio probabilis, cui non datur solutio euidens: & illa est ratio euidens, cui non datur solutio probabilis. At multi sunt in Mundo, qui daturi sunt solutionem Filliucio: & mihi non multum cogitanti, & Carmuelem legenti, non solum probabilis, sed euidens solutio occurrit: ergo ratio Filliucij non solum euidens non est, sed nec probabilis. Vnde sententia cui ipsa patrocinator non est probabilis. Negabis minorem; ego etiam nego minorem tui argumenti. Tu illam omittis improbatam: & soli dicto tuo tantam nos fidem adhibere voluisti, vt clausis oculis rem sic se habere profiteremur, debuisses enim saltem aliquorum solutiones referre, & refellere. Nam non videtur possibile quod nullam inueneris impugnatione tuâ dignam; ego Minorem probabo infra, cum solutiones adhibeam tuæ ratiocinationi, ex quibus solutio patebit argumento Filliucij. Nunc ad probandam nostræ sententiæ euidens procedamus.

26.  
Inter peccata contra naturam dantur speciales malitia, vt notabilior deformitas in vno quam in alio.

Sic arguo primò ratione sancti Thomæ, vbi adest specialis ratio deformitatis, datur specifica distinctio. At inter peccata luxuriae contra naturam datur specialis ratio deformitatis: ergo inter illa datur specifica distinctio. Probo minorem. Nam oculis ipsis cernimus multò magis horrere naturam, peccatum sodomiticum, quàm simplicem pollutionem, & peccatum bestialitatis, quàm sodomiam: ergo notabilior deformitas apparet in vno, quàm in altero: ergo adest specialis ratio deformitatis. Multò enim magis in consentaneum naturæ rationalis est commisceri cum bestia, & fieri vnum corpus cum illa, quàm meram pollutionem procurare, ad quam etiam natura suos conatus habet naturales, sapius independenter à procuratione agentis: ergo specialis ra-

lio deformitatis reperitur inter peccata contra naturam inter se comparata.

Confirmatur non est maior deformitas inter stuprum & raptum, quàm inter mollitiem, & bestialitatem: ergo vel illa non distinguuntur specie, vel hæc distinguuntur. Consequentia bona est. Nam ubi non est specialis deformitas, & malitia, non est specialis distinctio. Anteced. probat. nam stuprum, & raptus solum distinguuntur ex eo quòd in altero fiat violentia; in altero vero non. Sed quis non videat maiorem deformitatem continere in genere luxuriæ coitum cum bestia, comparatum cum emissionem seminis sine coitu; quàm coire cum fœmina cum violentia, vel sine illa: ergo non est maior differentia inter stuprum & raptum, quàm inter mollitiem & bestialitatem. Etenim sicut ille qui rapit, vel stuprat, principaliter intendit delectationem veneream iuxta naturam; ita ille qui coit cum bestia, vel polluit, quærit principaliter delectationem contra naturam. Atqui illa peccata distinguuntur specie ex sola circumstantia violentiæ: ergo & ista, ratione horribilis dissonantiæ cum natura rationali, quæ reperitur in coitu cum natura irrationali, vnumque cum illa fieri.

27.

*Non est maior deformitas inter stuprum & raptum, quàm inter mollitiem & bestialitatem.*

Idem argumentum fieri potest in aliis speciebus luxuriæ; etenim non videtur esse maioris momenti deformitas reperta inter copulam cum confanguinea & copulam cum muliere coniugata vel non confanguinea, vel coniugata, quàm inter copulam cum masculo homine vel cum bruto. Atqui illa peccata dicunt specialem deformitatem: ergo & ista. Si dixeris illa distingui specie, quia præter malitiam contra castitatem, important malitiã contra iustitiam, pietatem, vel alias virtutes specie distinctas. Repe- tam quod supra iam dixi: ergo non distinguuntur specie in genere luxuriæ, ac per consequens dici potest in genere luxuriæ non dari peccata specie distincta. Quo facillimè ab hac laboriosa quæstione nos extricaremus. Sed an rectè, videat qui hoc affirmare audeat. Nullum enim pro se afferre poterit Doctorem, & temeritatis norâ non dubito posse inuri. Deinde raptus, & stuprû, eidem virtuti iustitiæ opponuntur; & tamen differunt specie in ratione iniustitiæ, cum solum in modo accidentali differant inter se: ergo licet mollities & bestialitas in modo differant, distinguuntur specie.

28.

*Et generaliter non plus distans malitia peccatorum iuxta naturam inter se, quàm malitia peccatorum contra naturam.*

*At illa inter se non distans specie, quis non temerariò dicat.*

29.

*Cōsanguinitas inter sodomiticōs cōcumbentes est circumstantia mutans speciem, atque necessariō cōfiterenda.*

*Prosequitur doctrina n. 28. tradita.*

*Melius percipitur diuersa deformitas in vno genere luxuriæ in peccatis contra naturam, quàm in aliis iuxta naturam.*

Quod confirmatur ex communi Theologorum placito. Fatentur peccatum sodomie cum masculo consanguineo esse specie distinctum à sodomia cum non consanguineo, & à simplici pollutione, esseque necessariō apperendam in confessione consanguinitatem concumbentis cum concumbente (licet dissentiant in eo an sit necessarium gradum exprimere, siue in linea recta, siue in transuersali.) Nunc sic; illud peccatum est specie diuersum ab aliis contra naturam, non secus ac peccatum copulæ cum consanguinea ab aliis iuxta naturam. Ergo eodem pacto, quo peccata iuxta naturam inter se specie distinguuntur, ita & peccata contra naturam. Neque est maior distinctio in genere luxuriæ inter peccata iuxta naturam, quàm inter peccata contra naturam. Imò inter hæc maior apparet: nam adhuc independenter ab illa circumstantia, quæ transfert actum à genere luxuriæ in aliud vitium specie diuersum, deprehenditur maior deformitas in vno peccato contra naturam, quàm in altero. Quæ non facillè dignoscitur in actibus iuxta naturam independenter ab illa circumstantia. Ergo potiori iure illa inter se distinguuntur, specie, quàm ista, in genere luxuriæ.

Confirmatur quia non habet maiorem deformitatem copula cum masculo consanguineo comparata cum simplici pollutione, quàm habeat copula cum bestia comparata cum eadem simplici pollutione. Atqui illa distinguitur specie à pollutione. Ergo & ista.

Præterea. Mollities eodem modo, quo distinguitur à bestialitate, differt à simplici fornicatione. Ergo vel ab vtroque peccato distinguitur specie, vel à neutro. Anteced. probo à fornicatione simplici distinguitur in hoc quod omittitur concubitus ad alterum, & à bestialitate in hoc etiam solo distinguitur, vt supra dixi ex S. Thoma, qui eam idcirco ponit in infimo loco peccatorum contra naturam, ibi. *Inter vitia contra naturam infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum.* Non dixit, omissione concubitus ad fœminam, sed ad alterum. Vnde patet quod à simplici fornicatione, & à bestialitate, differat ob eandem rationem formalem. Ergo vel ab vtraque, vel à neutra; distinguitur specie.

Dices

Dices distingui specie à fornicatione simplici, quia omittit  
 vsu ad generationem ordinatum, quem non omittit simplex  
 fornicatio. Non verò distingui specie à bestialitate, quia tam  
 illa, quàm ista, sunt actus, ex quibus sequi non potest generatio.

30.  
 Etiam si pol-  
 lutio, & be-  
 stialitas con-  
 uenirent in  
 eo quod neu-  
 tra genera-  
 tionem cau-  
 sat, vnus  
 speciei non  
 probarentur.

Sed contra. Nam etiam simplex fornicatio, & pollutio con-  
 ueniunt in hoc quod est procurare delectationem veneream; &  
 tamen hoc non sufficit vt sint eiusdem speciei, quia differunt in  
 modo eam procurandi: ergo eodem pacto, licet ~~simplex fornicatio~~  
 pollutio, & bestialitas, conueniant in hoc, quod ex illis non sequitur  
 generatio; quia differunt in modo, distinguuntur specie. Cur  
 enim illa ratio erit generica, & non ista?

Contra secundò, nam falsum esse ex bestialitate, non posse  
 sequi generationem multa monstra conuincunt, quæ siue ex con-  
 gressu hominis cum bestia fœminea, vel bruti cum fœmina hu-  
 mana aborta sunt. Vide R. P. Euseb. Nierember. in histor. nat.  
 lib. 5. cap. 6. 7. & 8. vbi docet hoc non esse contra naturæ vires:  
 ergo illa actio tendit ad generationem monstruosam, sicut  
 fornicatio simplex ad generationem naturalem: ergo sicut  
 simplex pollutio ab ista distinguitur, quia omittit actionem ten-  
 dentem ad generationem naturalem; ita distinguitur ab illa, quia  
 omittit actionem tendentem ad generationem monstruosam.  
 Quod confirmo ex iis quæ docent probatæ fidei authores, teste  
 Delrio lib. 2. disq. Magic quæst. 14. vbi postquam dixit Dæmones  
 posse producere quædam insolita monstra, subdit: *Nisi fortassis  
 illa sint ex nefario hominum, ac ferarum coitu nata quæ mon-  
 strorum plurimorum origo indubitata.* Ergo coïtus cum bestia  
 ordinatur ad generationem monstruosam, sicut coïtus cum fœ-  
 mina ad generationem naturalem, ac per consequens simplex  
 pollutio ab vtraque differt specie.

31.  
 Ex bestiali-  
 tate potest  
 sequi gene-  
 ratio mon-  
 struosa.

Contra tertio. Nam coïtus cum Dæmone negari non posse  
 videtur esse peccatum specie distinctum à peccatis iuxta natu-  
 ram. Ergo est peccatum contra naturam. Dicit non potest esse  
 pollutionem simplicem, quia sæpè ex illa copula nascitur prolis,  
 quidquid sit de modo quo semen infertur à Dæmone intra  
 vas muliebre. Ergo inter vitia contra naturam datur distinctio  
 specifica.

32.  
 Coïtus cum  
 Dæmone pec-  
 cati contra  
 naturam à  
 ceteris specie  
 distinctum.

Præterea hoc, quod est impedire generationem, non est

33.

*Impedire generationem non est de genere luxuria, sed iniustitia, vel impietatis.*

malitia pertinens ad luxuriam, sed contra iustitiam, vel pietatem: ergo in genere luxuriæ accidentaliter se habet. Ergo si peccata contra naturam inter se specie non distinguuntur ratione maioris deformitatis in genere luxuriæ, neque distinguuntur specie à peccati iuxta naturam. Probo anteced. Nam impedire generationem est peccatum eo quod infert iniuriam proli genitæ, vel Patri generanti, vel alteri; ergo est contra iustitiam. ~~Pietas~~ antecedens, nam etiam impedit generationem qui membrum virile, vel testicula voluntariè abscindit sibi vel aliis, vel qui mulieri potationem aut pharmacum tribuit ad impediendam generationem, vel ad abortum procurandum ante vel post animatum foetum sine causa. At nemo dicet illa peccata esse contra castitatem, sed contra iustitiam vel pietatem, aut aliam virtutem; ergo per hoc quod est impedire generationem conveniunt peccata contra naturam cum peccatis contra illas virtutes; quia illa circumstantia impediendi vel non impediendi generationem, non reddit actus contra naturam inordinatiores in genere luxuriæ per se, sed in genere impietatis vel iniustitiæ; ergo in genere luxuriæ non est maior deformitas in peccatis contra naturam comparatis cum actibus iuxta naturam, quàm in eisdem comparatis inter se: ac per consequens non magis distinguuntur à peccatis iuxta naturam in genere luxuriæ, quàm inter se.

34.

*Explicatur amplius.*

Explicatur & confirmatur discursus iste. In peccatis contra naturam duæ considerantur malitiæ. Prima, impediendi generationem. Secunda, capiendi voluptatem veneream. Prima opponitur virtuti iustitiæ aut pietatis. Secunda opponitur castitati: atqui in genere iniustitiæ vel impietatis non distinguuntur specie ab aliis peccatis iniustitiæ, vel impietatis impediendis generationem, licet cum malitia iniustitiæ vel impietatis coniungatur malitia capiendi delectationem veneream: ergo in genere luxuriæ non distinguuntur specie ab aliis actibus luxuriæ, licet cum illa delectatione venerea coniungatur iniustitia impediendi generationem: ac per consequens non distinguuntur specie à peccatis iuxta naturam in genere luxuriæ. Quod quidem à te debere concedi euentissimum iudico. Nam in Theol fundam. fund. 57. fornicationem ais habere species subalternas non intrinsecas, sed extrinsecas. Quia non pertinent ad luxuriæ lineam,

*Fornicatio habet species subalternas extrinsecas iuxta CATH.*

neam, sed ad alia præcepta: v. g. adulter & fornicatur, & iniuriam facit coniugi. Vnde violat duo præcepta, scilicet quintum & sextum: ego non crederem adulterium quinto præcepto, sed se-  
 primo, opponi, quia aufert alienum, vel octauo, quia in honore damnificat. Sed, quidquid sit, etiam mollis duo frangit præcepta, scilicet sextum, quia venereum actum committit, & quintum, quia impedit generationem, & veluti occidit semen: ergo à fornicatione simplici distinguitur specie non intrinseca, sed extrinseca, & per consequens non rectè asseris dicto primo luxuriam diuidi intrinsecè, & adæquatè in naturalem & contranaturalem, sicut animal in rationale & irrationale, quia peccata contranaturalia solùm extrinsecè à naturalibus distinguuntur.

*Adulter violat duo præcepta, & quam.*

*Mollis duo præcepta frangit.*

Nunc vtor argumento tuo: euidens est quod caret solutione probabili. Sed simplicem pollutionem non distingui specie à simplici fornicatione, non caret solutione probabili, si probabilis est illa, quæ sufficit ad reddendam non euidens distinctionem specificam inter peccatum pollutionis & bestialitatis: ergo non est magis euidens illa duo distingui, quàm ista: vel vtrumque euidens est pariter. Probo minorem, eadem solutione, quæ diluitur argumentum probans simplicem pollutionem distingui à bestialitate, potest solui illud quo probatur eam distingui specie à simplici fornicatione, cum illa tendat ad generationem bestialem, sicut ista ad naturalem. Et pollutio consistat in amissione concubitus ad alterum per quem distinguitur à fornicatione & bestialitate: ergo tam euidens est istam distingui specie ab vtraque, quàm à neutra.

35.

*Non est magis euidens, pollutionem à fornicatione, quàm à bestialitate specificè distingu.*

Nec dicas in coïtu cum bestia non intendi generationem per se; at verò in coïtu cum muliere illam intendi: quia vel consideratur actio ista secundum se, vel quatenus ab agente intenditur. Si primum intendat, vel non intendat, contingat vel non contingat, ad id tendit illa actio, siue in hominibus, siue in brutis, siue inter hominem & brutum exerceatur: ergo vtraque est specie distincta à simplici pollutione. Si verò tantùm habet malitiam intentam ab operante: ergo qui coïret cum foemina iam annosa, imò cum iuvene, sine intentione generandi, peccaret peccato pollutionis & contra naturam; quod est absurdum.

36.

*Infigitur quædam suspensio.*

Tandem liceat probare specificam distinctionem inter peccata

37.

cata

*Specifica distinctio inter peccata contra naturam dialectico argumento suadetur.*

cata contra naturam dialectico argumento. Genus est quod praedicatur de pluribus specie differentibus; species est quae praedicatur de pluribus numero differentibus. Individuum est quod sub se nulla habet inferiora (omnes logici in his conueniunt) quidquid sit de illis quaestionibus, an genus ut pars materialis, species ut tota essentia communis, an constitui debeant quinque vel quatuor tantum, aut tres, vel mille species praedicabiliu. Nunc sic luxuria diuiditur primò in peccata contra naturam & iuxta naturam; tanquam genus in species. At cur respectu peccatorum iuxta naturam in speciem interiectam, nisi quia conueniunt in vna ratione communi operandi iuxta naturam, quae postea subdividitur in stuprum, adulterium, &c. quae sunt species, quia sub se habent individua, quae non habent aliam rationem, vel nomen commune ideòque non distinguuntur nisi per A. B. C. vel per taleitatem, sicut individua hominis per petreitatem pauleitatem, &c. At ipsis oculis cernimus, quòd peccata contra naturam conueniunt in hoc, quod sint contra vsum naturalem; quae etiam diuiduntur in peccata sodomiae, pollutionis, bestialitatis. Quorum specialem grauitatem sancti PP. DD. diuersimodè inter se ponderant & execrantur; & adhuc sub se habent individua, quae significari possunt per vocem nempe *individuum*, v. g. pollutio A. B. bestialitas A. B. C. &c. Ergo signum est ea distingui species; nomen enim est vox essentiae & regulariter, quae sub vno nomine significantur eiusdem speciei sunt, quae verò diuersè diuersam speciem significant.

*Quia sub vno nomine significatur sunt regulariter vnius speciei.*

38.

*Peccata bestialitatis cum diuersis non distinguuntur specie.*

Nec ex hoc inferas; inde posse dici specie distincta peccata bestialitatis, cum bestiis specie distinctis. Nam ipsamet veritas sese manifestans, ostendit quod malitia bestialitatis in genere luxuriae non fumitur à ratione specifica vnius bruti, prout ab alio distincti, sed à ratione deformitatis specialis contra naturam, quam dicit coire cum bestia respectu coitus cum muliere, ad quod per accidens est quod sit canis vel ouis. Quod ex te confirmo. Nam, adhuc supposito speciali praeepto prohibente bestialitatem, à qua malitia huius vitij dependet, asseris bestialitatem cum diuersis bestiis non distingui specie. Quia haec ipsa brutorum differentiae, cum non sint specialiter interdicta, non augent malitiam specialem. Quod ergo tu ex praeepti carentia asseris (quod

(quod non video quomodo possit à te defendi) assero ego ex carentia diuersæ deformitatis; quia terminant actum non sub ratione speciali, in qua differunt, sed sub communi in qua conueniunt. Nec implicat quod aliqua specie diuersa terminent aliquem actum eiusdem speciei, quando sub ratione, in qua specie non differunt, illum terminant. Canis autem ab oue non distinguitur specie in ratione bestię; sed in ratione canis & ouis; sicut homo & leo non distinguuntur specie ratione animalis, sed in ratione rationalitatis & irrationalitatis. Vnde actus cognoscens rationem animalis in homine præscindendo à rationali, & actus cognoscens rationem animalis in brutis præscindendo ab irrationali (positâ sententiâ quod dentur actus præscindentes) non sunt specie distincti. Sicut enim obiecta inter se solo numero distincta terminant, & specificant actus specie diuersos; sic obiecta specie diuersa possunt specificare actus eiusdem speciei; quod in præsentia materia est euidentius. Nam coitus, v. g. masculi cum masculo est specie distinctus à coitu masculi cum fœmina intra eandem speciem humanam. Et ratio est, quia illi actus non specificantur sub ratione quâ numericè distinguuntur obiecta, sed sub ratione deformitatis luxurię, quę apparet in diuerso modo coëundi contra vel iuxta naturam. Ergo similiter in actibus specie diuersis dicendum est, modo explicato.

Ex quibus, solutiones mihi euidentes tuo argumento facillimè reddo. Primò, dico argumentum nimis probare; liceret enim ex eo infetre furari, occidere, detrahere, famam labefactare, non esse distincta peccata specie, quia omnia tendunt ad faciendam proximo iniuriam; liceret probare simplicem fornicationem, stuprum, & adulterium non distingui specie in genere luxurię; quia in omnibus illis procuratur delectatio venerea, quę ex quo fit cum hac vel cum illa fœmina non augetur in ratione delectationis. Tandem probari posset peccata contra naturam à peccatis iuxta naturam in ordine venereo non distingui specie; quia omnes tendunt ad carnis delectationem comparandam, ad quod in genere luxurię per accidens est quòd aliud sit per concubitum ad fœminam, aliud sine concubitu, vel cum concubitu ad masculum. Nec credo assignari à se posse disparitatem euidentem in vno casu potius quàm in alio; atque ad eò æquè rema-

39.

*Argumentum  
Caram. ni-  
mis probat.*

nebit probabile omnia hæc non distingui specie, sicut illud. Cum ad hoc, per te, sufficiat quod desit solutio euidens. Vel ergo euidens est peccata contra naturam esse inter se specie distincta, vel non est euidens ea specie distingui à peccatis iuxta naturam.

40.

Quod si dixeris euidens esse disparitatem in materia iustitiæ. Tum quia diuersis mandatis prohibentur furari, occidere, &c. tum quia bona illa scilicet pecunia, fama, vita, sunt diuersi ordinis; at verò pecunia ad eundem ordinem pertinet, & potest in quantitate furtum supellectilium æstimari, & restitui auro; & è conuerso. Et similiter furtum argenti, quia tantum argenti correspondet tanto auri, & tantum supellectilium tanto argenti & auri in æstimatione. At hoc non procedere in fama respectu pecuniæ, & vitæ; quia neque fama, neque vita, pretio æstimantur, aut auro redimuntur. Quæ ratio non militat in peccatis contra naturam inter se comparatis; militat verò in ipsis comparatis cum actibus iuxta naturam. Dicam ego hoc tibi probandum, & de hoc me petere disparitatem. Cur non sit philosophandum de peccatis contra naturam inter se, sicut de illis comparatis cum peccatis iuxta naturam, & sicut philosophatur in peccatis iuxta naturam inter se comparatis. Cum negari non possit notabilis deformitas inter vnum peccatum contra naturam comparatum cum altero, sicut non negatur inter peccata iuxta naturam, & inter hæc comparata cum peccatis contra naturam. Ego enim nullam assignabilem inuenio disparitatem, ex qua non reddatur æquè certum peccata contra naturam distingui inter se specie, sicut distinguuntur à peccatis iuxta naturam; atque aded sicut est probabile, per te, hos actus non distingui inter se specie; ita erit probabile non distingui ab actibus iuxta naturam. Secundo dicam quod peccata contra naturam prohibita sunt diuersis Præceptis, vt patet ex textibus sacris, quos tu ipse refers in Theol. Morali præcep. 6. atque aded ex hoc capite distinguuntur specie, sicut illa.

*Peccata contra naturam prohibita sunt diuersis præceptis.*

41.

*Nec potest dici eodem præcepto peccata contra*

Quod si dicas eodem præcepto & vnico, quo peccata iuxta naturam prohibentur, prohiberi peccata contra naturam, euidenter sequitur ex hoc non probari eorum specificam distinctionem à peccatis iuxta naturam. Ex quo non leue fieri posset argumentum

gumentum contra te. Primò quia, per te, omnis moralis malitia in his actibus est à præcepto, ergo si vnicum est specie præceptum, vnica erit specie malitia. Si concedas præcepta esse specie diuersa, quia habent diuersa obiecta; supponis in obiectis bonitatem vel malitiam à præcepto independentem. Quia obiectum specificans præceptum est prius ipso præcepto. Vnde sicut præceptum de re mala esset malum, sic actus amans illud obiectum esset malus ante præceptum, si eliceretur illo priori, quo malitia obiecti antecedit præceptum, nam tenderet moraliter in obiectum malum. Si verò dicas præcepta specie distingui ex alio capite (quodcumque sit illud, sic contra te insurgo, Vel vnico præcepto *non machaberis* omnia peccata venerea siue contra siue iuxta naturam prohibita sunt, ita vt non indigeat alio præcepto, vel non? Si primum: ergo vnicam specie malitiam continent omnia. Si secundum: ergo cum quodlibet peccatum contra naturam prohibitum sit speciali præcepto sicut peccata iuxta naturam; non est ratio aliqua, nec probabilis, quæ suadeat ex diuersitate præceptorum peccata iuxta naturam distingui, & non distingui peccata contra illam inter se. Vnde non video (vt supra innui) quomodo à te sustineri possit peccata contra naturam non distingui specie inter se, posito quod, ex eo quod sub vno præcepto, vel eisdem verbis, prohibetur bestialitas cum omnibus brutis, bestialitates cum brutis diuersæ speciei non distingui specie asseris. Nam sic arguo. Si peccata bestialitatis cum diuersis bestiis essent prohibita diuersis præceptis, essent specie distincta. At sodomia, mollities, & bestialitas sunt, in sacra Scriptura, prohibita diuersis præceptis. Ergo sunt specie distincta: Maior tua est. Minor constat; nam Leuit. 17. interdicitur mollities his verbis. *De semine tuo non dabis idolo Molobe.* Sodomia istis: *cum omni masculo non commiscearis.* Bestialitas hisce: *cum omni pecore non coibis.* Nec potest dici hæc non esse diuersa præcepta, sicut sunt diuersa illa, quibus prohibentur peccata iuxta naturam ab his, & inter se: nam fornicatio prohibita est Leuitici 19. & ibid. prohibetur incestus diuersis verbis. Cur ergo hæc verba denotant præcepta specie diuersa, & & non illa?

*naturam, & iuxta naturam prohiberi.*

*Sodomia & bestialitas distinctis legibus interdiciuntur.*

Scio communem sententiam peccata non distinguentem in-

*Peccata non distinguuntur specie eo præcisè quod diuersis præceptis opponantur.*

*Cæterùm à posteriori ex diuersitate præceptorum specifica peccatorum distinctio colligi potest.*

ter se ex eo præcisè quod diuersis præceptis opponantur, præsertim si præcepta sint inter se subordinata, vt naturale diuinum, diuinum positium, humanum positium, &c. Cæterùm à posteriori non diffiteor posse ex diuersitate præceptorum specificam distinctionem colligi hac ratione. Nemo enim est tam ignarus qui non cognoscat peccata numero solum distincta non indigere specialibus præceptis, v. g. hic & ille actus adulterij sub eodem præcepto continentur. Similiter negare nemo potest peccata, quæ sub vno præcepto non continentur, sed indigere speciali prohibitione, debere distingui specie. Attende Non dico sub vno præcepto non prohiberi peccata specie diuersa, quia sicut contra eandem virtutem ea concedo, sic contra idem præceptum. Sufficit enim quod in ratione specifica interiecta conueniant, vt sub vno præcepto contineantur. Sed hoc stante adhuc verum est, quod ea, quæ solo numero distinguuntur, non indigent speciali præcepto; ea verò quæ indigent speciali præcepto, dicunt distinctionem specificam. Nunc sic, vel ista peccata contra naturam indigent præcepto speciali, ita vt sub illo *non machaberis* non contineantur, & quodlibet peccatum per se sit peccatum contra naturam; vel non? Si indigent: ergo inter se distincta sunt specie. Si non? ergo ratione præcepti non potest probari specifica distinctio inter ea, ac illa, quæ sunt contra naturam, &c.

43.

*Eo quod vni peccatum & non aliud reseruetur, non valè deducitur illorum specifica distinctio.*

Confirmari posset à posteriori ratione Bossij, licet à te inefficax iudicetur. Nam non videtur malè inferri specifica distinctio à posteriori ex eo quod vnum peccatum reseruetur & non aliud. Nam inter peccata solo numero distincta, vix potest assignari aliqua verosimilis ratio cur hoc sit reseruatam, & non illud. Etenim indiuidua vix dignoscuntur nisi per A, B, C, quomodo ergo dicemus fornicationem A, esse reseruatam, & non fornicationem B, ergo non malè inferitur à posteriori quod reseruatio vnius peccati omnia indiuidua reseruat, & quod sub illa non cadit, non numero solum, sed specie distingui ab eo actu quod sub reseruatione cadit. Immò videretur irrationabilis reseruatio, si vnum indiuiduum reseruetur alio non reseruat, nisi aliqua adesset circumstantia, ob quam malitia specialis vni adiaceret saltem extrinsecè non alteri ex quo fieret iam non obiectum reseruationis specie diuersum.

Tertiò,

Tertiò , dicam quod ipse dicis applicatis terminis nostro casui; unde fateri teneberis, vel solutionē tuam non esse euidentem, vel nostram euidentem esse: ergo argentū, aurum, &c. sunt bona eiusdem ordinis in materia iustitiæ, & vnum altero commēsuratur, & compensatur, ideóque non diuersificātūr specificè actus furti, quia solūm specificantur sub ratione cōmuni scilicet rapiendi alienum prout pertinent, v.g. ad dominium diuitiarum; at verò illa bona famæ, honoris, & vitæ, sunt alterius ordinis, nec vnum alio compensabile est propter illam specialem rationem constituentem peccata iniustitiæ specie distincta. Similiter ergo philosophandum est in actibus venereis: nam illi actus qui sunt contra naturam specificantur non à dissonantia vel deformitate quam dicunt ratione capiendi voluptatem præcisè, in quo conueniunt cum omnibus actibus Venereis, sed illius quærendæ omittendo vsum naturæ, vel abutendo illo, ideóque distinguuntur specie ab actibus luxuriæ iuxta naturam. Rursus actus iuxta naturam inter se comparati non specificantur à ratione illa communi capiendi voluptatem veneream iuxta naturam, sed ratione acquirendi illam cum consanguinea, vel coniugata, vel medio raptu, ideóque distinguuntur specie; quæ omnia tu non negas. Similiter dico peccata contra naturam specificantur non præcisè ex eo quod in illis delectatio venerea procuratur: quia in hoc conueniunt cum actibus iuxta naturam: nec præcisè ex eo quod delectatio quæratur amittendo vsum naturalem, in quo conueniunt inter se: sed quia delectatio procuratur abutendo illo & cum coniunctione ad bestiam, vel ad masculum, in quo, vt supr. probatum est, apparet specialis deformitas, non secus ac in peccatis iuxta naturam inter se comparatis. Vnde manifestum redditur non posse numero solo distingui, vel dicendum erit eodem pacto distingui à peccatis iuxta naturam. Vnde ad argumentum in forma concedo antecedens, & nego consequentiam; quia in furto argenti, &c. specificantur à ratione illa, in qua conueniunt, & vnum æquiualeat alteri; at actus venerei non specificantur à ratione communi solūm, sed à speciali deformitate, quam habet omisio debiti vsus, & actus coniunctionis cum sexu alterius speciei; quæ sunt diuersi ordinis deformitates. Sicut in furto, & detractione famæ, sunt diuersi ordinis bona, quæ auferuntur, licet

44.

*Quomodo  
specificantur  
peccata lu-  
xuria, tam  
contra quam  
iuxta natu-  
ram.*

*Respondetur  
argumento  
Caram.*

sub eodem genere iustitiæ contineantur.

45.

*Dissoluitur  
ratiocinium  
Filliucij cum  
argumento  
Caram. co. n.  
ciens.*

Ex quibus solutio ad rationem Filliucij evidens fit, quia coincidit cum illa argumentum tuum. Ratio enim Filliucij ea est; quod eadem malitia inuenitur in omnibus actibus contra naturam, scilicet exercendi actum venereum modo ex quo sequi non possit generatio. Quod autem hoc vel illo modo per accidens se habere, nec sufficere ad constituendas species diuersas. Respond. eodem argumento probari peccata iuxta naturam non distingui specie inter se quia conueniunt in hoc quod est exercere actum venereum modo ex quo possit sequi generatio. Et quod actus fiat hoc vel illo modo cum violentia vel sine illa, cum hac fœmina, vel cum alia, non sufficit ad constituendas species distinctas. Et similiter posset probari non distingui specie à peccatis iuxta naturam, quia conueniunt in hoc quod est procurare veneream voluptatem; & sicut hæc ab illis distinguis, & ista inter se, quia specialem deformitatem habent, ex eo quod exerceantur cum hac fœmina, vel illa, quia ex hoc redditur notabiliter inordinatior concupiscentia; sic peccata contra naturam, præter malitiam communem omnibus illis, dicunt illam maiorem deformitatem ex eo quod exerceantur cum masculo eiusdem speciei, vel cum concubitu ad bestiam, marem, vel fœminam, vel sine vilo concubitu; ideóque specie distingui. Nec ideó sequitur quod infert Filliucius facile posse inueniri alias species, v. g. si vestibus, vel aliis inanimatis; quia in his non apparet nobiliter inordinatior concupiscentia; vt de bestialitate cum diuersis brutis tu ipse fateris. Quod quidem ita per se patet, vt quasi oculis ipsis cerni posse, nec alia indigere probatione videatur. Quæ etiam ratio militat in pollutione procurata manibus propriis vel alterius. Quia ibi non datur propriè coniunctio: nam hæc dicit actionem agentis & patientis emittendo semen intra vas naturale vel extra naturale; quod in actu prædicto non inuenitur.

*In pollutione  
procurata  
manibus al-  
terius non  
datur prop-  
riè coniun-  
ctio, & quid  
ista impor-  
tet.*

46.

*Vltimus S.  
Thomæ pro  
nostra senten-  
tia asseritur,*

Quod addit S. Th. numerasse peccata contra naturam inter species luxuriæ nihil dicendo de specifica distinctione illorum inter se ex dictis supra soluitur clarè; quia vt vidimus S. Thom. dixit se solum egisse de peccatis luxuriæ iuxta naturam; & probatum fuit non sequi, non numerauit, ergo sensit non distingui; & vt

In hoc omnis tollatur suspicio, audi S. Doct. in 4. dist. 41. ad 2. quaest. hoc ipsum dicentem. *Dicendum* (inquit) *quod species luxuriae distinguuntur primò per concubitum secundum naturam & contra naturam. Sed, quia luxuria contra naturam innominabilis est, relinquatur.* Quid est relinquatur? non quod dicitur, sed quod non dicitur, relinquitur. Secundum rationem communem non ea reliquit; quid ergo est quod relinquitur de vitio contra naturam, nisi quod asseritur de vitio, iuxta naturam, hoc est subdiuisio in species infimas: ergo supponit in vitiis contra naturam illam enumerari posse, se tamen ex destinato animo id omisisse.

*Species luxuriae contra naturam dicitur à S. Th. innominabilis, & idè de illis seorsum non agit.*

Quod tu addis inter coniugatos non reputari peccata dummodo emissio feminis fiat intra vas, probare posset peccata contra naturam à peccatis iuxta naturam non distingui specie; quod patet meo iudicio euentissimè: nam idè non vis illa distingui specie inter se, quia in coniugatis non distinguuntur illi actus si semen decidat intra vas. Quia posset coniugatus incipere actum propriis manibus, vel manibus & adiutorio vxoris, quod etiam pertinet ex se ad actum pollutionis; ex quo sequitur quod etiam poterit illum incipere cum bestia, vel cum masculino, dummodo postea decidat semen intra vas; atque adè isti actus non distinguuntur specie ab actibus iuxta naturam quod est plusquam falsum, & horrent piæ aures: ergo & illud ex quo sequitur falsum est. Relinquitur ergo peccata contra naturam distingui inter se specificâ distinctione sicut distinguuntur à peccatis iuxta naturam potiori ratione quàm ista differunt inter se.

47.

*Potest coniugatus incipere actum manibus vxoris.*

*De utilitate.*

Pergis Illustrissime Domine: Perstas in tuo sensu; non solùm probabilem, sed vtiliorem esse tuam sententiam affirmare non renuis. Quæ vtilitas in sanguine dum descendit in corruptionem? Duplici dicto maiorem vtilitatem probas. Primum mollietiam, nostro æuo, esse vitium valde commune, & quod magnam partem iuuentutis absorbet, innumeros in infernum præcipitat: Deberéque Theologos omni nisu, morbo corruptæ iuuentutis succurrere, & nullum emittere medium, quod possit hanc pestem auertere.

48.

*Vtilitatem suam sententia non distinguunt peccata contra naturam in varias species nititur probare Caram.*

*Mollitiei vitium totius Mundi pestis.*

auertere. Ita fanè & ego hanc esse totius mundi perniciem attestor : quia ab infantia puros ex hoc in alia vitia luxuriæ pertrahit, & tandem in æternam impiorum pœnam detrudit. Sed quod tanto malo remedium ?

49.

*Cui malo argendo crimina grauitatem, vt sit eiudem speciei cum sodomia, succurri videtur Caram.*

Secundò ais esse aptissimum medium, vt remedium ponatur, aperire iuuenum oculos, & clarè ostendere criminis, quod summa ebullientis ætatis infamia, frustra præscripsisse iam dicitur, grauitatem, & malignitatem, & vt hoc exitum foeliciorum fortiatur, quantum Theologiæ permittit sinceritas, augendo criminis deformitatem : nam cum infanda crimina sodomiam, & bestialitatem iuuenes detestentur, vt potiùs mori malint, quam eis inquinari, terrebuntur omninò cum audiant eiudem speciei esse pollutionem, cum bestialitate, & sodomia, & à vitio pollutionis desistent.

50.

*Mirum tamen tale remedium pro-  
basse.*

Argutè quidem, sed non ita piè ac solidè vt cogitasti ô vir doctissime, quem tanto ingenio præditum pernosco, vt ferè nihil sit in tota Theologia cui cum animi quietudine adhereas, miror quod potueris huic ratiocinio acquiescere. Demus esse probabile quod vitia contra naturam à vitiis iuxta natura specie non distinguantur. Essètne saluberrima doctrina (sic tuam vocas) quæque hominum malitiam contineret, & poneret remedium communi vitio fornicationis, quod in adultis tot iura acquisiuit, vt præscripsisse videatur, si illam cum vitio cõtra naturam æquipararemus? Minimè quidem : ergo ratiocinatio tua non probat illud esse remedium ad arcendam iuuentutem à pollutionis vitiosa consuetudine. Circumstantiæ aggrauantes iuxta probabilem sententiam confiteri non tenentur peccatores. Estne salubrior doctrina, vt homines arceantur à furto eodem supercilio recipere, eadem obiurgatione reprehendere, pœnitentem, qui furatus est quatuor regalia, ac eum qui furatus est quatuor millia, licèt sit furtum circa eandem speciem. Non est vtior, & securior sententia asserens illas debere confiteri quàm contraria; ad minùs in tua sententia est æquè secuta & probabilis : tu enim sentis nihil esse probabile, quod non sit in praxi æquè tutum ac oppositum. Cur ergo in hac materia immemor tui ais, esse vtioiorem istam? Nunquid sententia nostra non est probabilis, imò & probabiliior quàm tua?

*Circumstan-  
tia aggrauā-  
tes non de-  
bent confiteri  
iuxta proba-  
bilem senten-  
tiam.*

*Nihil est  
probabile  
quod in pra-  
xi non sit  
æque tutum,  
iuxta Ca-  
ram.*

Deinde (quidquid dicas) non possum animum meum adducere in illud iudicium, medium esse ad arcendam iuventutem à pollutione; sed potius ad faciùs committenda omnia peccata contra naturam, eorum malitiam cum pollutione simplici coequare, faciùs enim iudicabunt homines remissam grauitatem bestialitatis, quàm aggrauatam deformitatem mollitiei. Cuius iudicij non solum naturalis pronitas in malum sed ipsamet vitiorum vnitas, causa esset, vt patet: nam si quis diceret peccata iuxta naturam æqualis malitiæ esse cum peccatis contra naturam, retunderetur profectò, ex eo quod aperiretur via ad vitia contra naturam committenda potius quàm ad non committendam simplicem fornicationem. Quod ex te confirmo. Probas supra mollitiem non esse malam contra Matrimonium, quia etsi licita esset, non arceret homines à Matrimonio; & hoc confirmas exemplo Mahometanorum quibus permittas est in sua secta, & tamen plures vxores habent, quæ ratio militat etiam in peccatis contra naturam. Nunc sic. Illi Barbari homines, quia omnia æqualia putant, omnia committunt: ergo non est medium ad arcendos homines à pollutione æquiparare eius malitiam cum bestialitate.

51.

*Sententia Canonica. potius in omnia peccata contra naturam adducit, quàm ab illo reducant.*

Iuxta probabilem sententiam, non distinguuntur specie peccata incestus ratione graduum, siue in linea recta, siue in transfuersali. Incestus inter consanguineos est vitium tam commune, vt omnes scimus. Eritne ex hoc vtilius augere grauitatem cuiusuis incestus vsque ad grauitatem concubitus cum Matre? ad arcendos homines ab hoc vitio, nonne vtilior est sententia asserens, distingui specie illa peccata ratione graduum, ne ex hoc aditus pateat hominibus improbis ad peccandum concubium cum Matribus, & fororibus, quàm ad arcendos illos ab incestu cum consanguineis in secundo vel tertio gradu. Ergo licet specie non distinguantur illa peccata non inde sequitur sententiam esse vtiliorem.

52.

*Peccata incestus non distingui specie ratione graduum, probabile.*

Irides sic arguentes, & vteris exemplo indigno certè viro doctissimo, & in dignitate Episcopali constituto ais? cum sic arguantem aliquem pollutionis Patronum audio (hoc titulo honoras sententiæ affirmantis Patronos, & assertores) Angelum aduoco, qui volens docere quanti homines deberent facere

53.

*Pollutionis patronos sententia communi assertores immerito vocat Canonici.*

Q

Ange


*Distinguendum esse scandalum receptum à Dato Caram. probat, summo lepore ad propositum.*

Angelorum Reginam ore intrepido ait: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Tace (inquis) Angele Dei, quia natura prona ad malum se errauisse credet non in credendo Mariam esse factam diuinam, plenam gratiâ, &c. *Quia apud Deum est*; sed Iudicando Deum esse immensum, infinitum, &c. Quia si fœmina ita affinis Deo est fœmina infirma, inconstans, & leuis, Deus debet Iudicari inconstans & corporeus. Quod sine blasphemia ab Hæretico non dicitur, nec sine horrore auditur à Catholico. Tacebit ne Angelus? minimè. Respondebit neminem talia dicturum? minùs. Cum multi sunt qui Deum dixerint corporeum. Quid ergo? Distinguendum esse scandalum receptum à dato, non est tacendum quod pluribus est vtile propter paruulos, qui passiuè scandalizantur. Similiter in nostro casu. Constrinxi, vt potui lepidam argumentationem tuam.

54.  
*Nec supposita Caram. sententia aequaliter possent reprehendi mollis, & sodomiticus.*

Constringam etiam impugnationem meam. Contra primò, distinguendum est scandalum receptum à dato. Ergo si Angelus illis verbis significaret Deum & Mariam esse eiusdem speciei, debuisset tacere, quia esset scandalum actiuum. Non dixit Angelus Mariam esse apud Deum sed inuenisse gratiam apud Deum. Quod est diuersissimum. Nam verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ergo exemplo illo non rectè probatur esse scandalum passiuum, quod oritur ex eo quod dicatur vitium sodomix, & bestialitatis esse eiusdem speciei cum pollutione. Quæ secundum S. Thomam infimam malitiam continet inter peccata contra naturam. Secundo, ex eo quod Angelus dixit Mariam inuenisse gratiam apud Deum, non est ortus ille error; quod Deus sit corporeus: antequam enim hæc dixisset, iam fuerunt, qui Deum corporeum dixerint. At antequam sententia hæc prodiret, non fuerunt qui dicerent, non esse grauius peccatum sodomiam & bestialitatem, simplici pollutione: & non teneri peccatores ad exprimendam bestialitatem in confessione. Tandem malè inferis ex tua sententia sequi confessorem execrari posse pœnitenti malitiam pollutionis simplicis non secus ac si commisisset scelus nefandum. Sed potius non posse grauius agere cum homine bestiali quàm cum molle. Cum tamen deberet sic se gerere; quia inter mollitiem & bestialitatem est summa differentia in ratione malitiæ adhuc dato quod sit intracandem

eandem speciem, vt tu concedis. Quâ ergo ratione poterit obiurgare Confessor mollem quasi commiserit summam malitiam, cum ipse non teneatur explicare in confessione coisse cum bestia, sed procurauisse pollutionem: ergo non est vtilior. Ex tua sententia non sequitur debere confiteri mollietiam, & bestialitatem verbis significantibus maiorem, sed minorem grauitatem contra naturam. Ais enim pœnitentem satisfacere dicendo se commisisse pollutionem, licet commiserit bestialitatem. Auferatur ergo horror confitendæ bestialitatis sub proprio nomine, quod valde homines perhorrescunt. Quo sublato, quis inficiabitur aperiri aditum potiùs ad committendam bestialitatem, quàm ad vitandam mollietiam. Non ergo mitigabitur, sed gliscet lasciuia, sublatâ hominibus erubescentiâ illâ explicandi in confessione, congressum cum bestia sub proprio nomine bestialitatis, & amplâ facultate concessâ illam confitendi sub vocabulo fragilis pollutionis. Dicendum est ergo vtiliorem esse sententiam obligantem ad hoc explanandum in confessione. Quæ est sententia distinguens hæc peccata specie inter se. Contrariam verò non solum non esse vtiliorem, sed, pace tuâ, inutilem, immò & perniciosam.



QVÆSTIO VI.

*De circumstantiis peccatorum in confessione exprimendis.*

**I**X decreto Concil. Trident. constat species, & numerum peccatorum, & omnes circumstantias mutantis speciem, esse in confessione aperiendas. Et quia de circumstantiis aggrauantibus nihil definit, probabile est, eas non esse aperiendas Confessori. Sed tam circa circumstantias multiplicantes numerum, quàm circa mutantis speciem, multa sese offerunt discutienda, tam difficilia, vt magnorum Theologorum torqueant ingenia. Tam variè enim Theologi morales varia dubia moralia, quæ inter se similia videntur, resolunt, vt vix firma aliqua

I.  
Peccatorum  
species, nu-  
merus, &  
circumstantia  
mutantes  
speciem, ne-  
cesse est, in  
confessione  
aperire; de  
aggrauanti-  
bus non ita  
certum.

*Licet in moralibus ab vno ad alium casum arguere, et vni paritate.*

resolutio sumi posse videatur: nam si consequentia seruetur, in falsitatis praecipitium lapsus timeri potest; si non seruetur, contra rationem discurrere videtur. Nec possumus vti illo vulgari, sed futili, effugio, quod in moralibus non possumus dare disparitates, nec ab vno ad alium casum argumentari: nam potius in moralibus vtimur paritate. Commune est procardicum: vbi est eadem ratio, ibi debet esse eadem iuris dispositio. At hoc non habet locum, nisi ab vno casu inferamus ad alium, quia non est diuersa ratio, atque aded neque iuris, aut legis, tam diuinæ, quam humanæ diuersa debet esse dispositio; in casibus ergo moralibus morales sunt dandæ disparitates. Neque enim licitum nobis esse potest consequentiam non seruare, aut nolle rationem cur vno in casu negemus, quod in alio, vbi eadem ratio videtur militare, asseramus.

## §. I.

## De Circumstantia numeri.

2.  
*An qui vnica voluntate pluries peccare vult, teneatur pluralitate delictorum in confessione aperire.*

**D**Vbitant ergo primò DD. an qui vnica voluntate plures homines occidere vult, pluries ad mulierem accedere, furari, mentiri, Missam vel officium diuinum omittere, teneatur exprimere in confessione numerum actuum, seu obiectorum, v.g. hominum, quos vult occidere: an verò sufficiat vt dicat, commisi homicidium, fornicationem, omisi recitationem officij, &c.

3.  
*Asserit Suarez, quia circumstantias aggravantes dicit confessendas.*

Asseruit Suarez teneri ad confessionem huius circumstantiæ licet vnicum tantum commiserit peccatum. Quia sentit circumstantias aggravantes debere exprimi in confessione. Infert tamen contra eos, qui negant circumstantias aggravantes esse confitendas, cogi ad asserendum, actum illum esse plura peccata numero.

4.  
*Asserit Vasquez, consensus actum illum plures, numero malitias continere; quod si vnus esset, negaret.*

Asserit etiam Vasquez illam circumstantiam esse confitendam, quia ille actus continet plures malitias morales numero distinctas. Infert tamen eos, qui asserunt illum actum esse numero vnum, consequenter dicere posse non esse necessarium illum numerum exprimere.

Vnde

Vnde iuniores Theologi ex vtraque sententia vnam componentes, illationemque Vasquis assumentes, absolutè asserunt non teneri secuti sententiam Vasquis quatenus asserit, circumstantias aggrauantes non deberi confiteri; & sententiam Suaris in ea parte, quâ asserit solùm esse circumstantiam aggrauantem, & non multiplicari numericè peccata in hoc casu. Ita Megal. & alij apud Dian. part. 1. tract. de circumstant. resol. 17. quam etiam sententiam probabilem existimat ipse Diana, licèt contrariam sequi videatur.

5.  
*Negant absolutè iuniores ex vtraque Suaris, Vasquis doctrina.*

Si res bene consideretur, non videtur posse negari, posse in vno actu reperiri plures malitias morales, vt benè probat Caram. cap. Theol. fund.

6.  
*Plures malitiae morales numero in vno actu reperiri posse saltem moraliter.*

Nam cur vnico actui plures malitiæ speciei distinctæ negari non possunt; & negari possunt plures malitiæ numero distinctæ? Neque ex eo quòd non possint dari duo accidentia numero distincta in eodem subiecto, negari possent duæ malitiæ numero distinctæ eidem actui. Nam, quidquid sit de accidentibus absolutis, de relatiuis id non negatur: & malitiæ possunt dici accidentia relatiua.

Quod apertè confirmatur nam peccata habitualia numero distincta sunt in eodem subiecto. Et quidquid sit de multiplicatione accidentium, si peccatum dicatur denominatio extrinseca, plures denominationes extrinsecae in eodem subiecto non repugnant. Tandem quidquid sit de multiplicatione denominationum, cur volitio illa non poterit dici multiplex actus moraliter, licèt vnicus actus sit Physicè? Vnus actus Physicus habet multiplicari moraliter ad implenda multa præcepta, & habendum multiplicata merita obedientiæ cur non poterit in malitia sicut in bonitate multiplicari?

Vnde soluitur præcipuum argumentum Suaris, quo probat vnicam tantùm esse malitiam. Quia eo infert in illo actu vnicam tantùm esse malitiam, quia vno actu amoris, vel eleemosynæ v g quo quis vult pluribus pauperibus eleemosynam dare, non est nisi vna bonitas moralis. Sed hoc negandum est, & hoc erat probandum à Suare, vt patet in actu satisfaciente pluribus præceptis necessariò debet dari multiplicitas moralis, quia æquualet pluribus actibus. Vnde etiam in malitia eodem modò con-

7.  
*Amplius suadetur id ipsum dissoluendo oppositum argumentum Suaris.*

*Actus satia-  
faciens plu-  
rimum praeco-  
pium multi-  
plex est mo-  
raliter.*

cedendum est. Quod clarissimè patet in coniugato, qui cum coniugatâ rem habet, qui proculdubio committit duo adulteria, non specie, sed numero solo distincta. Quòd confirmatur; nam vt statim videbimus, vnus actus moralis potest esse multiplex Physicè, vel multi Physicè, possunt esse vnum morale. Vnde Diana loco supra citato in hanc sententiam inclinat, & docet multa committi numero ab eo, qui plures homines vult vnâ actione occidere.

8. De actionibus quæ vno impetu fiunt, pergunt, & dubitant

*An qui vno  
ictu plura  
facit, pluries  
peccet.*

*Negat Dia-  
na, & pri-  
mò de eo,  
qui vnica  
absolutione  
plures absol-  
uit.*

*De eo qui sub  
vno iuramē-  
to plura fat-  
sa confirmat.*

*De eo qui  
plures arti-  
culos fidei  
vincibiliter  
ignorat.*

*Qui plures  
horas omit-  
tit.*

*Qui vno ira  
ictu ter vul-  
nerat.*

secundò Theologi: an qui vno ictu, vel vno sermone, ter aut quater peierat, vel in Deum blasphemat, tria peccata numero distincta committat, & vt talia debeat illa confiteri; an verò vnum tantum modo, & satisfaciat dicendo peieravi, blasphemaui? Vnum tantum peccatum committere affirmat Diana cum multis 3. part. tract. 4. resol. 163. Qui vnica verborum prolatione plures baptizat, vel vnâ absolutione plures absoluit, vnum peccatum committit; sic Diana cum Tannero part. 1. tract. 7. resol. 41. & part. 5. tract. 3. resol. 27. Similiter qui simul rogatus de pluribus rebus, & articulis sub iuramento, in omnibus mentiretur, vnum tantum committeret peccatum periurij. Ita idem Diana part. 1. tract. 7. resol. 40. cum Henriq. eodem modo, qui plures articulos fidei vincibiliter ignorat, vnum peccatum committit; ita idem part. 3. tract. 4. resol. 165. cum Suare; sicut non tenetur nisi vnico peccato, qui plures horas recitare omittit in eodem die. Si quis vno iræ ictu ter aut quater inimicum vulneret, vnum peccatum committit; & si patiens sit clericus vnica excommunicationem incurrit; ita Azor. Suar. Sair si quis vnico impetu multas blasphemias in Deum, multas in sanctos effutiret, satisfaceret, si diceret, semel blasphemavi; ita Dian. vbi supr. vbi ait esse hoc verum etsi verba blasphemiae res varias significarent, & allegat Molinam, & Couarruuium.

*Qui vnico  
impetu plu-  
res effutit  
blasphemias.*

Quibus lectis sic ait Caramuel, si quis vnico furoris impetu tres vel quatuor occidat, vnicum peccatum homicidij committet. Sic debet discursi, si seruari debet consequentia doctrinae: Si quis vnico luxuriae impetu ad multas foeminas accederet, & à fortiori, si pluries ad eandem, vnicum peccatum committeret. Sed quid est vnus luxuriae impetus? Videretur ille qui vnâ

9.  
*Inserto Ca-  
ramo qui vni-  
co furoris im-  
petu tres oc-  
cidit semel  
peccat.*

noctè

nocte lux Amasiae condormiret vnico luxuria impetu commotus esse. Hanc opinionem tenet Zanard. Dominican. in direct. confess. part. 1. de Sacr. Pœnit. cap. 18. fol. 204 docet. Qui tota nocte Amasiam haberet apud se, non deberet dicere, ego eam cognoui tot vicibus, sed, feci quod potui, modo non habuerit interruptionem mentis vel operis; legunt Zanard aliqui, & nesciunt cur obliget ille pœnitentem ad dicendum feci quod potui, cum videatur penitens ex eiusdem fundamentis satisfacere dicens, semel sum fornicatus. Ita Caramuel Fund 9.

*Qui vno luxuria impetu ad plures, vel plures ad vnam feminam ac. ederet, semel peccaret. Vnus impetu luxurie quando censetur.*

Et subdit; legit illum Diana part. 3. tract. 4. resol. 67. & ait: sed fallitur: nam opera illa consummata, sunt distincta peccata in confessione aperienda, nec vnum respicit, & ordinatur ad aliud: ergo sed quid Zanardo Diana, si referret opinionem doctentem, eum qui consequenter multas blasphemias euomit vnicum peccatum committere? & adderet ita Diana part. 3. tractat. 4. resol. 163. Sed fallitur; nam singulae blasphemiae sunt singulae diuersae iniuriae, diuersae actiones peccaminosae, & diuersa peccata in confessione aperienda: vna enim blasphemiam non ordinatur ad aliam. Ergo vel debet Diana hic subscribere, vel antecedentia delere. Ego quidem (inquit) sensi difficultatem, & ne mihi confiderem, hanc ego P. N. Pragae, & Viennae Sacr. Theol. Doct. & Profess. viro verè erudito, & in moralibus benè versato decidendam proposui: & iudicauit, eum qui vno itinere aut coitu bis aut ter concurreret, vnicum peccatum commissurum: plura autem, si inter fornicationem priorem, & posteriorem, intercedat temporis interuallum. Ergo dicere debuit à fortiori mulierem, quae antequam vir exoneret bis concurreret, vnicum commississe fornicationis peccatum; & quia hic etiam difficultatem inuenio in re dubia & perplexa.

IO.  
*Si de homicidiis & fornicationibus ac de periuriis & blasphemis in hac parte philosophandum esse, docet Caramuel.*

Dico primò, sicut de periuriis & blasphemis, ita de homicidiis, & fornicationibus in hac materia est philosophandum. Ergo videat Diana quid dicat de prioribus, & vel inuitus debet de posterioribus pariformiter philosophari.

Dico secundò, sicut de fornicatione, ita de pollutione, sodomia, & aliis sordibus contra naturam erit philosophandum. Nam si habere tota nocte vnicae foeminam est vnicum peccatum mortale

tale, etsi interueniant plures copulæ, vnicum erunt peccatum mortale multæ pollutiones, aut contranaturales copulæ habitæ consequenter, & vno impetu.

*Paris r de peccatis gula.*

Si quis vno gulæ impetu multas carnes deuoret, etiam diuersas, & ex diuersis discis vnicum peccatum committit. Videtur esse vnicus impetus, quando quis assidet eidem mensæ. Imò si sine interruptione iret de mensa in mensam.

*De furto.*

De furto eodem modo philosophandum est, nam ille, qui vnico impetu consequenter ab eodem, aut à diuersis multa & pluries accipit, vnicum peccatum committit. Ergo siquidem inductione factâ in omnibus materiis hæc doctrina verificatur, potest, & debet ad regulam generalem deduci. Hæc Caram. fund. 29.

II.

*Cell' guntur  
duæ theses ex  
Caram. super  
riori doctrina.*

Ergo ex Caramuelis doctrina inferuntur hæc duæ theses. Prima, quoties vno impetu fiunt multæ actiones physicæ circa eandem materiam, vnicum committitur peccatum. Secunda, quotiescúmque eodem actu multa tanguntur obiecta numero diuersa, multa committuntur peccata diuersa numero. Et in doctrina non puto, Dianam à Caramuele dissentire, sed solùm differre in assignando, quando sit vnica actio vel actus, & quando vnus impetus. In quo potest aliquam æquiuationem Dianæ impingere, non verò doctrinæ inconsequentiam: nam ad hanc requirebatur, vt in vno casu, vbi est vnus impetus diceret committi plura peccata, & in alio vbi est vnus impetus, diceret solùm vnum committi. At Diana non sic, sed distinguit peccata numero, etiamsi sit vnus actus, si sunt plura numero obiecta; & non distinguit, si sint plures actus, & vnus solus impetus. Et Zannardi doctrinam impugnat, quia existimat non posse duas fornicationes vno impetu fieri, nec in vnum coalescere, sed requirit vnâquamque vno impetu perfici; quod etiam existimat Ouedo l. 2. tract. 6. contr. 5. punct. 6. num. 123. sine inconsequentia aliqua.

12.

*Displicet sen  
tentiã Dianæ.*

Conueniunt ergo Caramuel & Diana in doctrina; sed non acquiesco primò, quia, quod, ego tam à Caramuele quàm à Diana doceri, vellem est, cur quando est vnus impetus, licet sint plures actus physici, est vnum peccatum; & quando est vnus actus, si sint plura obiecta non erit vnum peccatum; etenim magis indiuiduus

viduus est vnus actus, quàm vnus impetus; atqui vnus impetus, licet habeat plures actus, cui sunt veluti eius obiecta, non est nisi vnum peccatum: ergo vnus actus licet habeat plura obiecta, erit vnum peccatum. Cur enim qui vult vnâ volitione tres homines occidere, peccabit ter; & qui id facit vnâ actione, vel ictu, semel tantum peccabit.

Secundò, quia ille qui vno impetu tres homines occidit; vel vno actu illos tres homines voluit occidere, vel tribus? Si tribus, non est dubium tria peccata committere. Si vno: ergo vel ratione obiectorum vnus actus voluntatis non habet tres malitias distinctas, vel eas debet habere impetus, qui est complementum externum illius actus interni, & eius malitiam complet.

Vnde necessariò dicendum est quòd sicut vnus actus continet plures malitias numero distinctas ratione obiectorum; ita si vnus impetus habet plura obiecta, erit plura peccata numero. Et in hoc, eodem modo philosophandum est in actibus internis & externis.

Mihi ergo duabus Thesisibus videtur regula generalis statuenda prima, quoties obiectum est vnum numero, malitia est vna, licet actus sint plures, nisi adsit interruptio sufficiens ad illos discontinuandos; qualis autem sit interruptio sufficiens non est nostri instituti, nunc disserere. Alij retractationem actus interni, aut obliuionem, vel distractionem ad alia. Alij discontinuationem per vnum horæ quadrantem volunt sufficere.

Secunda thesis: quoties obiecta sunt diuersa, etsi sit vnus actus, continet tot malitias, quot sunt in obiectis. Et his duabus thesisibus positis, quæ ex dictis facile colliguntur, nonnullos casus resoluo, ad quorum exemplar possunt similes alij resolui.

Igitur iuxta primam: qui ex vnica intentione occidendi Petrum, eum pluries vulneret donec occidat illum, vnicum peccatum facit: quia illæ actiones tendunt in vnum obiectum occisionis, & ex alio capite non interrumpuntur. Vnde ex nullo capite possunt distingui peccata numero. Et consequenter, si occisus sit clericus, vnâ tantum excommunicationem incurrit, similiter ille qui ex intentione occidendi inimicum sumit arma, quærit illum & continuatiuè facit omnia, quæ ad illum finem ordinantur, vnum facit peccatum. Quod etiam est verum, quamuis longam arripiat

13.

*Propria sententia.*

*Si obiectum est vnum numero, licet actus sint plures vnum est peccatum, nisi detur sufficiens interruptio.*

*Si obiectum non est vnum, etiamsi vnus sit actus dantur plures malitia.*

14.

*Resoluntur supra positi casus & alij iuxta propriam sententiam.*

*De homicidio.*

R.

piat

piat viam, & interim comedat, dormiat, & aliâ, quæ conduce-  
rent ad complendum homicidium exerceat; quia illæ actiones  
non dicuntur interrumpere voluntatem occidendi. Tum quia se-  
quitur vna post aliam ex prima voluntate occidendi, quæ semper  
perfeuerat eadem virtualiter. Tum quia illæ omnes sunt veluti  
media ad illum finem.

15.  
*De fornicatione & blasphemijs.*

Qui tactus impudicos habet in ordine ad vnam copulam  
vnum peccatum committit. Qui continuato sermone ter peierat  
circa eandem materiã, vel eandem personam, pluries iniuriaret,  
vel ipsum Deum blasphemaret, dummodo materia periurij, vel  
blasphemix diuersa non sit, vnum peccatum committit. Nam si  
sit specie diuersa, sicut sunt plura peccata specie, ita possunt dici  
plura numero.

16.  
*De ieiunio.*

Qui in die ieiunij pluries comedit semel ieiunium violat. Et si  
pluries carnes comedit sine interruptione vnum peccatum com-  
mittit. Censetur autem sine interruptione comedere, quando ei-  
dem mensæ assidet, quia est vnum conuiuium, vel quando vnam  
comestionem exercet, v. g. prandium, aut cœnam, licet carnes  
sint diuersæ. Quia materialiter se habent species carniũ in or-  
dine ad conuiuium.

17.  
*De furto.*

Qui furatur ab eodem vno ictu, vel impetu plura supellectilia  
vel pecunias, vel vtrumque simul vnum peccatum committit,  
quia ad hoc per accidens se habet diuersitas materiæ.

18.  
*De periurio, ignorantia si-  
dei, Horis  
Canonicis.*

Eodem pacto qui simul rogatus de pluribus articulis peierat,  
vnum peccatum committit, quia componunt illa obiecta, seu  
reducuntur ad vnicum iudicium seu confessionem; qui plures  
articulos fidei, aut Decalogi præcepta vincibiliter ignorat, plura  
peccata committit: quia non componunt aliquod vnum. Qui  
plures horas canonicas omittit in sententia asserente esse septem  
præcepta, plures omissiones facit. In sententia verò dicente vnum  
esse præceptum, quia præcipiuntur, quatenus vnum officium  
componunt, vnum tantum committi peccatum, dicendum est.

19.  
*An qui totã  
simul fami-  
liam odio ha-  
bet plura pec-  
cata commit-  
tat.*

Et hinc non insequenter dici potest; qui simul totam fa-  
miliam odio habet, dummodo non velit damnum speciale sin-  
gularibus, sed vt familiam componunt, non peccare nisi vnico  
peccato. Sed quia hoc vix potest præscindi, quin damnum velit  
singularibus illius familiæ personis, dicendum est tot facere pec-  
cata,

cara, quot sunt personæ distinctæ in illa familia : Et certè si in effectu damnum inferat.

Iuxta secundam thesim. Qui vnico actu statuit non ieiunare in tota Quadragesima, tot peccata committit, quod sunt ieiunia in Quadragesima : Et eodem pacto ille qui decerneret non audire sacrum per vnum annum, tot peccata omissionis committeret quot sunt dies festi in anno. Qui habet voluntatem occidendi plures homines vel cubandi cum pluribus mulieribus, vt plura homicidia, & plures fornicationes, ita plura peccata commisisse censetur ; quia illa obiecta sunt numero distincta ex se specificantia illum actum moraliter.

10.

Quod etiam verum est, & consequenter dicendum, siue hoc faciat, aut velit facere vno eodemque impetu, quia nulla est ratio cur vnus actus contineat plures malitias, quamuis sit vnus ; & vnus impetus non contineat illas.

Sed quid de illo qui velit vno actu aut impetu coire pluries cum eadem muliere ? Dicendum existimo consequenter, etiam committere plura peccata. Tum quia illa malitia non specificatur à foemina prout tali, sed à delectatione venerea, quæ cum sit distincta in distinctis fornicationibus, distinctam malitiam haurit ab obiecto ; per accidens enim est ad delectationem veneream quòd foemina sit eadem, vel diuersa, & vna delectatio cum alia non potest coniungi vt sit vnus actus. Quælibet enim est delectatio perfecta, consummata, & completa.

21.

*Qui pluries coire cum eadem foemina vno actu, aut impetu vult, nihilominus pluries peccat.*

Qui vno sermone malediceret Deum, Beatam Virginem, Apostolos, & alios Sanctos, plura peccata facit ; Quia illa fiunt in iniuriam diuersis numero personis, à quibus vt talibus specificatur malitia, quia habent diuersa iura. Similiter, qui vno verbo lædit multorum famam, & qui vno ictu plures occidit ; & si occisi sint clerici plures irregularitates incurrit : Qui vno verbo tres ad peccatum inducit. Qui in peccato existens vnica verborum prolatione plures absoluit aut baptizat, plura peccata committit, quidquid dicat Tanner. & cum illo Diana, quia iniuriam facit pluribus sacramentis.

22.

Qui plures confessiones audire vult, & audit eodem impetu, quia plura sacramenta sacrilegè ministrat, pluries peccat. De eo verò, qui pluries communicat posset dici non peccare pluries :

23.

quia illa communio est per modum vnius, & vni sacramento iniuriam facit. Sicut, quando consecrat, non est dicendum pluries peccare, licet consecret plures hostias.

*De Circumstantiis mutantibus speciem.*

24. **T**ertio dubitari potest de circumstantiis mutantibus speciem, an debeant exprimi in confessionem. Negatiua assertio videtur Concilio damnata: & tamen audet quispiam probare hanc thesim ex doctrina Caramuelis: *Nemo tenetur ad exprimendas circumstantias mutantis speciem prout tales.* Assertit Caram. fund. 35. materia interdicta solet habere materias à se realiter distinctas, quæ si interdictæ etiam sint, non transferunt culpam ad nouam speciem, sed afferunt nouam speciem peccati, vt potius videatur peccatum duplex, quàm peccatum distinctum specie. Probat vel declarat mentem suam hoc exemplo. Video ibi multos homines, & hîc vnum humeris gestantem vitellam, & interrogo, an iste homo sit animal eiusdem speciei cum aliis. Videtur quod non, quia est homo vitulinus, quia habet vitellam, quæ est animal, quo cæteri homines carent. At dicam aggregatum ex homine vitella non esse animal diuersæ speciei, sed esse duo animalia distincta specie inter se. Hoc ita clarum puto vt non possit in quæstionem reduci.

*Circumstantias mutantis speciei non esse confitendas ex doctrina Caram. colliget quispiam.*

*Proposuit illius sententia.*

25. Hinc casibus obscurissimis lucem dari docet, & incipiēs à minus obscuris sic scribit. Petrus vouerat se ieiunaturum die mercurij, quo aliàs poterat comedere carnes: interim fragilitati humane, & gulæ cessit, carnes comedit, & quærit quomodo peccauerit. Respondeo fecisse simul duas actiones, vnam indifferentem, & alteram sacrilegam (nam indifferens erat comedere carnes, & sacrilegum violare votum) adeoque in confessione non debere explicare priorem, sed posteriorem, hoc est debere dicere se violasse votum, non tamen exponere, an illud violauerit comedendo, aut ludendo.

26. Secundò Ioannes vouerat se nunquam lusurum, se diebus lunæ carnes non comesturum, se ex oppido non egressurum, & tamen die lunæ egressus ad domum rusticam ibi lusit, & comedit carnes: Et modò quia confiteri desiderat, vult instrui,

& scire quomodo peceauerit, & quo modo aperire conscientiam suam debeat in confessionis tribunalibus? Videretur alicui commississe vnum peccatum habens multas deformitates, quia quidquid mali commisit, afficit illam peccaminosam egressionem. Videretur alij commississe tria peccata distincta specie: non enim est idem comedere, quod ludere, aut ambulare. At ego præscindendo à voto.

Dico primò: Ioannem fecisse tres actiones indifferentes distinctas specie, aliud est enim comedere, aliud ludere, &c. addo tamen illas non debere in confessione necessariò explicare: quoniam actiones indifferentes non pertinent ad confessionem.

Dico Secundò, Ioannē ter violasse votum, adeòque commississe tria peccata distincta numero, & in confessione debere dicere, ter violauit votum; non tamen exponere, an ter violauerit idem votum, an semel tria vota diuersa: quia diuersitas, quæ se tenet ex parte rei votæ, si aliàs non est obligatoria, materialiter se habet; nam & ille qui semel furatus est aurum, semelque argentum, satisfaciet si in confessione dixerit, bis furatus sum, nec exponere furtorum materiam debet.

Tertiò, se non furaturum iurauit fridericus, & furatus est, commisit sine dubio duo peccata, violauit enim iuramentum, & septimum præceptum Decalogi, non furaberis. Debētque illa in confessione exponere. At poterit sic ea exprimere, semel furatus sum, semel iuramentum violauit. Non autem video (inquit Caram.) cur teneatur exponere connexionem furri & periurij: nam sunt duo peccata diuersa, tametsi vnum alterius sit materia. 27.

Quartò, hinc ad alias materias transiens omnia vota solemnia solo numero differre existimans, & si ratione materiae plusquam numero differant; & posse qui omnia violauit, omittere omnes circumstantias non peccaminosas, & solas peccaminosas explicare, & vt res melius intelligatur ponit hunc casum. Fridericus præter tria vota solemnia habet quartum solemne de abstinentia à carnibus, quintum simplex de audienda Missa singulis diebus. Interim semel omnia vota violauit, quia furatus est vel fuit proprietarius, mollitiem habuit, comedit carnes, omisit 28.

Missam semel in die festo, semel in die feriali: Quomodo igitur confiteri debebit? Respondeo (inquit) posse exponere singula prout facta, sed ad hoc non teneri: potest enim vota solemnia à simplicibus non distinguere & distinguere vota ipsa à materia votorum, & dicere, semel furatus sum, semel mollicitem habui, semel omisi Missam in die festo, quinquies violavi votum; at de comestione carniū, & omissione Missæ in die feriali nihil tenetur subiicere; quia in his præter violationem voti, quam exposuit cum quinquies violasse votum dixit, nulla alia malitia reperitur.

29.

Quintò, me præsentè (prosequitur Caram) Reuerendissimo, Angelo Manrique, &c. propositus fuit hic casus. Theodoricus adulterium commisit: & quia nolebat se prodere, ita confessus fuit, *Commisi simplicem fornicationem, & aliis peccatis interiectis, addidit: Intuli cuiusdam grauem iniuriam, tertiam quadam personam cooperante, cui satisfacere adæquatè non possim, satisfaciam si potero, & ut potero.* Et quærebat an ille fuerit confessus benè? Eramus in Gymnasio, & coràm omnibus, Angelus assertiuè respondit: putabat enim simplicitatem & adultereitatem, non esse differentias, quæ contrahunt fornicationem, vt rationalitas, & hinnibilitas contrahunt animal, sed vt non arma & arma hominem seu in exemplo posito non vitella & vitella. Ita ille, & ego sic infero, primò ergo qui commisit incestum, raptum, stuprum, &c poterit sic confiteri: semel commisi fornicationem; & aliquibus interiectis addere: intuli iniuriam cuidam personæ, &c. non exprimendo fuisse iniuriam, in re venerea. Quia simplicitas, rapteitas, adultereitas, sacrilegietas, stupreitas, non contrahunt fornicationem sicut animal contrahunt rationalitas, & hinnibilitas, sed sicut arma, & non arma, hominem, & in exemplo posito non vitella & vitella. Respondebit assertiuè Angelus, vel ex Angelo Caramuel at contra Doctorem Angelum, ni fallor, qui hæc omnia species proprias constituere tam clarè docent, vt sciunt omnes. Secundò ergo similiter in quocumque casu vbi sunt duæ malitiæ, potero illas in confessione separare. Tertio: ergo ego, tu, & omnes sacerdotes, Episcopi &c. non tenebimur statum nostrum declarare, sed simulato habitu confiteri poterimus peccata nostra dicendo, semel violavi votum,

tum, non exprimendo castitatis, & paucis interiectis, semel pollutus sum, vel fornicavi, & benè confitebimur. Quartò, Ergo circumstantias mutantes speciem non tenemur confiteri, Patet: quia benè confitetur, qui peccata confitetur separatim, declarat enim species omnes, & solùm filet statum, ex quo peccatorum coniunctio oritur, ad quam explicandam, per te, non tenetur: At nihil aliud est quod possit dici circumstantia mutans speciem quàm coniunctio illa, nam species circumstantia non est nisi vocibus abutamur: ergo nunquam tenemur confiteri circumstantias mutantes speciem, prout tales.

At has consequentias quis audebit concedere? Et quis negare audebit esse perniciosam doctrinam, quam ex illis antecedentibus inferimus, & inferemus? Ergo & antecedentia vt perniciosa sunt reiicienda. Hæc enim propositio non temeraria solùm, sed hæretica est: *Circumstantia mutantes speciem non sunt in confessione aperiendæ*: est enim expressè contra Concil. Trident. sess. 14. c. 5. sic decernente: *Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine ipsis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Iudicibus innotescant.* Pondero duo, primò, Concilium decernit primò etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant. Secundò motiuum decreti declarat, quod sine illis peccata neque à pœnitentibus integrè exponantur, neque iudicibus innotescunt.

Ex primo sic arguo. Circumstantiæ mutantes speciem sunt explicandæ: Atqui nomine circumstantiarum non vult intelligere concilium ipsas species: confunderet enim species cum circumstantiis, & tanti Patres Spiritu sancto dictante voces adulterare non poterant, & benè callebant proprias earum significationes. Nam si tu modos cum speciebus confundere nemini permittere vis: ergo neque circumstantias, quæ proculdubio modi sunt, cum speciebus poteris dicere confundi à Patribus concilij assistentiâ Spiritus sancti præmunitis.

Confirmo hanc considerationem. Nam Concilium iam docuerat debere confiteri species peccatorum; ibi: *sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat*

30.

*Dicere circumstantias mutantes speciem non esse constitutum est hæreticū, & contra Conc. Trident.*

31.

32.

*dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Quibus verbis obligat fideles ad peccatorum species, immò & numerum in confessione aperendum. Ergo cum postea docet etiam (quæ particula notat idem quod præterea, vel præter dicta) debere circumstantias mutantes speciem confiteri non de speciebus, sed de circumstantiis ab illis distinctis loquitur. Tria enim vult Concil. Confiteri, species, numerum, circumstantias: aliquas circumstantias ab speciebus distinctas vult confiteri: non aggrauantes; ergo mutantes, prout ab his, & ab speciebus, & à numero, distinctas. Vnde colligitur concil. Non tantum velle quod illæ circumstantiæ confiteantur ad declarandas præcisè species, sed vt ipsæ per se notæ fiant, nec possint peccata separatim confiteri.

33.

Ex secundo idem confirmo. Nam Conc. Ideò vult circumstantias mutantes speciem confiteri, quòd sine illis peccata integrè non exponantur: At sine illis peccata quoad substantiam exponuntur: ergo vult confiteri illas circumstantias, quatenus ad integritatem, pertinent, vnde non solùm vt species separatim declarentur, sed etiam vt de ipsis Confessori constet, iubet eas in confessione explicari; quia sine illis nec peccati species satis Confessori innotescit.

34.

*Casus à Caram. resoluti à n. 25. iterum iuxta veritatem iudicantur.*

Nunc ad considerationem propositorum casuum conuertamur, ex quorum solutione magis hæc nostra doctrina clarescet. Igitur Petrus vouit die mercurij, ieiunare, & eo die carnes comedit, non fecit duas actiones vnâ indifferentem, aliam sacrilegam: nam comedere carnes ex vi voti non est iam indifferens, sed malum moraliter, & tenetur materiam voti exprimere, vt confiteatur speciem peccati commissi. Nimis enim genericè, & non in specie, & singillatim peccatum suum confitebitur, si solùm dicat se violasse votum, quod est expressè contra determinationem Concilij. Ad hoc confirmandum pono eundem casum. Præcipit superior Petro, ne comederet carnes die Mercurij. Petrus fragilitate inductus carnes comedit. Poterit dici Petrum fecisse duas actiones, alteram indifferentem, alteram inobedientem, & satisfacere confessionis præcepto ex Decreto Concilij, si dicat semel violauit præceptum superioris? Si affirmatiuè respondeas, ergo cum in sententia Caramuelis omnia sint ante præceptum

*Violatum votum ieiunij v. g. vnâ tantum actionem eamque sacrilegam perogio: tenetur ergo materiam voti violati declarare Confessori.*

præceptum indifferentiam, in omnibus præceptis idem dicendum erit, & satisfiet confessioni solum dicendo decies vel milles violavi præceptum superioris, quin materia exprimentur, quia ista sunt indifferentes ex se. Quod expressissimè pugnat contra Concilij decretum. Si neges: ergo idem est dicendum de voto. Nam votum est lex specialis, quam quisque sibi imponit, & ut à Deo acceptatur, habet vim legis à superiore impositæ: ergo sicut præcepta sunt specie diuersa, & peccata specie diuersa, quando species materiarum præcipiuntur ita & quando vouentur: & per consequens teneor ad dicendum me tale votum violasse in specie, & non in genere. Quod ex resolutione secundi casus patebit euentius.

Erat secundus: Ioannes vouerat se nunquam iururum, se diebus lunæ non manducaturum carnes, se ex oppido non egressurum: die lunæ egressus est, comedit carnes, iururavit: desiderat confiteri, & inquit quomodo? Videtur Caramueli Ioannem fecisse se, præscindendo à voto, tres actiones indifferentes distinctas specie, non tamen debere illas in confessione necessariò explicare: quoniam actiones indifferentes non pertinent ad confessionem. At Ioannem ter violasse votum, adeoque commississe tria peccata numero distincta, & in confessione debere dicere ter violasse votum, non tamen exprimere an violauerit tria vota, an semel singula vota diuersa. Quia diuersitas quæ se tenet ex parte rei votæ, si aliàs non est obligatoria materialiter tantum se habet. Nam & ille, qui furatus est semel aurum, & semel argentum, satisfacet si in confessione dixerit bis furatus sum, nec exponere furtorum materiam debet. Ira-ne Caramuel suæ ipsius Theologiæ fundamenta conuellit cum erigere excelsum super illa ædificium putat? Quantam hic inconsequentiam video!

Pono eundem casum, ex præcepto superioris. & ipsius Dei: Ioanni illa tria prohibita sunt, & tria illa præcepta violauit, vel tria illa commisit: dicit ne Caramuel Ioannem fecisse tres actiones indifferentes, nec teneri eas in confessione aperire, quia actio indifferens ad confessionem non pertinet. Ioannem verò ter violasse præceptum, adeoque commississe tria peccata distincta numero, & in confessione debere dicere ter violavi præceptum,

35.

*Violans tria  
vota specificè  
tenemur aperire eorū materiam, licet aliunde non sit interdicta.*

ptum, non tamen debere exponere an ter violauerit idem præceptum, vel semel singula præcepta diuersa: quia diuersitas, quæ se tenet ex parte materiæ præceptæ, si alias non est obligatoria (at apud te non potest esse aliàs obligatoria) materialiter tantum se habet: nam & ille qui furatus est semel aurum, & semel argentum satisfaciet si in confessione dixerit bis furatus sum, nec exponere furtorum materiam debet. Si dicas idem esse dicendum de præceptis: ergo cum omnes materiæ à Deo præceptæ sint indifferentes ex se, non tenebitur homo materiam præcepti declarare, sed dicere semel, vel bis, vel millies præceptum Dei fregi. Quod est nimis genericè peccata explicare, & Decreto Tridétino contrariè & hæreticum affirmare: & tua ipsius fundamenta peruertere, sic enim habet fund. 35. *Materia interdicta si generica sit habet differentias contractiuas, quæ si interdicta etiam sint, transferunt genus ad diuersas species peccatorum, & si non sit specialiter interdicta, contrahunt genus Physicè, non moraliter: illa debent in confessione exponi, non ista.* Per te quando materiæ specialiter interdictæ sunt debent exprimi in confessione: ergo etiã quando specialiter deuotæ sunt, quia etiam specialiter sunt interdictæ per votum, num. 4. ais: *Materia interdicta solet habere materias à se realiter distinctas, quæ si interdicta etiam sunt, non transferunt culpam ad aliam speciem, sed addunt nouam speciem peccati, ut potius videantur peccatum duplex, quàm peccatum distinctum specie.* Sic ex multiplicitate præceptorum colligis specificum discrimen peccatorum: ergo etiam ex multiplicitate votorum deberes idem inferre: sunt enim specialia præcepta circa materias saltem realiter distinctas. Vel ergo diruta sunt fundamenta, nec stare potest ædificium Theologicum, quod erigere intendis, vel necessariò dicere teneris, Ioannem hîc commisisse tria peccata specie diuersa contra tria vota specie diuersa, deberéque illa exponere in confessione explicando materias.

Quod & ego dico, & omnes dicere tenemur si consequentiam seruare velimus. Nam iuxta te illa tria vota sunt specie diuersa. Tum quia materia diuersa specie est specialiter interdicta, licet ab eodem legislatore, vel ex eodem religionis motiuo. Vel in mea sententia, & communi, quia illa tria vota habent diuersa  
 moitua

motiua, & pertinent ad diuersas virtutes à quibus specificantur in ratione specifica voti, licet in ratione generica conueniant. Nam motiuum non ludendi pertinet ad virtutem studiositatis, & ludus ad vitium curiositatis per se, vt docet D. Thom. Materia abstinenti à carnibus ad virtutem temperantiæ: Materia non exeundi ad virtutem clausuræ; Ideoque ex eo præcisè quod præcipiantur sunt actus talium virtutum cadentes sub præcepto, & debent specificari in confessione; aliàs vt diximus, possemus idem dicere de omnibus Decalogi præceptis, & consequenter non teneri ad exprimenda peccata in specie, sed in genere. Quod est hæresis expressè in sac. Conc. Trident. damnata. Ibi: *Neque aquitatem quidem illos (id est Confessores) in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi (id est pœnitentes) peccata declarassent.*

Nec dicas votum non ponere materiam in ordine illius virtutis, quam intendit; at verò præceptum eam ponere: ideoque teneri ad exprimendam materiam præcepti; non verò materiam voti. Nam contra infurgo. Quia vt latè probat Arriaga, nulla est ratio discriminis. Et eodem pacto quo dicitur non ponere votum materiam intra obiectum virtutis, quam intendit, potest probari præceptum eam non ponere; Quod potest in primis ostendi aliquibus exemplis: Hodie Ecclesia præcipit abstinentiam carniū in die veneris, non solum ob virtutem temperantiæ, verum etiam in cultum Passionis Christi, ob cultum B. Virginis in sabbato, & in aliis diebus in cultum aliorum Sanctorum; & tamen non ideò dicitur qui in sabbato non abstineret, vel in die veneris comederet carnes, irreligiosus erga virginem, vel sanctos, immò sine violatione abstinentiæ. Similiter si lex superioris prohiberet in religiosa domo, ne quis respiceret ad plateas per fenestras, vel ne aliquis Religiosus in alterius cellam ingrederetur, etiam si id faceret ex motiuo obseruandæ castitatis, non diceretur peccare contra castitatem, qui respiceret per fenestras, præsertim si esset certus, nullum adesse periculum. Similiter si Pontifex præciperet mihi, vt, hic & nunc, actum fidei eliciam; & ego sine vlla hæresi illum omitterem, non essem hæreticus nec peccarem contra fidem; & tamen frangerem præceptum. Ergo sicut votum, ita & præceptum ponit materiam in

36.

*Votum ponit materiam sibi subiectam in ordine illius virtutis quam intendit, non secus ac præceptum.*

ordine illius virtutis. Quam intendit. Sicut & votum ita nec præceptum ponit rem præceptam in ordine virtutis, quam intendit. Et ratio à priori in utroque casu militat: Nam ordinatio superioris tam extrinseca est materiæ præceptæ quàm ordinatio vouentis materiæ votæ: Ergo sicut ordinatio vouentis non potest dare contrarietatem in illa virtute, quam vouens intendit, ita neque ordinatio legislatoris in ea virtute, quam legislator intendit. Constat ergo eodem pacto esse discurrendum in voto, ac in præcepto: Ergo vel votum ponit materiam in statu virtutis, quam intendit, vel nec præceptum eam ponit. Et remanet in suo robore argumentum principale, neque esse necessarium materiam præcepti declarari in confessione, si non est necessarium declarare materiam voti.

Quæ doctrina maiorem habet vim contra Caram. Nam ipse nullam materiam agnoscit ex natura sua intrinsecè malam moraliter, & quæ ex se ordinetur ad hanc virtutem, potius quàm ad illam: Immò nullam dari actionem virtuosam moraliter, nisi ex Dei institutione libera. Vnde consequenter dicit illam ordinationem omninò extrinsecam, & dependentem à sola extrinseca ordinatione, & lege libera Dei; ergo sicut vouens, etiam si intendat illas virtutes, non tenetur materiam voti exprimere; ita neque præcipiens obligabit ad exprimendam materiam præcepti: quia quod sit hæc, vel illa per accidens se habet ad præceptum, sicut per accidens se habet ad votum. Afferere autem neminem teneri ad exprimendam in confessione materiam præcepti diuini, vel Ecclesiastici, quod violat, sed sufficere si dicat se violasse ter aut quater plura, vel vnum præceptum, est hæreticum. Ergo si hoc sequitur ex primo, vtrumque reiiciendum est.

37.

*Tam voti quàm præcepti materia omninò exprimitur iuxta cunctas sententias.*

Igitur ego! dicendum puto tam in voto, quàm in præcepto, materiam esse exprimendam, tam in sententia afferente, quam in negante præceptum superioris, ponere materiam in ordine virtutis, quam intendit; quia peccatum dicit tanquam partes essentielles rem præceptam, & prohibitionem, ex qua aggregatum accidentale resultat. Vnde dicit in recto materiam præcepti aut voti. Ideoque necessariò debeo ad exprimendam speciem peccati, exprimere materiã peccati, aut voti: aliàs non species, sed

genus

genus peccati, confiterer, nam esse præceptum vel esse votū est ratio generica, quæ contrahitur ad differentias específicas ratione materiæ supra quam cadit. Quam doctrinam colligo etiam ex eodem Caram. fund. 35. vbi ait: *Materia interdicta, si generica sit habet differentias contractivas: quæ, si interdicta etiam sint, transferunt genus ad diuersas species peccatorum.* Ergo ratione materialium distinctarum constituuntur specie distincta peccata. Et ego similiter discuro in voto: quia, vt vidimus, nulla est disparitatis ratio.

Immò addo in voto hanc doctrinam fortiùs procedere: quia nihil potest esse materia voti, nisi ad aliquam virtutem reducatur, eo quod voti materia non est quid indifferens, sed meliùs bonum, & sicut indifferentia præcisè non pertinent ad confessionem, ita neque vt talia possunt ad votum pertinere, ex ipsius voti definitione ab omnibus admissa, & à Caramuele nondum reprobata: *Promissio de meliori bono facta Deo.*

38.  
Votum est  
p. omisso de  
meliori bono:  
materia il-  
lius ad ali-  
quam virtutem  
ideo reduci  
debet.

Hinc patet solutio ad alios casus. Idem enim dicendum est, proportionem seruatâ. Nam in casu tertio non tenetur exponere connexionem furti & periurij, quia nunquam tenetur materiam iuramenti exponere, ex eo quod iuramentum non respicit materiam iuratam, sub ratione specifica, quâ ab alia distinguitur, sed sub ratione genericâ veritatis, pro qua adducitur Deus testis, quæ est omnibus materiis veritatis communis. Sicut furtum non respicit materiam ablatam auri, & argenti, sub ratione talis, sed prout pertinent ad bona fortunæ, quæ est ratio, in qua omnes materiæ furti conueniunt. Sicut, qui violat castitatem per pollutionem tactibus aut vestibus procuratam; vel per bestialitatem cum oue, vel cum alio bruto perpetratam, non tenetur has specialitates declarare, quia non respiciuntur à voto; sed sufficit, dicere, violauit votum bestialitate, vel pollutione, eodem modo, quo satisfacit sexto præcepto. At sicut non satisfacit sexto præcepto si genericè dicat, violauit sextum præceptum quando commisit pollutionem vel fornicationem, sed necessariò debet exprimere se pollutum vel fornicatum fuisse: sic neque voto castitatis satisfacit, si genericè dicat, se violasse votum castitatis; sed necessariò debet dicere se violasse votum castitatis bestialitate aut fornicatione. Quia præceptum (& similiter votum, quod

39.  
Periurij ma-  
teriam non  
tenetur quis  
in confessione  
declarare.

regulatur iuxta præceptum in his, quæ prohibet) respicit, aut vetat, illas materias non sub ratione generali luxuriæ, sed quatenus sunt species luxuriæ inter se distinctæ. Ex quo clarè fit, quod si præcepto prohibenti species luxuriæ, non satisfacimus, si dicamus, sextum præceptum violavi, sed necessariò speciem, in qua violavi, debeo dicere; quia præceptum interdicit illas specialitates: multò minùs poterimus satisfacere duobus votis respicientibus diuersas materias, si genericè tantum dicamus, violavi votum, non exprimendo materias, quas vt diximus, necessariò votum respicit & prohibet secundùm rationes específicas, per quas distinguuntur, & ad diuersas virtutes pertinent.

49.  
*Violans votum  
 castitatis ne  
 quit prius  
 violationem  
 voti ut sic,  
 postea fornicationem, aut  
 pollutionem  
 separatim  
 compleri.*

Vnde patet solutio ad quartum casum. Non enim satisfacit Religiosus, violato voto castitatis, si separatim dicat, violavi votum quoddam semel, & postea, incidi in fornicationem, vel vel procuravi pollutionem: quia non confiteretur iuxta mentem Concilij, & peccata contra votum nimis genericè exprimeret, & sic consequenter de aliis dicendum est. Vbi redit obseruanda iterum disparitas ad instantiam de furto. Quia illa peccata furti auri & argenti, neque ex motiuo præcepti, in mea sententia (quia pertinent ad eandem lineam virtutis iustitiæ) neque in tua, quia non sunt illæ materiæ specialiter interdictæ, prout inter se distinctæ, constituunt peccata specie diuersa: & perinde, ac si bis furatus esset argentum, qui semel est furatus argentum, & semel aurum, potest, confiteri, vnum enim alio compensatur. At verò qui semel violauit votum castitatis, ac semel votum paupertatis, non potest dici esse eodem modo iudicandus, ac ille, qui bis violauit votum castitatis: sicut nec illè, qui bis furatus est aurum, potest æquiparari illi, qui semel furatus est aurum & semel proximum vulnerauit, licet vtrumque conueniat in ratione damni proximo illati. Et ratio in sententia eiusdem Caramuelis hæc est: Quia illæ materiæ nempe argentum, & aurum non sunt interdictæ prout specificè inter se distinguuntur; at verò iniuria in pecunia, & iniuria in vita, sunt speciali præcepto interdictæ, nam vulneratio quinto, & furtum septimo præcepto interdiciuntur: ergo cum illa materia castitatis sit vota prout specialiter distincta à materia paupertatis, si enim esset interdicta per votum sub ratione aliqua communi materiæ paupertatis, eodem

dem voto castitatis obligaretur quis ad paupertatem, & è contra, sicut furtum est prohibitum sub ratione communi materiæ auri & argenti eodem præcepto teneor ad non furandum vtrûmque sit per consequens diuersa peccata specie constituere, & teneri illa in confessione exprimere.

Pro maiori corroboratione ex doctrina Caramuelis arguo. Cum religiosus tangendo aliquem, siue religiosum, siue secularè, delectationi venereæ consentit, tenetur explicare statû suum, immò & statum complicitis. At hoc stare non potest, si potest disiungere peccata, & illa quasi separatè commissa confiteri: ergo vel dicendum est, non teneri ad confitendum statum, qui est circumstantia mutans speciè, vel non posse separatim peccata confiteri. Primum & secundum contra te videntur militare: & primum, vt sæpius dixi, expressè opponitur Concilio Trident. Maior est expressa doctrina Caramuelis, sic enim habet: *Religiosus, qui se ad pollutionem, vel lasciuam delectationem excitat, tangendo alteram, vel tactibus his delectatur, peccat contra promissam castitatem: & ideo in confessione non solum debet explicare statum personæ, quam polluit, sed proprium.* Minor probatur etiam ex doctrina Caramuelis. Nam iuxta superiùs dicta, & casus propósitos, neque statum personæ, quam polluit, tenetur manifestare: ergo. Probo antecedens, iste commisit duo peccata, scilicet pollutionem, & violationem voti, & fuit causa delectationis alterius, qui, v.g. erat religiosus, & etiam duo peccata commisit: At potest sic se confiteri: semel violauit votum, semel pollui tactibus alienis: semel cooperatus sum peccato pollutionis alterius, semel cooperatus sum violationi voti alterius: quin exprimat statum vtriusque, potest enim inter hæc alia immiscere, & se confiteri, ac si non esset voto castitatis astrictus: ergo non tenetur statum suum, neque complicitis prodere. Non video, quomodo stare hæc possint: non tenetur statum suum prodere, sed potest dissimulare (ita enim in vltimo casu, ais: & quia nolebat clarè loqui hoc est manifestare statum coniugij) &, tenetur statum suum prodere: sunt enim contradictoria: ergo dicendum omninò est non benè confiteri, qui sic peccata in confessione separat, vt statum, vel aliam circumstantiam mutantem specièmittat.

Denique neque coniugatus potest dici satisfacere confessioni,

41.

42.

*Adulterium  
nequit in  
confessione  
per duo pec-  
cata iniuria  
gravis, ut  
sic, & forni-  
cationis, in  
confessione  
aperiri, ut  
requiritur.*

si adulterium in duo peccata diuidat, ut in quinto casu dicebatur. Nam adulterium, ut docet D. Thomas, est species luxuriae specialiter interdicta ut talis, & nunquam explicatur per fornicationem, quia datur fornicatio, quae non est adulterium, neque per iniuriam, quia datur iniuria, quae adulterium non est, & hoc verbum iniuria est genericum ad iniuriam ex furto, ex homicidio, ex contumelia, prouenientem: & sicut ille, qui fecit iniuriam alteri per homicidium, vel contumeliam, non satisfaceret, si dicat, intuli iniuriam cuidam (siue ad hoc alter cooperatus sit, siue non) sed tenetur exprimere materiam iniuriae: sic qui intulit iniuriam in negotio matrimonij, non satisfacit, si dicat, intuli iniuriam, sed debet dicere, circa hoc fuisse iniuriam. Quia ista, ut talis, expressè prohibita est sexto præcepto independentè à septimo vel octauo, aliter genera, & non species peccati confiteretur. Adulterium enim contrahit rationem communem luxuriae, non sicut arma & non arma, aut vitella, & non vitella hominem; sed sicut homo & leo animal, ut S. Thom. docet ubi sup. q. 4.

## §. III.

## De actu externo.

43.

SED adhuc ad grauiora veniamus. Ex eadem doctrina, ut putò male intellecta, sequitur hæc alia, meo iudicio absurdissima. Doctores qui asserunt circumstantias aggrauantes posse reticeri in confessione, consequenter dicunt, posse, qui furatus est mille aureos, dicere Confessori rem notabilem furatus sum. Similiter, & qui omisit totum officium, omisi ex officio materiam sufficientem ad peccatum mortale. Afferit Diana frequenter, citans plures.

*An qui cognouit faminam aut alicuius confitenti dicendo se grauitè cum ea peccauisse, aut dicendo se fornicatione inuicuisse.*

Hinc Caramuel. An non his positis tenentur hi Theologi in materia fornicationis dicere, cum qui cognouit foemina satisfacere dicendo, cum foemina peccauit mortaliter aut etiam fornicationem incepti? Proderit audire Dianam, qui part. 3. tract. 4. resol. 88. interrogat, an si quis commiserit fornicationem, satisfaciat, si dicat in confessione, commisi graue peccatum in ma-

teria

teria castitatis cum soluta? Respondet, hanc quaestionem reperiri apud neminem, nisi nouissimè apud solum Turrianum, qui lib. de poen. q. 9. art. 2. disp. 29. ad arg. 5. obseruat. Recentiores aliquos iudicare probabile eiusmodi, modum confitendi, & eorundem sententiam ab illo iudicari probabilem. Sed quid iudicat Diana? An sit verè probabilis (ait) aliis iudicandum relinquo, communis enim vsus fidelium est in contrarium. At, Ego vt puto, aut debet Turriano subscribere, aut, quæ de furto superiùs scripsit, delere. Sic Caram. Et addit: An non etiam in materia sodomix, aut etiam pollutionis tactibus alienis procuratæ, si dicat, cum viro peccauit mortaliter, aut fortè, tangendo alium peccauit grauius, non explicando, an fuerit completa pollutio, an incepta, si incepta pollutio inter masculos est principium sodomix. De quo infra? An non etiam in materia mollitiei, si dicat, tangendo me peccauit mortaliter, aut fortè, morosè delectatus sum? probabile enim est delectationem morosam esse culpam mortalem, & omnem esse pollutionem inceptam. Quod si in his vltimis casibus debeat poenitens explicare, an actus sit completus, an non; cur non etiam debebit in prioribus? aut omnes debent eodem modo resolui, aut consequentia non feruatur. Ita ille. Fund. 25.

An generaliter licet nõ explicare actus complementum.

Et ego ita. Ergo Caramuel. qui vult & debet consequentiam feruare, & in prioribus casibus expressè dicit, non teneri, etiam id ipsum dicit in posterioribus. Concedit consequentiam, sic inquit. Sed quo se modo dirigit in confessione, qui semel actu completo, iterum actu grauius incepto, peccauit? An ne tenebitur distinguere, vel poterit absolutè dicere, bis in tali materia peccauit grauius? Puto hoc vltimū dicendum esse: nam complementum addit supra actum grauius inceptum quamdam circumstantiam augentem, aggrauantemque, quæ non debet in confessione necessariò explicari. Hæc ille ibi, & in 6. præcept. fund. 57. agens de peccatis contra naturam, & fund. 58. agens de paruitate materiæ docet delectationem morosam grauem præfertim cum voluntate coeundi cum fœmina, si adesset occasio, esse peccatum mortale grauius inceptum, & distinguit inter grauius inceptum & completum, de illo asserit esse peccatum: ergo qui coiret cum fœmina, & se delectaret cum animo coeun-

44.

Affirmaretur Caram.

Complementum actus solum esse dicit circumstantiam aggrauantem.

di incipiendo grauitè pollutionem, posset dicere, se mortaliter peccasse, vel morosè delectatum fuisse, & satisfaceret, & esset benè confessus: ergo non dicendo actum externum esset benè confessus: Ergo si huc verum est, erit verum in aliis casibus,

45.

Sed fallitur.

At hoc est expressè contra Tridentinum sess. 14. cap. 7. vbi expressè definitur ad remissionem peccatorum iure diuino necessarium esse *confiteri omnia & singula peccata mortalia quorum memoria cum debita & diligenti premeditatione habeatur*, etiam occulta, & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & in capite quinto: *etiam si occultissima illa sint, & tantum aduersus duo vltima Decalogi præcepta*. Et postea *Verum cum vniuersa peccata mortalia, etiam cogitationis, homines ira filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo querere*. Ex quibus satis clarè mens Concilij constat. Cum enim peccata cogitationis declaret esse confitenda cum illa particula, *etiam*; supponit necessariò illa quæ pertinent ad opus externum confitenda fore; immò de illis nunquam in Ecclesia fuisse dubitatum. Quod confirmatur. Nam de illis, quæ pertinent ad duo vltima præcepta, quæ sunt desideria furti, & adulterij, Hæretici nonnulli negauere, ideòque necesse fuit hoc declarare. Patet etiam mens Concilij ex illis verbis etiam si occultissima illa sint. Nam per *si, occultissima* non intelligit merè interna, sed occulta, quæ à nemine sciri possunt, quia à solo delinquente fiunt occultissimè: ergo supponit debere confiteri peccata, quæ occultissima non sunt, atque adèò omnia externa siue occultissima sint, siue non sint occulta.

46.

Peccata cō-  
pleta debent  
confiteri vt  
completa.

Externitas  
non est merè  
circumstan-  
tia aggra-  
uās, sed pars  
peccati ne-  
cessariò ex-  
primenda.

Ergo omninò dicendum est à viris Catholicis: debere confiteri omnia & singula peccata completa, vt completa sunt: neque posse nisi deuiando à doctrina Catholica, aliud teneri, vt patet ex Concilio. Et ratio à priori est: quod peccatum adæquatè coalescit ex interno & externo; vnde exterioritas non est mera circumstantia aggrauans, sed compars peccati. Vnde incompletè & dimidiatè confitetur, qui dimidiam peccati partem confitetur. Et cum dentur peccata quæ sola cogitatione complentur non transeundo ad opus, & alia quæ opere ipso perficiuntur; qui solam cogitationem confitetur, supponit illam solam, & non actum

actum externum perpetrasse ; quod esset falsum. Et contra mentem Concilij

Ad instantiam de furto & omissione diuini officij dico eam non procedere, quia non sumitur rectè paritas ab actu interno ad externum, sic : qui furatus est mille potest dicere furatus sum materiam grauem : ergo qui commisit pollutionem potest dicere morosè delectatus sum, vel incepti pollutionem : Sicut non esset bona paritas sic : qui furatus est mille potest dicere furatus sum materiam grauem : ergo potest etiam dicere volui furari, vel furari incepti. Negatur enim consequentia : quia in casu antecedentis ponitur actus externus, & ponitur materia furti, non negando esse mille adhuc moraliter ; at verò in casu consequentis, qui dicit incepti furari, incepti pollutionem, vel morosè delectatus sum, supponit se ad actum non peruenisse, se furtum non compleuisse Quod est falsum & mendacium, ex quo sequitur non integra confessio.

47.

Paritas de furto & omissione diuini officij non procedit.

QVÆSTIO VII.

De his, quæ censentur indirectè prohibita aliquo præcepto.

**R**es est difficilis, & patitur magnas inconsequentias; licet regula generalis videatur clara, & ab omnibus admittenda. Varia sunt hominum ingenia, & ex eadem veritate inferunt, non semel plura non vera; illa ergo debent intelligi indirectè præcepta sine quibus poni non possunt, quæ præcipiuntur directè: vel, quæ sunt media necessaria ad implenda ea quæ directè præcipiuntur.

I.

Indirectè præcepta sunt sine quibus directè præcepta non ponentur, vel qua media sunt ad hac necessaria.

## §. I.

## De Actionibus occultis.

2.  
An & quo-  
modo Eccle-  
sia possit  
actus inter-  
nos præcipere.

**D**Vbitant primò Theologi an Ecclesia possit præcipere actus internos; asserunt multi, vt notum est omnibus, posse præcipere directè & de facto imperare internam attentionem in officio diuino, & in Missæ auditione. Negant alij Ecclesiam posse directè præcipere actus merè internos; attamen optimè posse directè præcipere actus mixtos; nam Ecclesia præcipit actus humanos; & actus humanus componitur ex actu interno & externo: ergo Ecclesia illos præcipit provt componunt vnum actum humanum, coalescentem ex lectione externa, & attentione interna. Tertio, asserunt alij Ecclesiam directè præcipere actum purè externum; indirectè verò actum internum: Sed isti à Caramuele Fund. 24. refelluntur, suo iudicio, tam euidenter, vt possit digito eorum errorem monstrare. Sic arguit: illa indirectè præcipiuntur, sine quibus poni non possunt quæ directè sunt præcepta. At purè externa recitatio Psalmorum potest poni, sine attentione interna: nam si legi totum officium quid deest ad attentionem externam? ergo. Hoc argumentum benè probat non præcipi attentionem internam, quia sine ea poni potest recitatio externa: at illi, qui dicunt Ecclesiam præcipere indirectè actum internum, possunt dicere, se non loqui de illo actu, sed vel de intentione satisfaciendi, vel de voluntate recitandi, sine quibus actus externus esse liber, & humanus non potest. Quòd si dicas hunc actum internum esse partem, & præcipi directè; sequitur, nullum actum internum posse Ecclesiam indirectè præcipere, sed necessariò debere directè. Nam si potest sine illo poni externus, nullo modo præcipi potest; si non potest sine illo poni, est pars, & præcipitur, directè. Standum est communiori doctrinæ, scilicet Ecclesiam directè non posse præcipere actum internum; indirectè verò posse illum actum internum præcipere, sine quo actus externus esse non potest humanus, vt ab Ecclesia præcipitur.

3. Sed adhuc mouet dubium non leue Caramuel: An supposito quod

quòd Ecclesia non iudicet de illis, quæ sunt per se occulta, iudicet de occultis per accidens. Communiter respondent quòd sic, & tamen ego ( inquit ille ) volo videre vnam rationem quæ prober Ecclesiam non iudicare de occultis per se, quæ tamen non æquè prober eandem non iudicare de occultis per accidens. Et sic argumentatur: ideò ( inquirunt ) Ecclesia non iudicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se; ergo ipsa carebit potestate iudicandi per accidens de illis quæ cognoscere non potest per accidens. Eundem enim effectum quem causa per se, dat per se, causa per accidens dat per accidens: Nam si ignis est calidus per se, & opponitur frigori per se, aqua dum est calida per accidens opponetur frigori per accidens.

Vt doctrinam supra positam confirmet Caramuel, producit Dianam part 2 tract. 12. resolut. 2. vbi interrogat, an qui voluntariè distractus horas recitat, satisfaciat Ecclesiastico præcepto? Respondet benignè ( hoc est affirmatiuè ) & doctè. Et responsionem suam hoc argumento firmat: nemo potest præcipere aut vetare quod non potest punire, & non potest punire quod non potest cognoscere & iudicare: sed Ecclesia extra confessionem non potest cognoscere & iudicare actus internos; ergo dicendum quod non potest eos præcipere aut vetare. Addit sed ego doceri velim à Diana; an hoc eodem argumento non possit excludi lectio occulta priuata? Peto an teneatur quis legere Canonicas horas priuatim, quando non dantur testes & arbitri? Respondet Titius negatiuè. Et ingenio Dianæ ( immò aliorum, qui eius sententiam amplectuntur ) vsus, aut abusus, sic inquit: Nemo potest videre quod non est coloratum: at materia aëris per accidens caret colore: ergo per accidens est inuisibilis. At substantia Dei ( aut etiam Angelorum & animarum rationabilium ) est per se & essentialiter inuisibilis: ergo per se & essentialiter videri non potest. Et his iactis fundamentis, sic inferit, nemo potest præcipere aut vetare, nisi possit punire, & nemo potest punire, nisi possit iudicare; & nemo potest iudicare, nisi possit cognoscere: ergo si res sit per se, & essentialiter incognoscibilis, erit per se, & essentialiter iniudicabilis, per se & essentialiter impunibilis, & per se & essentialiter impræceptibilis: ergo si res sit per accidens incognoscibilis, erit per accidens iniudicabilis, per acci-

*Ecclesiam nō iudicare de occultis per se, bene de occultis per accidens tenet communis sententia sed neque de his posse nisi tur probare Caram.*

4.

*Horas recitans voluntariè distractus satisfaciunt iuxta Dianam.*

*Inde tamen Caram. infero r putat omis- sionem horarum occultā non esse culpabilem.*

dens impunibilis, atque etiam per accidens impræceptibilis: Atqui lectio horarum occulta, & etiam omissio eiusdem lectionis occulta, per accidens est incognoscibilis: superior enim qui externos subditorum actus, verè occultos & secretos, cognosceret, non esset iam homo, sed Angelus: ergo per accidens est iudicabilis, impunibilis, impræceptibilis. Ergo per accidens accidit superioribus, quod non possint interdicerere actiones aut omissiones secretas & occultas per accidens.

5.

*Quia Ecclesia non iudicat de occultis remediis adhibet matrimonij clandestinis.*

Addere vires, suæ rationi, Concil. Trid. Probat ex cap. 1. sess. 24. Vbi agens de inconuenientibus quæ oriebantur ex matrimonio clandestino Sic habet: *Cui malo cum ab Ecclesia, qua de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur;* ex quibus verbis sic arguit. Ideò Ecclesia de clandestino Matrimonio non iudicat, quia de occultis non iudicat: ergo illa occulta, de quibus illa non iudicat, non sunt tantummodò occulta per se, sed etiam occulta per accidens: quia matrimonium clandestinum non est occultum per se, sed per accidens.

6.

*Duellum ex occulto respiciens non incurrit exco-  
municati vè docet plures.  
Sententia asserens non incurri irregularitatem ex homicidio voluntario omnino occulto.*

Subdit, videtur huic subscribere opinioni Escobar. Tract. 1. Theol. Mor. exam. 7. c. 3. Vbi secutus Sanchez, Comitolum, Fagund & Sà, docet eum, qui ex occulto duellum respicit non incurrere in excommunicationem, cui poterat addere Rodrig. qui tom. 1. qq. regular. art. 11. q. 24. Et Couarruu. Sententiam asserentem, non incurri irregularitatem ex homicidio voluntario omninò occulto, iudicat probabilem, non obstante Decreto Concilij Tridentini.

7.

*Videns tamè  
Ceram. ar-  
gumenta sua  
nimia & im-  
probabilia  
suadere, au-  
xilium petit,  
ut ea dissol-  
uat.*

Concludit, bonè Deus? si hæc opinio semel admitteretur actum esset de tota, aut ferè, superiorum autoritate. Subditi obedirent ad oculos; Et priuatim omnia mandata temerarent Ecclesiastica, aut sæcularia. Nemo peccaret, qui secretò comederet carnes diebus veneris: Nemo qui diebus ieiunij pluries comederet: Nemo qui secretò omitteret officium diuinum: Nimia omnia, & improbabilia; & tamen legitimè illata, ex doctrina probabili. Vt video, ex hac doctrina oriri in nostris scholis possit independentium illa hæresis, quæ ab annis pauculis, inficit Angliam. Quærenda igitur est ratio, probabiliore certior, Quæ hanc doctrinam perniciosam debellet. Ergo Theologe Lector,

Lector, me iuua; Ergo vel mihi ostende cur antecedens non sit probabile, aut cur consequens sit probabile, aut tandem ostende errorem in argumentationis nostræ forma, quoniam doctior esse desidero, nec aptos Magistros inuenio. Ita Caramuel.

Urget Charitas, vt quaecumque pro modulo nostro, tanto viro præbeamus adiutorium. Sed non aliunde quàm ex doctrina sua emendicatum; nemo enim Caramuelem nisi ex Caram iu-uare facilè poterit.

In primis ergo argumentum illud, pro contraria sententia instruo; & probò Ecclesiam posse iudicare de occultis per accidens; & vellem videre vnã rationem, quæ probet Ecclesiam, quæ potest iudicare de occultis per se, si fiant per accidens manifesta, vel externa; quæ æquè non probet eandem posse iudicare de externis per se, licèt fiant occulta per accidens. Sic argumentor: Ecclesiam posse iudicare de externis est certum; vel ergo potest iudicare de occultis per se, si fiant per accidens externa, vel non? Si non potest iudicare de occultis per se, etsi per accidens fiant externa: ergo non carebit potestate iudicandi de externis per se, licèt fiant occulta per accidens. Patet consequentia, quia idèd non potest iudicare de occultis per se, licèt fiant manifesta per-accidens, quia ista non amittunt occultationem per se; ex eo quòd per accidens manifestentur. Vnde semper per se remanent cum exemptione ab Ecclesiastica iurisdictione: at occultatio per accidens non tollit ab externis per se exterioritatem per se: ergo non tollit ab illis titulum, quo subduntur Ecclesiæ, atque adèd remanent semper per se sub eius iurisdictione.

Si dicatur, Ecclesiam iudicare de occultis per se, si fiant per accidens externa: à fortiori sequitur posse iudicare de externis per se, licèt fiant occulta per accidens: nam qui potest magis, potest minus: at minùs externa sunt ea, quæ sunt externa per accidens, quàm ea, quæ sunt externa per se: ergo si de illis potest iudicare, à fortiori poterit de his. In vtrisque enim coniungitur occultatio, & exterioritas. In occultis per accidens, esse externum per se; in occultis per se, esse externum per accidens. Atqui esse externum per accidens, sufficit, vt subdatur Ecclesiæ occultum per se: Ergo esse externum per se sufficit, vt subdantur Ecclesiæ occulta per accidens.

8.

*Ex illius doctrina argumenta enervantur. Nisi enim Caramuel Caramuelem non iuuat.*

*Statuitur Ecclesiam posse iudicare de occultis per accidens.*

9.

Nam

Nam effectum, quem causa per accidens, potest præstare, à fortiori poterit illum præstare causa per se: at exterioritas per accidens subdit potestati Ecclesiæ internam per se: ergo exterioritas per se subdit Ecclesiæ potestati occulta per accidens.

10.

*Ecclesia iudicavit de occultis per accidens.*

Probo deinde autoritate Concilij Trid. Ecclesiam habere iurisdictionem, illamque exercere, in actus occultos per accidens. Nam sess. 14. c. 7. priuat promotione ad sacros ordines, & ad Beneficia Ecclesiastica homicidam voluntarium, quamuis occultum, his verbis: *Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id, nec ordine Iudiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit.* Concil. non loquitur de homicidio interno, seu voluntate solâ occidendi; evidens est, ergo loquitur de homicidio externo per se, & occulto per accidens: ait enim, quod nullâ ratione publicum, sed occultum fuerit. Et cap. 6. sess. 24. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare. Et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere.* Quibus verbis nihil est addendum. Constat enim Concilium, Episcopis concedere facultatem dispensandi, in censuris Ecclesiasticis, & absolvendi, à quibusvis criminibus occultis subditos suos. Secundò Ecclesiam negare talem potestatem, si censura contrahatur ex homicidio etiam occulto, vel delictum sit deductum ad forum contentiosum: atqui concedere facultatem circa altera occulta, & eam sibi reservare circa alia, & circa ea, quæ deducta sunt, ad forum contentiosum; est exercere circa occulta iurisdictionem: ergo Ecclesia circa occulta illam habet; non circa occulta per se: ergo circa occulta per accidens.

11.

*Matrimonium clandestinum quodnam.*

Confirmo hanc probationem autoritate Caramvelis. Nam fund 36. §. 12. sic probat clandestina Matrimonia ubi viget Concilium Tridentinum esse inualida, ex cap. 1. sess. 24. de reform. *Qui aliter quàm presente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, aut ordinarij licentia, & duobus vel tribus, testibus*  
matri.

matrimonium contrahere attentabunt, sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, ac nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, & annullat. Ad quae verba, haec addit Caramuel. Ecce aperi oculos, & rem perspice. Matrimonium clandestinum, quod sancta Synodus nullum declarat, illud est, quod non potest probari. Est evidens. Et ego ex Caramuele contra Caramuel. sic arguo. Matrimonium, quod probari non potest, est occultum per accidens. Sed Matrimonium clandestinum probari non potest: Ergo Matrimonium clandestinum, est occultum per accidens. Arguo iterum. Matrimonium clandestinum est occultum per accidens, sed in Matrimonium clandestinum exercet Ecclesia iurisdictionem, illud irritans: ergo in occulta per accidens gaudet Ecclesia iurisdictione, est evidens.

Respondere nunc ad argumenta Caramuelis tam ex ratione, quam ex autoritate, facta, debemus. Vtinam responsio nostra probabiliore certior, illi videatur. Ad argumentum principale quod erat, idem Ecclesia non iudicat de occultis per se; quia illa non potest cognoscere per se: ergo ipsa carebit per accidens, potestate iudicandi de occultis per accidens; concedo antecedens & nego consequentiam. Nam ad hoc, ut aliquid subdatur Ecclesiae potestati, sufficit quaelibet exterioritas: & cum in his, quae sunt externa per se, non deperdatur exterioritas per se, ex eo quod occulta sunt per accidens: hinc est quod adhuc remaneant sub Ecclesiae iurisdictione. Et solutio confirmatur ex eo quod occulta per se, licet per se non sint externa, quia per accidens sunt externa, Ecclesiae subiiciuntur iurisdictioni. Vnde sufficit quaelibet exterioritas, ut Ecclesiae iurisdictioni, subsint. Deinde distingo antecedens quia sunt interna per se praecise, nego; cum aliquo addito, hoc est, si non sint externa per accidens, concedo. Nam occulta per se, si sint externa per accidens, per se iudicantur ab Ecclesia; quia quaelibet exterioritas respicitur ab Ecclesia potestate per se; licet enim per accidens, aduenit illi rei occultae per se, quod sit per accidens manifesta; eo tamen ipso, quod per accidens est externa, per se est subiecta Ecclesiae. Sicut, licet per accidens conueniat parieti esse album, vel nigrum, eo

12.

Soluuntur  
iam Caram.  
argumenta  
ex n. 3. &  
segg.

ramen ipso, quod est niger, vel albus, non est per accidens potentia visuæ illum videre, & de illo iudicare; aliud enim est, aliquid aduenire alicui per accidens, & aliud per accidens aduenire alicui potentia de illo iudicare. Materia interdicta (inquit Caram. Fund. 35.) solet habere accidentia, quæ rarò sunt etiam interdicta; & si sint transferunt peccatum ad nouam speciem accidentalem. Vnde ego sic infero; accidentia sunt locus, tempus, modus: per accidens est peccato, quod fiat in loco sacro: at hoc accidens non per accidens sed per se potest ab Ecclesia prohiberi. Sic per accidens est materia per se occultæ quod sit manifesta: at eo ipso per se potest ab Ecclesia interdici.

13. Rursus respondeo declarando, vel distinguendo consequens carebit per accidens potestate iudicandi de occultis per accidens: id est per accidens eueniet illi, vt de illis iudicare non possit, transeat: at per hoc non priuatur autoritate iudicandi de illis, prout sunt per se externa. Carebit per accidens potestate iudicandi de illis prout sunt externa per se, nego. Quia ad iudicandum per se non requiritur exterioritas per accidens, sed sufficit exterioritas per se.

14. Declaro adhuc consequens; carebit per accidens potestate iudicandi de externis per se, prout sunt occulta per accidens, id est, non poterit Ecclesia illis occultis imponere pœnas, quæ non imponuntur nisi his quæ simul sunt externa per se, & per accidens, concedo; non poterit eas imponere, vel de illis iudicare in ordine ad pœnas, quæ non requirunt vtramque exterioritatem, nego.

*Duplex potestas in Ecclesia obligatoria, & punitiua.*

Itaque considerari potest in Ecclesia veluti duplex potestas, seu iurisdictio in ordine ad ea, quæ potest præcipere; sicut in re præcepta duplex exterioritas; alia in ordine ad obligandum in conscientia, vt aliqua externa actio non fiat, altera in ordine ad puniendum illum, qui talem actionem fecerit. Prima dici potest, potestas obligatoria: secunda potestas, seu iurisdictio, potest dici punitiua, seu vindicatiua. Exterioritas in re præcepta, alia est in se; alia in ordine ad iudicium forense. Prima dici potest exterioritas; alia dici potest notorietas. Ad primam sufficit potestas

potestas per se, quam habet Ecclesia in ordine ad res externas per se, & in se, ad aliam requiritur, quod deduci possit res, ad forum contentiosum, & probari in iudicio. Quando vtrumque coniungitur, vtramque iurisdictionem exercet: quando non coniungitur, solum exercet illam quam habet circa exterioritatem, quae apparet, vel in re, vel quae in iudicio probatur. Vnde non semel contingit, vt in foro externo, seu iudiciali, probeatur quis reus, & puniatur pro delicto, quod reuera non commisit; sunt enim actiones externae, quoad se, & externae, quoad iudicium seu forum, & circa easdem actiones iurisdictionem exercet, prout materia capax est.

Rem exemplo dilucido: imponit Ecclesia excommunicationem illi, qui incendit Ecclesiam, illi, qui furatur rem sacram, & sacerdoti celebranti cum excommunicatione irregularitatis infligit poenam. Petrus sacerdos occultè incendit Ecclesiam, furatur rem sacram, & celebrat excommunicatus, aliàs est bonae opinionis vir, & nemo vel leuiter suspicatus est Petrum talia perpetrasse facinora. Consultit viros doctores, & vult scire quomodo se debeat gerere: & asserunt isti, & benè, non debere se prodere, nec desinere celebrare nec gerere se tanquam excommunicatum quoad alios, sed interim celebrare, si adest periculum, vt ex omissione celebrationis suspicio de delicto generetur; periculo autem cessante, tenebitur non celebrare. Et interim absolutionem & dispensationem in foro conscientiae obtinere ab eo, qui possit absoluere, & dispensare ecce hic excommunicatus & irregularis si celebrauit sine causa praedicta & tamen ab Ecclesia vt talis non tractatur; ipse autem se debet talem reputare; quia illud opus quoad se habet illam exterioritatem, quae sufficit ad incurrendam poenam, quae non requirit Iudicis sententiam, & eodem modo est externa sicut opus scilicet externum per se & occultum per accidens. Vnde manet aequalis Ecclesiae potestas, in ordine ad opus externum, si est per se externum, & per accidens occultum, incurrit poenam per se externam, & per accidens occultam.

Vnde remanet in suo robore, doctrina illa, iuxta quam potest concedi consequentia. Et vera remanet illa propositio, videlicet, quod eundem effectum, quem causat causa per se, causat causa

15.

*Quomodo se debeat gerere Sacerdos excommunicatus occultus in ordine ad celebrationem.*

16.

per accidens proportione seruata, v. g. in casu nostro ad punitionem externam per se, & occultam per accidens, sufficit exterioritas actionis per se, licet occulta sit per accidens: & ad punitionem vel pœnam, non solum externam per se, sed etiam per accidens, vel in ordine ad nos, & ad forum contentiosum non sufficit exterioritas per se; sed requiritur etiam exterioritas per accidens, seu illa accidentalis, quæ oritur ex notitia extrinseca aliorum. Quod est in summa dicere, quod in foro externo humana potestas non potest præcipere, vt ille qui omninò occultè aliquod crimen commisit, cui aliqua pœna vel censura imposita est, se in publico gerat, vti tali pœnâ damnatus, vel incursum quia hoc est contra rationem naturalem.

17.

*Optio Diana dicta in n. 4. Caram. consequentiis non est antecedens.*

Hinc iam patet qualiter ex doctrina Dianæ asserentis, attentionem internam, non posse ab Ecclesia præcipi, non sequitur excludi ab eius iurisdictione occultam lectionem horarum: Nam illa actio est interna in se & per se, & non fit per accidens nec indirectè externa, cum lectio horarum esse possit sine illa. Vnde nullo modo est iudicabilis. At occulta recitatio horarum est ex se externa, & per consequens aliquo modo iudicabilis; vnde argumentum illud, quo vteretur, qui abuteretur ingenio Dianæ, non procedit in forma: facit enim magnum transitum ab eo quod nullo modo est visibile, nec per se nec per accidens, ad id, quod est aliquo modo visibile. Sic enim arguebat. Quod non potest videri non potest iudicari &c. Sed occulta recitatio horarum non potest videri; ergo non potest iudicari. Hoc argumentum non procedit. Nam maior est veluti vniuersalis, & æquiualeat huic: *Quod nullo modo potest videri.* Et sic minor est falsa, & absolutè neganda si eodem sensu intelligatur illud *non*, id est nullo modo: quia est aliquo modo visibilis (nempe per se,) recitatio occulta horarum; quod si dicas: quod nec maior nec minor æquiualent vniuersali. Distinguenda est maior & minor; quod non potest videri non potest iudicari distingo: si nullo modo potest videri, concedo. Quod vno modo potest videri, & alio non, nego. Nam vt possit iudicari, sufficit quod vno modo possit videri. Et minorem etiam distingo. Occulta recitatio horarum non potest videri per se & in se, nego: per accidens, transeat: ergo non potest iudicari, nego consequentiam, quia sufficit vt per se

se

se possit videri, vt possit iudicari modo supra explicato.

Et nunc liceat eodem argumento vti in fauorem nostræ sententiæ. Quod nullo modo est visibile, nullo modo est iudicabile: ergo, quod aliquo modo est visibile, est aliquo modo iudicabile. Sed quod est per se visibile est aliquo modo visibile, licet sit aliquo modo non visibile: ergo est aliquo modo iudicabile; & hoc sufficit, vt Ecclesia in illud exerceat iurisdictionem. Prima consequentia est bona, Minor negari non potest, quia est per se nota, & consequentia legitima.

18.

Accedamus iam ad probationem ex Concilio, quo non confirmari, sed infirmari sententiam Caramuelis seu dubium, patebit satis. Etenim concilium ante verba à Caramuele citata, supponit Ecclesiam exercuisse iurisdictionem in Matrimonia clandestina quod ex Caramuele superius probauimus) nam ante illa verba: cui malo, &c. quæ citat Caramuel primò docet Matrimonia clandestina, fuisse valida, antequam ab Ecclesia irritarentur: ergo supponit illa, posse ab Ecclesia irritari. Deinde dicit Ecclesiam iustissimis de causis illa semper detestata habuisse, & prohibuisse, & citat in margine c. non omnes c. honor. c. fin. 32. q. 2. c. aliter nostrates 30. q. 5. c. videtur, qui matr. Concil. Tol. 3. cap. 10. Concil. Bisontin. ann. 1559 art. 6. de sponsalib. & Matrim. Concil. Camerat. 1550. tit. 9. de Matrim. supponit ergo Ecclesiam iudicasse de matrimonio clandestino.

19.

Qua ratione iudicat, vel non iudicat Ecclesia de Matrimonio clandestino.

Postea, quia istæ prohibitiones non profuerunt, decernit maiora remedia adhibere, sic: *Cum sancta Synodus animaduertat prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam, iam non prodesse: & grauiora peccata, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cum ab Ecclesia quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur. Idcirco, sacr. Lateranen. Concil. sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inherendo, præcipit vt in posterum, &c.*

Supra dixerat Concil. Ecclesiam prohibuisse Matrimonia clandestina; hîc, quia de occultis non iudicat, asserit Concilium efficacius remedium velle adhibere ad euitanda mala, quæ ex

illis proueniunt ergò hæc occulta , de quibus asserit se non iudicare , non possunt esse occulta Matrimonia , de quibus se iudicauisse , & velle nunc inhærendo vestigijs Concil Lateran. iudicare asserit: est euidentis.

*Consensus interius unde possint Ecclesia constare de illis non iudicat Ecclesia per se.*

Occulta ergo de quibus iudicare non potest Ecclesia sunt consensus interni contrahentium , qui cum per eorum verba debeant Ecclesiæ constare , possunt fingere , se habere consensum , & non habere Ex quo contingebat quòd multi verè contrahentes clandestinè postea in facie Ecclesiæ , vel publicè cum alia contrahebant , & fingentes se , non esse adhuc coniugatos , & sic cum secunda vxore in adulterio viuebant. Et huic malo quod dependebat ab interno consensu , de quo non poterat iudicare Ecclesia succurrere vult , & Decretum facit , quo Matrimonium clandestinum irritat , & consensum internum indirectè nullum facit , decernens , vt in posterum inhabiles sint ad contrahendum , qui coram Parocho , & testibus non contraxerint. Vnde fit quod voces illæ significatiuæ consensus , non habeant vim illum significandi , si clandestinè proferantur ; & sic nullum redditur Matrimonium tanquam à persona inhabili , & non ritè contrahente. Ex quibus tota nostra doctrina clarescit. Nam primò patet Ecclesiam non iudicare de occultis per se directè. Secundò , posse iudicare de illis indirectè , sicut in Matrimonio inhabilitando personas , immò & voces vt non significant consensum. Tertio , iudicare de externis per se , licèt sint occulta per accidens. Sicut de Matrimonio clandestino se iudicare velle , & iudicasse testatur.

20.

*Declaratur sententia de duello , & irregularitate ex homicidio occulto posita à Caram. n. 6. supra.*

Non subscribunt opinioni Caramuelis , Escobar , Rodrig. Castro , & Couarruu. Nam isti DD. non asserunt eum , qui ex occulto videt duellum , vel occultè occidit aliquem non incurrere cēsuras , ex eo quod ab Ecclesia prohiberi non possint , sed quia de facto non prohibuit. Vnde supponunt potius posse prohiberi , cum rationē reddant , quòd non prohibuit , non quòd non possit. Quod constat satis audiendo illos. Sic habet Escobar loco cit. *Nec qui aspiceret ex occulto* ( subintellige , esset excommunicatus ) *aut eminens , aut qui casu presens inueniretur , vel etiam , qui duelli conscius in illud mera curiositatis causa pergit.* Aequaliter excusat ab incurfu excommunicationis , eum , qui ex occulto , ac mul-

ros, qui publicè vident. Vnde non tradit specialem doctrinam de occulto; sicut ergo à nemine dubitatur posse ab Ecclesia excommunicari eum, qui eminè videt, vel propè, casu, aut curiositate: & tamen dicit Escobar non incurrere fulminatam censuram contra spectatores. Sic non est dicendum dubitari, aut asseri ab illo Ecclesiam non posse excommunicare eum, qui ex occulto; licèt non incurrat excommunicationem de facto: Nam ratio est communis, videlicet; quod isti non veniant significati nomine spectatorum: hanc enim reddit rationem. *Quia Bulla damnat spectatores, qui se offerunt pugna spectatores & testes, cum inter duellantes nascitur iurgium.* Et citat Mendozam sect. 21. §. 17. Ergo iste Doctor non idè; quia ex occulto vident, ait, non incurrere, sed quia nomine spectatorum non intelliguntur. Non secus ac illi qui publicè eminè, vel propè, & in eodem campo Duelli curiositatis causa vident Duellum. Eodem sensu excusat probabiliter Rodriguez, eum, qui occultè omninò occidit quia Ecclesia id non prohibuit, non quia non contineatur sub Ecclesiæ iurisdictione illa actio; ait, enim, *Quia nulla est Decretalis expressa, in qua sit Decretum, quod propter delictum omninò occultum contrahitur irregularitas: nam quamvis sint iura dicentia, quod sit illata irregularitas, quando culpa latet, vel quando delictum est occultum: sed nullibi dicitur quod talis pœna sit indicta, quando omninò culpa latet, vel quando delictum est omninò occultum.* Itaque concedit Ecclesiã tulisse legem, contra delictum occultum, sed, quia non tulit contra omninò occultū inquit nō incurri ex homicidio omninò occulto. Supponit ergo posse; sed tamen ait non fecisse, & ideo non incurrit, licèt ego existimem in hoc falli Rodriguez. Nam Concil. satis expressè docet incurri ob delictum, quod nullâ ratione publicum est: at quod nullâ ratione est publicum, omninò occultum dicitur. Sed, quidquid sit de hoc, ipse non docet, omninò occultum esse, extra Ecclesiæ potestatem; sed quia omninò occultum, de facto non fuit prohibitum sub illa voce *occultum*: quod est diuersum. Valde enim diuersum est asserere Ecclesiam non prohibuisse de facto, supponendo potuisse: aliud non prohibuisse, quia non potuit, ex motiuo enim, quo aliqua propositio asseritur, redditur aliquando falsa, aliquando damnabilis.

*Propositio eadem ex motiuo quo asseritur aut quando est falsa aliquando damnabilis.*

Vnde

21.

Vnde eadē propositio, quæ in vno autore permittitur in alio damnatur, & deletur, ex eò quòd ex diuerso motiuo illam pronunciant; quod probaui in opusculo illo de diffinibilitate conceptionis exemplo illo: in P. Leandro, & in P. Poza reperitur hæc propositio: virgo non potuit de absoluta potentia contrahere originale peccatum. Et in Leandro permittitur, in Poza expurgatur. Quare? Ob diuersum motiuum seu fundamentum. Nam Poza id dicit eo fundamento, quòd Virgo sit miraculosè producta: quod est falsum. At Leander hoc asserit ex suppositione decreti diuini, quo Deus eam sibi consociare in gratia Decreuit, & suppositâ opinione, quòd gratia, & peccatum in eodem subiecto repugnant diuinitus. Fundamentum igitur fecit eandem propositionem, in altero permitti in altero deleri. Deinde hæc propositio: Angeli possunt depingi, fuit in septima synodo discussa, & admissa: attamen ratio, & motiuum, quo asserabatur à Ioanne Thessalon, non fuit admissum: nempe, quia essent corporei. Et hodiè qui eam ex hoc motiuo assereret, notaretur ad minus temeritate; cum tamen posse depingi de fide sit, quia in forma corporali apparuerunt. Vnde clarè fit eandem propositionem ex vno motiuo damnari; ex alio verò approbari posse. Sic similiter in præsentī: diuersum est dicere videntem ex occulto duellum non peccare contra Bullam, ex quo ibi non est prohibitio; ac dicere, non peccare, ex eo quòd occulta per accidens ab Ecclesia prohiberi non possunt. Nam hoc secundum, est contra Concil. non primum. Relinquitur ergo nullum præbuisse subsidium ratiocinio Caramuelis citatos DD. An nos aliquale, dignabitur ipse dicere, si dignetur hæc legere.

## §. II.

*De obseruantia Præcepti quoad modum.*

22.

Modus quæ  
est consuetudo  
indirectè  
præceptum.

**N**ON est dubium, *modum*, posse cadere sub præcepto directè. Censetur indirectè præceptus, quando sine illo non potest res præcepta adimpleri: quando potest sine illo, non censetur indirectè præceptus. Hinc fit, quod in recitatione diuini Officij, licet inuertatur ordo horarum, non violatur præceptum obligans.

obligans ad lectionem earum: quia ordo non cadit sub præcepto, & sine illo potest substantia rei præceptæ poni. Similiter in ieiunio substantia obseruatur, si semel comedas, licet collationem manè sumas, & nocte cœnes, vel è contra; quia esse prius prandium vel collationem est modus sine quo datur substantia ieiunij.

Hoc posito controuersiam ponit Caramuel, in qua non semel sibi proposita à Germanis, difficultatem sensisse, & ridendo respondisse ait. Nunc autem seriò, sed non ferò, reponit: quoniam, licet aliquibus facilis videatur, aliis videtur difficillima: & horum discursum obiicit, qui est talis. Qui satisfacit præcepto quoad substantiam, tametsi non satisfaciat quoad modum, accidentalem, vt summum, peccat venialiter, non mortaliter; hæc ob rem, qui lecturus de feria, legit de sancto, non peccat mortaliter; quia officium de feria & de sancto conueniunt in substantia Officij diuini, & tantummodo differt accidentaliter. Ergo, qui in die Sabbati in Hispania carnes comedit ad summum peccabit venialiter. Vt vim consequentiæ percalleat Lector, mores Hispaniæ proponit. Matrivi die Sabbati non carnes sed pinguedinem dicunt comedi posse, & nomine *pinguedinis* intelligunt caput, collum, armos, pedes, caudam, & quia termini à nullo Geometra sunt circumscripti, ita collum solet per spinam dorsii descendere, ita ascendere cauda, vt vel cognationem, vel saltem affinitatem contraxisse videantur. His addunt interiora omnia sanguinem, intestina, cor, lienem, iecur, & renes. Quæ omnia non carnem, sed carnis spolia dicunt. His positis (inquit) volunt doceri Germani, an armi à femine, &c. differant accidentaliter, an substantialiter: substantialiter ostendi non potest, ergo accidentaliter: ergo qui potens armos comedere, comedit femina satisfacit præcepto quoad substantiam, & violauit quoad modum: ergo vel iste non peccauit mortaliter, vel violare præceptum quoad modum, vel accidens, est peccatum mortale.

23.

*An Hispanis  
liceat Sab-  
bato comede-  
re carnes, ut  
licet carnis  
spolia siue  
pinguedinē.*

*Argumentū  
pro parte af-  
firmatiua ex  
Caram. Ger-  
manis forte.*

24.

*Pro eadem  
parte argue-  
bat olim au-  
thor.*

Fateor ferè mihi idem contigisse: nam aliquando, ridens proponebam dubium amicis, & suspicabar non defuturum, qui hæc aliquando scriberet, & doceret: & postea vidi dubium meum seriò scriptis mandatum apud Caramuel. Ego arguebam sic. Posito quod consuetudo introduxit, vt in regnis Castellæ pos-

sint comedi in die Sabbati carnis spolia , probo posse comedi femina &c. Nam sicut cōsuetudo introduxit fieri collatiunculam in die ieiunij ita consuetudo introduxit , vt caput comedatur in Sabbato : at ex suppositione introductionis consuetudinis quoad collatiunculam DD. dicunt non violari ieiunium , licet comedantur res specie distinctæ ab illis quæ primitus introductæ sunt: ergo à fortiori cum caro feminis non distinguatur specie à carne capitis & dorfi , qui potest comedere caput , poterit absque violatione præcepti comedere femina.

Si respondebant mihi consuetudinem introduxisse contra legem , vt comederetur caput & cauda & non femina , ideoque strictè esse interpretandam. Replicabam, etiam consuetudinem contra legem ieiunij esse strictè interpretandam : & tamen ex suppositione introductionis refectiunculæ , quoad substantiam non censetur diuersitas materiæ contra ieiunium : ergo similiter cum consuetudo quoad substantiam sit contra præceptum, qui comedit femina potens comedere caput, nō excedit à consuetudine in substantia; & vrgeo amplius consuetudo nō potest obligare magis quàm præceptum: at præceptū non violatur ex violatione modi, si obseruetur quoad substantiam : ergo eodem modo obseruatur , seu non violatur consuetudo : ergo qui potens ex consuetudine comedere caput, comedit femina, conformatur consuetudini quoad substantiam : nam præceptum quoad substantiam est non comedere carnes , & iste ex consuetudine comedens caput, quod est vera caro , non violat præceptum : vnde comedens femina non facit actionem quoad substantiam contra præceptum, sed quoad modum : solū enim modaliter distinguuntur caput & femina : & per consequens non peccat.

25.  
*Resoluitur  
negatiuè dif-  
ficultas pro-  
posita n. 22.*

His tamen non obstantibus sentio violasse præceptum abstinentiæ carniū , qui die Sabbati comedit femina , licet consuetudo introduxerit quod comedantur caput , pedes , cauda , &c. quæ dicuntur spolia & nihil amplius : vnde qui comederet femina violaret præceptum ; & ratio fundamentalis deducitur ex eo, quod licet caput v. g. & femina non distinguantur specie substantiali, distinguuntur tamen specie accidentali, habent enim diuersam dispositionē specie, licet in substantia neque ratione materiæ, neque ratione formæ distinguantur: cū materia interdicta (ex doctrina

na Caram.)habet accidentia, si ista specialiter prohibetur, trāse-  
runt peccatū in aliam speciē accidentalem, & possunt terminare  
diuerſa præcepta prout accidentaliter distincta. Vnde potest fieri  
quod vna pars eiusdem animalis, prout ab alia distinguitur acci-  
dentaliter, prohibeatur: & tunc non poterit comedi pars prohi-  
bita, & poterit comedi pars, quæ non est interdicta. Potest re-  
manere lex respectu capitis in suo vigore, licet consuetudo intro-  
duxerit comedere spolia, sicut poterat lex prohibere comedere  
illa, & non prohibere spolia.

*Distinctio  
accidentalium  
sufficit, ut  
vna pars sit  
præcepta &  
non altera.*

Habemus exempla in sacra Scriptura: nam 1. Exod. 12. præci-  
piebatur ad Pascham præparari agnus absque macula, anniculus,  
& nihil ex eo comedi crudum, nec coctum aquâ, sed tantum  
assum igni. Agnus cum macula, & biennis solum accidentaliter  
differt ab agno sine macula & anniculo. Item caro assa igni, à  
cocta, aquâ, solum differt accidentaliter: & proculdubio teme-  
raret legem, qui agnum offerret cum macula, non anniculum,  
& qui comederet de illo aliquid coctum aquâ; & vnde hoc?  
Quia præceptum habebat pro materia illam accidentalem dif-  
ferentiam. Sic etiam Num. 19. Vacca triennis & ruffa præci-  
piebatur offerri, & præceptum pro obiecto habebat illam acciden-  
talem differentiam. Leuit 7. prohibebatur comestio sanguinis, &  
caro victimæ, primo & secundo die permittebatur ad cibum;  
arcebatur die tertio: & iterum prohibetur sanguinis manducatio  
cuiuscumque animalis Leuit. 17. & Deuteron. 12 & 1. Reg. 14.  
& Act. 15. suffocatio etiam prohibetur & morticinium; & sic  
armus seruatus est Sauli 1. Reg. 9. & prohibitus aliis, pectusculum  
sacerdoti Leuit. 7. Exod. 29. ergo quando præceptum habet pro  
materia, non substantiam, sed ipsam accidentalem differen-  
tiam partis animalis, qui violat præceptum in hoc violat præ-  
ceptum quoad substantiam, ex parte præcepti; quoad accidens ve-  
rò ex parte rei præceptæ: sic similiter ergo discurrendum est in  
consuetudine.

26.

Hinc facillè respondetur ad argumentum à Caramuele, propo-  
situm, & dissoluitur reposita difficultas. Nam cum præceptum  
abstinendi à carnibus, prohibeat comestionem omnium par-  
tium animalis, qui quamlibet partem manducat, præceptum teme-  
merat; vnde consuetudo, quæ contra hanc legem præscripsit, vel

27.

*Soluitur ar-  
gumentum  
Caram. ibid.  
propositum.*

permissio superioris ex causa concedens comedere hanc partem animalis, reliquit in suo robore præceptum quoad alias partes. Quod patet ex eo quod si prohiberet comedi caput animalis, posset comedi pes & femur aut femur & non caput ut ex locis suis patet: Ergo cum indultum contra præceptum non sit generale solumque concedat caput & pedes, vel quando consuetudo introducta est quoad pedes, non se potest extendere quoad femora: non enim potest habere maiorem vim consuetudo, quam præceptum: ergo si quando esset præceptum comedendi caput non posset comedi pes, ut patet ex citato loco ubi prohibebantur comedi sanguis vel iecur, & non aliae partes, sequitur quod consuetudo relinquit præceptum in suo robore quoad alias partes, quia solum quoad hanc vel illam introducta est.

28.

Satisfacit  
argumento  
authoris ex  
n. 23.

Argumentum quod ego faciebam à paritate de refectiuncula. R. I. quod consuetudo non introduxit refectiunculam in vna materia magis quam in alia iuxta sententiam DD. qui afferunt non consistere in qualitate cibi, sed in quantitate: unde non respexit materias prout inter se distinctas, sed prout conducunt ad sumendum illud brevis ientaculum. Secundò, in sententia DD. qui dicunt non solum consistere in quantitate, sed etiam in qualitate cibi, consequenter dicendum est peccare illos, qui materias specie distinctas ab illis quæ communiter adhiberi solent, ad refectiunculam sumere audent; ex quo confirmatur nostra resolutio.

## §. III.

## De actionibus externis indirectè prohibitis.

29.

Actus externi  
requisiti  
ad implendum  
actum externum  
præceptum, etiam  
cadunt sub  
præcepto.

SI actus interni, qui conducunt ad implenda præcepta actuum externorum, censentur indirectè prohibiti, prohibito actu externo, ad quem conducunt: à fortiori intelliguntur prohibiti actus externi requisiti ad implendum præceptum in materia externa. Hoc certum est, & tamen cum venit ad casus particulares, variant DD. & vis inuenitur, qui non videatur claudicare, cum in vno casu resoluat affirmatiuè, in alio negatiuè: & cum venit ad dandam disparitatem, sistunt perplexi. Ponam

aliquos

aliquos casus similes, in quibus videtur dari dissimilis resolutio.

Inquirunt DD. an qui habet officium, cum quo impossibile sit recitatio diuini Officij, ad quod, ex beneficio, vel ordine, vel statu, tenetur, excusetur à recitatione? Diana cum Trullench. Et aliis his verbis negat: *Obligatus ad recitandum non potest voluntariè suscipere aliud munus officiumve, cuius executio impossibile sit cum recitatione horarum: modò non adsit necessitas illud suscipiendi*: Et licet Diana dicat contrarium sentire Caram. meo tamen iudicio id ille non docuit absolute, vt ipse probat satis benè fund. 53. Imò supponit casum esse impossibilem: nam ipse ponit medium ad diuinum Officium recitandum facilem, etiam his qui negotiis obruuntur. in Reg. Benedic. n. 140. sed datâ hypothesi, quòd scilicet detur officium impossibile cum recitatione officij, ponit hanc paritatem Caram. loc. cit. §. 1. An quis possit vltro admittere officium quod cum ieiunio Ecclesiastico stare non possit? Et, ait, cur ad hunc casum non debent respondere Diana & Trullench eodem modo quo ad illud de Officio diuino? Scilicet obligatus ad ieiunium non potest suscipere aliud munus, officiumve voluntariè quod impossibile sit cum ieiunio, modò non adsit necessitas illud suscipiendi.

Secundò dubitant, an aliquis vt fugiat obligationem legendi horas canonicas, possit quærere & vltro assumere occupationem, quæ impossibile sit cum lectione canonica. Ad quam negatiuè respondet Diana. Sed redarguitur à Caramuele. Nam 1. p. tract. 9. resol. 19. inquit an aliquis vt effugiat obligationem præcepti, possit transire in alium locum propinquum, vt non ieiunet, si ieiunetur in suo? & benignè respondet tutam esse sententiam affirmantem. Cur ergo, vt effugiat quis horarum Canonicarum lectionem obligatoriam, non potest transire ad aliud officium cum illa incompatible? Virgeo ego, sit lectio horarum non obligaret in alio loco, possem ego transire ad alium locum. Ergo si lectio horarum non obligat in hoc officio, possum ad hoc officium transire: videtur difficilis inueniri disparitas.

Resolut. 4. iterum interrogat Diana, an defessus ex labore

30.

*Obligatus ad horas canonicas non quit officium cum illis impossibile acceptare.*

*Varia dubia Caram.*

*Num idem de obligato ad ieiunium?*

31.

*Potest quis vt fugiat obligationem præcepti irasci ad locum ubi non seruatur ieiunium. Et cur non id officium ubi nequit recitare?*

32.

*Defessus ex labore etiam illicito non teneatur ieiunare, sed an teneatur recitare?*

sumpto ob recreationem, v. g. ex ludo pilæ, vel ob quærendam concubinam, teneatur ad ieiunium? & cum Medina & Ledesma respondet non teneri ad relinquendam illam recreationem ad seruandum ieiunium, legit Caram. Et infert: ergo eodem modo, si defatigetur ex istis recreationibus taliter, vt non possit recitare non tenebitur illas omittere, sed potius poterit omittere lectionem horarum.

33.

*Defessus ex labore etiam voluntariè sumpto non teneatur ieiunare, cur ergo tenebitur recitare?*

Addit resol. 52. an excusetur à ieiunio qui labore aliquo defatigatur, quamuis illum in alium diem commodè transferre possit? & etiam si datâ operâ, vt non ieiunet hoc ageret? Inquit Caramuel, an excusetur ab horarum lectione, qui sumpsit occupationem impossibilem, quamuis illam in alium diem commodè transferre possit? Et quid, si datâ operâ, vt non recitaret, illam assumeret? Et putat Caramuel ad vtrumque eodem modo responderi debere.

34.

*Authoris dubia an quis possit & non audiat sacrâ occupationem voluntariè quarere?*

Liceat mihi etiam inquirere, an obligatus ad audiendum sacrum, possit assumere occupationem impossibilem cum auditione sacri quamuis illam in alium diem commodè differre possit: Et quid si datâ operâ, vt non audiat, illam assumat.

35.

*An quis vt recitet sine breuiario nauim ascendere possit?*

Secundò an obligatus ad recitandum Officium diuinum possit ascendere nauim sine breuiario, neque diurno, licet illa commodè asserre possit? Et quid, si datâ operâ, vt non recitet sequentibus diebus, id faciat, quia iam recitauerat totum officium eodie quo nauim ascendit.

36.

*An teneamur non accipere officium ex quo sequitur occisio proximi.*

Tertiò an obligatus ad non occidendum teneatur non accipere officium, ex quo sequitur occisio proximi, vel possit se ponere in eo statu, in quo proximi mors sequatur. V. g. si sciat se, cum ebrius est, aliquem occidere, possit bibere vsque ad ebrietatem.

37.

*Nemo obligatus ad aliquid ex præcepto valet accipere opus cum illo impossibile sine causa.*

Ego quidem non dubito iuxta eandem regulam, casus illos esse regulandos, non tamen eodem modo resoluendos. Nam si omnes affirmatiuè, nimis rigida essent Ecclesiæ præcepta, si verò negatiuè laxarentur nimis. Itaque hæc regula, nemo obligatus ad opus ex præcepto, potest sine causa suscipere officium, vel opus facere incòpossibile, cum præcepti adimpletione, firma & fixa esse debet. Nam eo ipso quo aliquid præcipitur, præcipitur

id sine quo præceptum illud stare non potest. Ex illa tamen regula optimè hæc infertur consequentia: Ergo obligatus ad aliquod opus ex præcepto potest ex causa assumere officium incompatible cum talis præcepti adimpletione: est evidens. Sed quia leuis causa in moralibus mutat casum, & regulæ applicatione: hinc orta est diuersitas, & varietas resolutionum, existimantibus aliquibus vnã causã, quæ sufficit ad vnus præcepti excusationem, sufficere ad aliam, vel non sufficere, ex vario diuersorum ingeniorum modo intelligendi. Stet ergo illa regula firma: Nemo potest sine causa, potest verò cum illa assumere opus incompatible cum præcepto. Ex qua facilè dissoluentur casus propositi à Diana, & à Caram. impugnatae resolutiones Dianæ.

Vnde sequitur primo, posse aliquem transire ad alium locum, vt effugiat obligationem ieiunij si ieiunetur in suo: nõ verò posse transire ad officium, vt non recitet: quia ad primum habet causã, non verò ad secundũ. Causa ad primum, est ius, quod vnusquisque habet transeundi de vno loco in alium, quod non tollitur ex vi præcepti localis. Præceptum ieiunij in casu proposito est locale, non personale, & solùm obligat ad ieiunandum ex suppositione, quòd quis existat in tali loco, non autem obligat ad existendum in tali loco, redderetur enim personale: vnde remanet quis in sua libertate & iure eundi in hunc vel illum locum; & neque ex intentione præcepti neque ex iurisdictione indicentis ieiuniũ, obligatur: quia neque intentio fertur ad alium locum, neque iurisdictionis potest extendi ad locum ibi non est superior qui legem tulit in alio loco. At ille qui habet obligationem recitandi non habet ius ad tale officium incompatible assumendum: est enim præceptum personale, & in quocumque officio ligatur illo, nisi necessitas obligaret illum ad tale officium assumendum: & hæc est differentia quare non possit vtrò assumere officium, possit tamen vtrò ire ad locum, vbi non obligat ieiunium. Quod si præceptum recitandi esset locale, & tantùm obligaret in vno loco, non dubito posse etiam eodem modo discurre à Diana, & Trulench quo respondet ad instantiam à me factam num. 27.

Ad illud de defessio ex labore sumpto ob recreatione, &c etiam debet eodem modo responderi ad vtrumque casum: nam si talis esset defatigatio, quæ tolleret vires ad legendum, nulla esset ma-

bend tamen  
cum illa.

38.  
Resoluntur  
dubia supra  
posita ex n.  
28. & 29.

39.  
Ad dubium  
ex n. 33.

ior ratio ; sed quia defatigatio ex labore præcisè sumpta , cum ieiunio opponitur , non cum recitatione , ideò affirmatiuè de ieiunio , negatiuè verò de lectione horarum dixerunt Doctores.

40.  
Ex n. 34.

Ad illud de eo , qui labore aliquo defatigatur , quamuis illum in alium diem transferre possit : dato etiam quod eodem labore defatigaretur ita vt recitare non possit , sicut non tenetur ad illum laborem transferendum ex vi præcepti ieiunij , non teneretur ex vi præcepti lectionis horarum : At ex labore non potest sumi paritas ad omne officium : & ita illa consequentia absolutè non est admittenda Nam semper dicendum est , si ad tale officium habeat causam , vel ius , sicut ad laborem , ex quo fatigatur . v. g. non teneri ad recitandum Officium diuinum qui tenetur ad lectionem publicam viginti quatuor horarum ex concursu , sicut etiam non tenetur ad ieiunium : neque est dubium posse eligere diem ieiunij , & diem , in quo aliunde tenetur ad lectionem diuini Officij : & sicut ex vno præcepto non tenetur ad mutandum diem lectionis publicæ , ita neque tenetur ex alio , sed ab vtroque deobligatur Et ratio est quia causa , quæ illum excusat à recitatione non censetur præcepto comprehensa , quia est maioris boni . Similiter agricolæ & officialis ratione laboris non tenentur ieiunare & possunt ea officia assumere tum quia talia officia sunt de necessitate Reip. tum quia ipsi ea assumunt vt viuere & ali possint quod ius non tollit ieiunij præceptum , quia est ius naturale.

41.  
Ad diu. ex  
235.

Vnde ad instantiam de auditione sacri iam dictum est : nam si ob eandem rationem , non potest audire sacrum , non tenetur quia sicut ad lectionem diuini Officij non tenetur , ita neque ad auditionem sacri in illo casu , v. g. si quis vt assistat infirmo , non audit sacrum , non est dubium non peccare contra præceptum , etsi quærat occasionem assistendi infirmo sine dolo.

42.  
De breuiario.  
210.

Ad illud de breuiario relinquendo , etiam affirmatiuè respondendum est ex illa regula : nam datâ hypothesi , quòd daretur causa relinquendi breuiarium , posset illud relinqui . At quia non potest assignari causa , & illud est medium connexum , non potest liberè vti illo iure : Nam breuiarium non est suum absolute loquendo , sed ad recitandum ; at dato casu quod habeat causam , v. g. si non haberet vnde aleretur , nec aliud , quod venderet , nisi breuiarium , posset quidem illud vendere , & tunc


non teneretur ad officium legendum, quia carebat breuiario ex causa vincente præceptum.

Tandem eodem modo respondendum est ad vltimum casum: nam absolute loquendo, nemo potest assumere officium, ex quo sequitur homicidium, nec ponere se in eo statu, ex quo homicidium sequeretur: at si detur causa, quis dubitat posse? nam ideò iudex, ideò Notarius, ideo carnifex, non peccat assumendo tale officium ex quo certum est sequi homicidia, quia habent causam nempe reipublicæ bonum, & propriam sustentationem. Et ille qui fugit inimicos, vt euadat mortem, potest in via innocentem conculcare, si alias non potest euadere, licet sequatur illius mors, quia non vult tunc directè mortem innocentis, sed propriam defensionem.

43.  
De homicidio  
& aliis.

Relinquitur ergo in suo robore illa regula generalis, quod nemo potest assumere officium impossibile cum præcepto, quo tenetur, voluntariè, & sine causa: cum ea tamen posse. Causam tamen debere esse proportionatam, & ralem, vt vim vincat præcepti. Et sic concordati manent Caramuel & Diana.

44.



QVÆSTIO VIII.

*An, quomodo, aut quando, cessante fine legis, cessare legem censendum sit.*

**I**N hac quæstione tres inuenio sententias, quæ dum inter se maximè discordare videntur, videntur mihi mirabiliter concordari. Prima sententia absolute tenet, cessante fine legis, siue in communi siue in particulari, cessare legem siue in communi, siue in particulari. Hæc est grauissimorum Theologorum & iuxta illam multos resoluit probabiliter casus Diana, & ratio videtur efficax, & indissolubilis: nam lex sine fine nulla est, si quidem finis ratio est formalis legis: at nihil potest consistere, aut viuere sine sua ratione formali: ergo quomodocumque, & quandocumque cesset finis legis, lex subsistere non potest, neque obligare. Maior ab omnibus admittitur, & est manifesta:

I.  
Legem cessare sublatò fine siue in particulari, siue in communi, docent graues Theologi.

Quia finis est ratio formalis legis.

Y nam

nam lex est actus agentis rationalis, agens autem rationale operatur propter finem: ergo si legi desit finis, non erit actus rationalis, ac proinde neque lex. Quæ ratio eandem vim habet, siue deficiat finis in communi, siue in particulari casu: nam quod est essenziale alicui rei, non est magis essenziale in vno particulari, quàm in communi. Vnde Caramuel ita certum hoc supponit, vt se nihil in contrarium audiuisse, quod solutione indigeat, fateatur.

2. *Ideò alij sentiunt, si finis cesset in communi, secus si in casu particulari.* Secunda sententia tenet non cessare legem, quòd cesset finis in casu particulari; cessare verò, quando cessat in communi: & reddunt rationem; quòd finis, qui est ratio formalis legis, non respicit bonum vnius vel alterius, sed bonum commune. Quæ sententia potest fulciri autoritate Angel. Doct. 2. 2. quæst. 154. art. in corp. vbi ita habet. *Quod cadit sub legis determinatione, non iudicatur secundum id, quod in aliquo casu potest contingere, sed secundum id, quod communiter accidere solet.* Quibus verbis satis clarè ostendi posse videtur, quòd finis, qui legem constituit, vt aliquid prohibeat non consideratur secundum aliquem casum particularem, sed secundum quod communiter accidit: Vnde licet accidat, quod in aliquo casu particulari finis cesset, non ideò cessat lex: cuius determinatio non consideratur secundum aliquem casum particularem.

3. *Quod cadit sub legis consideratione iudicatur etiam quandoque secundum id quod in casu particulari contingit, si finis legis cesset contrariè. Quando finis legis cesset contrariè.* Sed hæc sententia redarguitur, quia hæc regula non potest ita generaliter omnibus casibus adaptari: Nam quando finis legis cessat contrariè, adhuc in aliquo casu particulari, tunc etiam cessat lex pro illo casu particulari: Ergo id quod cadit sub legis determinatione, etiam iudicatur aliquando secundum id quod contingit in aliquo casu particulari: Anteced probatur, nam tunc dicitur cessare finis contrariè, quando id quod præcipitur aliquâ lege redditur ratione alicuius circumstantiæ illicitum. v. g. teneor audire sacrum, sed occurrit casus, quo infirmus periclitatur, nisi assistam; tunc illa actio audiendi sacrum redditur illicita, & dicitur cessare finem illius legis contrariè, at hoc est verum in casu particulari: Ergo quando cessat finis pro aliquo casu particulari, cessat lex pro illo casu particulari.

4. Deinde adhuc remanet difficultas: nam non reddit ista sententia, disparitatè cur non sufficiat ad cessationem legis, quòd finis

nis cesset negatiuè in casu particulari, & sufficiat quòd cesset contrariè. Licèt enim quando contrariè cessat, reddat illicitum opus præceptum, non verò quando cessat negatiuè; at sicut ad cessationem legis in communi, non requiritur quòd ratio legis cesset contrariè, sed sufficit quòd cesset negatiuè; cur ad casum particularem non debet sufficere, quòd finis cesset negatiuè, sed requiratur, quòd contrariè cesset Vnde relinquitur in suo robore dubium cum ratione supra posita; maximè, cum supponat finem constituentem legem esse bonum in communi & vt sic non cessare.

Vnde tertia sententia docet finem esse duplicem, intrinsecum, & extrinsecum: cessante in casu particulari fine intrinseco, legem etiam in casu ipso cessare; si verò cesset finis extrinsecus in casu particulari, non cessare legem, quia adhuc remanet finis intrinsecus. Vocat hæc sententia finem intrinsecum, quando Legislatur ex bonitate alicuius actionis ex se bonæ, mouetur ad illam præcipiendam; vt cum quis ex motiuo castitatis prohibet tactus inhonestos: extrinsecus verò finis, quando quis aliquam actionem indifferentem præcipit ex motiuo imperato alterius virtutis, v. g. si quis superior prohibeat fratres exire domo, ne videant mulieres inhonestè vestitas Quæ lex habet pro fine extrinseco castitatem, quam habet altera pro fine intrinseco: igitur quando cessat, in hac sententia, finis intrinsecus in casu particulari, aiunt cessare legem; secus verò quando cessat finis extrinsecus.

Sed hæc etiam redarguitur: nam vel supponit legem præcipere aliquem actum ex duplici fine, vel ex vno tantum, aliquando intrinseco, aliquando extrinseco: si supponat habere duplicem finem intrinsecum, & extrinsecum, cessante extrinseco, non cessat lex, quia non cessat intrinsecus, qui est fortior, vt subsistat lex: Et quando duæ causæ ex se totales concurrunt ad aliquem effectum, etiam cessante vnâ, si perseueret alterius concursus, non cessat effectus. Si verò tantum adsit finis intrinsecus, etiam in casu particulari, eo cessante, cessat lex: vnde si solum finis extrinsecus esset motiuum, nescio quomodo defendi possit, legem tunc non cessare, nam finis extrinsecus eo casu non potest esse magis forma legis, quàm intrinsecus: at intrinseco cessante,

5.

*Alij cessante fine intrinseco legem cessare aiunt; non item si finis cesset extrinsecus. Finis extrinsecus, & intrinsecus quid sint iuxta hos DD.*

6.

*Impugnatur hac tertia sententia.*

cessat lex, quando non est extrinsecus; ergo cessante extrinsecò cessabit lex, quando non adest finis intrinsecus: & quis dicet, quod si lex superioris prohibet subditis exire ad fenestras, ne videant mulieres, si quis noctu, & clausis oculis, ad fenestram exiret, peccare contra illam legem, & in hoc casu non intrare epicheiam, sicut in illo, quando finis intrinsecus cessat negatiuè.

7.

In quo conueniant, in quo discriminatur præfata sententia.

Ex dictis patet, quâ ratione prædictæ sententiæ inter se necessario conueniunt in hoc principio: Quòd cessante fine, qui est ratio formalis legis, cessat lex. Et solum discordare in hoc, quod secunda docet, finem, qui est ratio formalis, esse finem communem, qui quatenus bonum commune est adhuc pro illo casu particulari non cessat, licet in illo videatur cessare, pro bono particulari, & in hoc sensu intelligi potest S. Th. loc. cit. ibi enim agebat de malitia speciali simplicis fornicationis, quam aiebat consistere in hoc, quòd sit cõcubitus vagus, utpote extra matrimoniũ existens, & contra bonum prolis educandæ: *Cui non obstat, si aliquis fornicando, aliam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione, quia id, quod cadit sub legis determinatione, &c.* Quibus verbis vult S. Thom. dicere, quod illud bonum commune, quod respicit lex prohibens concubitum vagum, non cessat, ex eo quod in casu aliquo particulari provideatur proli, atque adedò, in eo casu legem obligare; quia non cessat finis legem constituens, quod est bonum commune. Tertia verò, finem legis solum esse intrinsecum, non verò extrinsecum, sed hæc sibi non constat: nam potest contingere, quod non detur alius finis, nisi ille extrinsecus: & tunc ille finis erit ratio formalis.

8.

Lex cessante fine eius forma perpetuò cessat, legislatoris inter est finem istũ præfigere, cõmune, aut particulare bonum, cum de hoc constet, actum eris de dubio.

Ex quibus tribus sententiis ego hanc formo thesim. Quod quando cessat ille finis, qui est ratio formalis legis, lex necessario cessare debet & hoc etiam in casu particulari, iuxta rationem in principio positam, quam à nulla ex propositis sententiis infringi vidimus. Sed quia est in voluntate legislatoris hanc legem pro fine habere bonum commune; aliquando verò bonum particulare; vel finem intrinsecum aut extrinsecum, aut vtrumque: & hoc non semper declarant, sed relinquunt mentis suæ explicationem non quibuslibet sed viris doctis iuxta principia iuris, & Theologiæ, hinc oritur diuersitas resolutionum in multis casibus

casibus, qui videntur esse similes; quod ut oculis ipsis cerni possit, sequentes casus discutimus

§. I.

*De librorum prohibitorum lectione.*

**D** Vbitat Diana part. 6. tract. 6. resol. 49. an quis legere possit libros prohibitos, si sciat certò nullum illos nocumentum sibi illaturos. Et negatiuè respondet, quia existimat non cessare finem adæquatam legis prohibentis lectionem illorum librorum: Nam finis non solùm est, ne ex illorum librorum lectione nocumentum patiantur lectores, sed etiam authorum eorum pœnam, ad abolendum & obscurandum eorum nomen, & ne tali honore afficiantur. Vnde quamuis cesset periculum, quod est vnus finis, non cessat totus finis: & perseverante vno fine, perseverat legis obligatio.

9.  
*Quo sine interdicitur hæreticorum librorum lectio, & non licere cessante etiam periculo, ex Diana.*

Sed non placet Caramuel. fund. 17 hæc solutio: & contra illam proponit Dianam loqui Romæ, vbi tribunal inquisitionis viget. Sed quid (inquit) dicendum in Germania, in qua à Bibliopolis Catholicis & piis publicè venduntur hæreticorum volumina, & si interrogentur cur id faciant, respondent se suos confessores consuluisse, & respondisse posse fieri, in qua quotidianæ sunt disputationes cum hæreticis, & qui nescit, quid Calvinus, Lutherus, & alij dixerint, dicitur imperitus. Vbi sæculares heterodoxi peritissimi sunt, & torquent multos Theologos eruditissimos in rebus controuersiarum: nam etsi egerint magistros in Hispania & Italia, credunt potius, quam disputant res fidei. Ex quo videtur esse distinguendam Hispaniam à Germania: & ibi non solùm licitum, sed necessarium existimat, quòd omnes Theologi sint in libris hæreticorum eruditi, & versati. Ita Caram.

10.  
*Sententiam Diana in Germania non esse tenendam, docet Caram. & quare.*

Sed hæc impugnatio, seu consideratio non euincit solutionem, aut doctrinam Dianæ, imò eam meo iudicio fortiolem reddit: Nam suppositâ veritate, vt suppono, narrationis Caram. finis legis non solùm cessat negatiuè, sed contrariè: & non solum alter, sed vterque finis & adæquatus legis cessat: nam si tam necessaria est ibi lectio librorum prohibitorum ad impugnandos hæreticos,

11.  
*Bend Caram sed non contra Dianam.*

redditur illicita priuatio legendi ; vnde cessât finis contrariè , in quo casu omnes dicent esse licitam. Non ergo impugnatur Diana, sed roboratur : cessante enim fine legis contrariè , non inficiatur cessare legem. Vnde Bibliopolæ interrogati , se consuluisse suos confessores respondent , ab ipsis accepisse id posse fieri : non tamen dicunt, id fieri posse non cessante fine legis, vel quia cesset finis legis præciso modo , quo à Diana asseritur non cessare , sed potius eo modo, quo ab omnibus admittitur legem cessare. Vnde Romæ & in Hispania , vbi talis finis non cessat , licet cesset periculum , quia remanet alter finis , remanet fortis doctrina Dianæ.

12.

*Libros Hæreticorum tantum ob periculum prohiberi, colligit Caram. ex permissiōe eorumdē Ex purgatorum.*

Transeamus cum Caramuele in Italiam aut Hispaniam. Nec verum ait esse quod dicit Diana , nec ad rem ; non verum : quia eosdem libros , si sint correctionis capaces , expurgatores corrigunt, & expurgati permittuntur immo in ipso se legisse asseuerat eum librum non esse prohibitorium sed concessorium qui libros aliàs prohibitos ratione errorum erroribus expunctis , concedebat: ergo opinione ipsius inquisitionis libri interdiciuntur ratione periculi : Nam authores , etiam si libri corrigantur, manent hæretici : ergo non in eorum odium.

13.

*Potiori titulo arcentur Authores Hæretici Grammatici aut Rhetorici, quam quæ de Theologi.*

Nec iuuat quod etiam Grammatici , & Rhetorici hæreticorum libri prohibentur. Nam in his plures errores traduntur, quam in Theologis : quia ibi exempla adducunt Hæresiarchæ ad fundandam suam doctrinam , & pueros illi imbuendum.

14.

*Librum permissum cum nota auctoris damnati in fronte, plus ipsi dedecoris inferre, quam si in totum relegatur, putat Caram.*

Addit quod dato quod illi libri prohibeantur in odiū & pœnā authorū, adhuc iudicat maiori ignominia affici librum, cui infigitur titulus : authoris damnati, quā si in totum proscribatur. Quod probat exemplis. Nam quis maiori ignominia afficitur ; ille qui conducitur per plateas ad mortem præcone eius delictum inclamante : aut ille qui occiditur, & crematur in carcere? ille qui suspensus in patibulo detinetur per aliquot dies ; aut ille qui eadem die sepelitur? ergo ( transeundo ad libros ) ille qui notatur tetrâ notâ , contemptui certiori opponetur , quàm qui in totum proscribitur. Aliàs iuxta Dianæ fundamenta deberet dici furem qui condemnatur exilio, & iubetur non comparere in toto regno, plus dedecoris sustinuisse, quàm ille qui iuberetur manere & signum publicum externum ignominie portare.

Non

Non esse ad rem probat Caramuel, quia argumento Dianæ casus tollitur: nam Diana asserit illos libros esse inductiuos in errorem; at finis legis est, vt non dentur libri inductiuos; ac quidquid sit de eo an sint inductiuos, nam respectu huius casus particularis supponitur non esse inductiuos, quòd si non supponitur, tollitur casus: nam casus erat, an adhuc cessante fine legis huius in particulari, cesset hæc lex: & postea supponit non posse cessare finem, quia non possunt non esse inductiuos tales libri.

Hæc in substantia est doctrina Caramuelis contra Dianam. Quam non esse contra S. Inquisitionis tribunal probat: quia quidquid pro foro interno quis careat tali periculo; at nullus est qui hoc possit probare in iudicio, ac per consequens semper tribunal Inquisitionis poterit contra lectorem procedere. Sicut potest procedere iudex, contra eum, qui occidit alterum, licet hoc fecerit cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia difficilè probare potest se ita processisse in illo homicidio.

Ex his satis clarè patet, quod mirabiliter conueniunt Diana & Caram. Nam vterque docet cessante fine legis cessare legem, & eo non cessante legem istam non cessare. Nam Diana, vt euadat argumentum Caramuelis, insistit in hoc, quod finis legis interdicens lectionem librorum prohibitorum est odium eorum: Caramuel contendit non esse hunc finem. Immo maiori odio profequi, seueriusque puniri si permittantur cum nota, quàm si in totum proscribantur. Sicut de fure dictum est supra, igitur in sententia Caramuel. finis cessat; in sententia Dianæ finis non cessat: ideoque ille asserit, iste negat.

Tota ergo difficultas est, an cesset vel non. Et ego, vt dicam & meum sensum pandam, vellem petere à Diana disparitatem, quâ puto soluendum dubium. Inquiri part. 5. tract. 13. resol. 22. An supposito Pontificio Decreto prohibente laicis disputationem de rebus fidei cum Hæreticis, possit laicus doctus disputare? & affirmatiuè respondet: quia cessat periculum peruersionis, quod est finis legis illius: cessante autem fine legis adhuc in casu particulari, cessat lex pro illo casu. Si autem interrogemus Dianam, cur in casu lectionis non eodem modo discurrat? dicet, quòd in casu disputationis nullum alium finem proximum, aut remotum, proposuit sibi lex, nisi periculum disputantis,

16.

*Probat se nihil S. Tribunali Inq. adimere.*

17.

*Mira Diana cum Caramuele concordia.*

18.

*Laicus doctus potest cum Hæreticis de rebus fidei differere iuxta Dianam, etiam stante Pontifici diploma in hac materia: hoc enim prohibetur disputatio solidè ob finem vitandæ periculorum.*

tis, vel audientis : at in casu lectionis, præter periculum statuit sibi lex alium finem, videlicet odio prosequi illorum auctores, eorumque nomina nullo afficere honore ; quæ videtur sufficiens disparitas.

19.

*Sed cur di-  
sputatio non  
sit etiam in  
odium hære-  
ticorum ve-  
rita, sicut le-  
ctio ? non de-  
clarat Dia-  
na.*

Sed vrgeo : cur non in odium hæreticorum sit prohibita cum illis disputatio sicut lectio ? Cur disputatio laico docto, & lectio Theologo docto non erit permessa ? nam eodem modo dici potest in ignominiam eorum, illam legem fuisse latam ; Non inuenio apud Dianam, neque apud alium, disparitatem : & quidem, si non assignetur, vel utrobique neganda, vel concedenda est consequentia.

20.

*Contextus  
legis explicat  
finem legis,  
& ab illo mēs  
legislatoru  
venit auspi-  
canda.*

*Quis compre-  
hendatur no-  
mine laici,  
dum illi pro-  
hibetur de  
rebus fidei  
disputatio ?*

Dico igitur disparitatem petendam esse à legis contextu, ex quo colligenda est mens legislatoris. Tunc enim ingreditur epicheia, quæ est interpretatio legis in hoc vel illo casu particulari, in quo rationabiliter, iudicatur legislatorem noluisse obligare, v. g. in casu proposito disputationis laici de rebus fidei dicitur non obligari laicum doctum, tum quia finis vnicus est periculum peruersionis particularis personæ quod non imminet in laico docto : tum quia nomine laici non intelligitur ibi qui laicus est ratione status, sed ratione literaturæ ; aliàs posset disputare Religiosus vel Clericus omninò illiteratus, quod non est concedendum & vtrumque colligitur ex textu vbi disputatio prohibetur.

21.

*Non placet  
Caram. do-  
ctrina, dum  
maiolem pœ-  
nam estimat  
permissionem  
eius nota,  
quam hæ-  
retici libri  
deportatio-  
nem omni-  
modam.*

Ex quibus non placet illa Caram. replica, scilicet : quod maiori pœnâ afficerentur libri hæretici si permitterentur cum nota, quàm si in totum prosciberentur. Neque exempla, quæ adducit, illum iuuant : nam in casibus moralibus, & pœnis iudicialibus, quælibet etiam leuis circumstantia illos mutat, & pœnam maiorem vel minorem reddit ; illa enim propositio : maior pœna est aliquid cum nota permittere, quàm illud ex integro tollere, falsâ est. Aliquando enim certum est esse maiorem, aliquando minorem : quod exemplis ab eodem Caram. adductis respondendo ostendam.

Maiori pœnâ afficeretur ille qui in carcere strangulatur, quàm ille qui ducitur voce præconis per mediam ciuitatem ad supplicium. Maiori ille qui diu detinetur in patibulo, quàm ille qui statim sepelitur : ergo maiori pœnâ liber qui cum nigro Theta permittitur, quam qui nullo modo : Nego consequentiam : nam

in libro non sunt cætera paria : nam prohibitio libri & permissio cum nota se habent non sicut occisio in carcere , & occisio in patibulo , sed sicut occisio aut permissio vitæ cum nota. Rogo : quis maiori pœnâ afficietur propter homicidium , qui permittitur manere viuens diu cum illa ignominia delicti perpetrati vel qui morte puniretur ( scio æstimari ab hominibus aliquando honorem præ vita ) sed iuxta leges & regulariter loquendo vita magis æstimatur quàm honor. At dicat Caramuel an sit melius viuere cum vno oculo vel brachio , quàm mori ? Certè non dicit primum : Nam Christus dixit melius est cum vno oculo in vitam intrare ; itaque permissio libri cum nota est permitti librum viuere : & quilibet author vult suum librum currere magis etiam cum nota , quàm proscribi. Quod est iuxta praxim sancti Tribunalis , nam libros , quos in totum proscribit , in prima classe ponit ; itaque prohibitio libri cum nota est maior pœna quàm permissio cum nota , vel prohibitio sola : sicut occisio cum voce præconis , vel sola & occulta. Similiter qui suspensus est & statim deponitur , minori pœnâ afficitur quàm qui detinetur in patibulo per aliquot dies ; quia habet duo mala , esse suspensum , & esse per aliquot dies in patibulo. Aliàs dicendum est iuxta sententiam Caram. magis puniri furem qui præcone inclamante vapular , quàm fur qui in carcere occiditur etiam occultè. Quod verum non est : nam vita est magis æstimabilis & semel adempta recuperari non potest ; fama verò potest. Ex quo patet solutio ad exemplum de fure : nam qui vt fur pellitur exilio , habet pœnam furis , & minùs notam ; ille autem qui habet etiam notam , habet vtrumque.

Relinquitur ergo certum debere esse ex illo principio quod cessante fine legis prohibentis librorum lectionem , debere cessare legem adhuc in casu particulari non secus ac disputationis lex cessat quia cessat finis. Sed non cessare finem in casu lectionis sicut in casu disputationis , quia præter finem peruersionis legentis , prohibentur in odium authorum , ideòque solùm illos legi posse qui cum nota permittuntur , non verò qui proscribuntur in totum ; nisi adsit superiorum licentia cum qua permitti in Germania credendum est.

## §. II.

## De carniū abstinentia.

22. *Quidā apud Caram. ie iunia in abstinentiam suis argutiis recusantes, ipsi non displicēt.*

**I**eiunia & carniū abstinentia eo fine sunt instituta, vt mortificetur, maceretur, & in seruitutem redigatur caro. Petrus ergo vir robustus nullam mortificationem sentit, nullam incommoditatem, nullam vtilitatem percipit spirituales in abstinentia carniū: & in summa asserit hanc abstinentiam leuiter conducere ad finem, quem tenet Ecclesia; ipse enim libenter piscibus, potiū quā carnibus vescitur, & putat solū obligari venialiter, ad non vescendum carnibus, quia, qui omittit medium leuiter conducens, ad finem legis, non grauer, sed leuiter peccat. Sic philosophatur Petrus. Sed multo exorbitantius Fridericus; Magis ardet luxuria piscium, quā carniū comestione: Venus enim è mari oriri dicitur, & ardet luxuria in vndis: Carnes suauioris nutrimenti sunt, nec alterant ita lasciuos humores sicut pisces: ergo finis, quem tenet Ecclesia, cessare videtur contrariè: at cessante fine legis cessat lex; ergo nemo tenebitur comedere pisces, sic Paulus, aut Fridericus. Et etiam (inquit Caramuel) si assumpta vera sint, discere volo, cur non sint veræ consequentiæ: quod si illa falsa iudices, doceri volo an habeas aliquam demonstrationem, quā possis clarissimè ostendere nunquam lasciuos humores piscium comestione irritare. Ita ille, & ego non possum non admirari viri ingenium, qui sic sibi & aliis obiicere sciens, vel soluere nescit, vel non vult.

*Quos tamen redarguit ipsorum discursus.*

Sed ex ipso discursu Caramuelis, patet malè discurrisse Petrum & Fridericum: Nam si verum est quod Caramuel, asserit, scilicet cibos pisces, humores lasciuos irritare; ex hoc posito sequitur non posse dici finem legis ieiunij esse ad cohibendas has irritationes, nec ad redigendam carnem in seruitutem spiritus: ac per consequens falsum esse assumptum, nempe finem cessare: quomodo enim Christus Dominus, & Apostoli ab ipso edocti, habentes pro fine carnis macerationem, præciperent comedere cibos carnem magis commouentes, & insultantes illam contra spiritum? Deinde cum negari non possit Christum Dominum,

&

& Apostolos, ac Pontifices scire, carnem macerari, potius quàm foueri ieiunio; ex facto Christi, satis euidenter constat illos cibos hunc effectum producere: & potius esse discurrendum in Petro & Friderico, si cibi piscei irritant, vt quatuor, cibos carnales irritaturos vt octo: atque adeò neque cessare finem.

Quòd si velis adhuc vrgerè in his hominibus experientiã aliud manifestare; dicendum est ex dictis, ex hoc non deobligari ieiunio, quia per accidens se habet: & finis non est solum ille quem tu assignas sed cultus Sanctorum, in quorum memoriam, talia inducuntur ieiunia. Petrumque & Fridericum habere Dei gratiam, quibus possint resistere carnis pruritui vel petulantia.

*Finis ieiunij non sola carnis coercitio, sed etiã Dei & Sanctorũ cultus.*

Sed dices adhuc: Magis sunt necessaria ieiunia, & abstinentiã ad vitam Religiosam seu Monasticam, quam ad vitam Christianam: at in multis Ordinibus ieiunia regularia creduntur esse res parui momenti, & solum obligare ad veniale: ergo à fortiori de Ecclesiasticis dicendum est. Respondeo distinguendo minorem in ordinibus vbi præcepta sunt, nego: vbi præcepta non sunt, sed consulta, transeat. Vel sic: vbi statuta sunt sine aliqua vel graui obligatione, concedo, vbi præcepta sunt cum illa, nego. Nam superiores posse in re graui leuiter aut nulliter obligare, mihi certissimum est. Quod si vis contrarium esse certum, neque posse superiorem in re graui leuiter obligare, aut in re leui grauius, argumentum multò minùs vrget nos, quàm arguentem: Nam ieiunium vnius diei non potest dici materia leuis secundum se; non enim est minus ieiunare, quàm audire semel sacrum, aut Officium diuinum recitare semel, aut abstinentia ab operibus seruilibus: at hæc omnia grauius sunt, ergo. Nam rogo an ieiunia in Religionibus sint præcepta, vel non? Si primum: ergo non possunt parua æstimari. Si secundum? ergo nulla ratione sunt bona neque mala in tua sententia: ergo te ipsam impugnat Petri argumentum.

*Ieiunium vnius diei nequit dici materia leuis secundum se.*

## §. III.

## De Matrimonio clandestino.

23. *Matrimonium clandestinum ubique prohibuit, quod enim periculum non ostendit, interdicitur ne viâ sternat periculo cæterorum.*

**I**Nsuper posset quis dicere, etiam vbi Concil. Trident. viget illicitum esse aliquando Matrimonium clandestinum: nam cessare potest finis legis illud irritantis, nempe periculum ne quis duas ducat, vnam cum qua clam contrahat, aliam cum qua concubinaliter viuat: sed hoc quis audebit dicere? ergo signum est quod etiam si in casu particulari, ille finis videatur cessare, non tamen cessat finis legis, qui non est vitare damnum illius particularis Matrimonij, sed omnium, ita vt in nullo detur talis occasio: ad quod omnia prohibuit, vt omnis aditus vel minimum periculum occludatur: & iudicauit Ecclesia quod via ad hoc damnum euitandum est adhibere Parochum, & testes in omnibus Matrimonijs, etiam in his, vbi non adest periculum; sicut ad custodiendam domum, non solum, quando periculum latens imminet, sed vbi & quando non imminet, adhibetur custodia, portæ clauduntur, aliæq; fiunt diligentia: quia finis vitandi latrones, etiam quando non sunt latrones est in corde Patrisfamilias. Vnde similiter finis euitandi damna, quæ ex Matrimonijs clandestinis eueniebant, est in Matre Ecclesia, etiam si in aliquo Matrimonio illa hîc, & nunc, inconuenientia non appareant: timeri enim potuerunt pro alijs; & quia Ecclesia (cuius iudicio standum est) censuit posse dari casum, in quo maiora inconuenientia suboriantur ex publicatione monitionum, facultatem concessit Episcopis, vt in eis iusta de causa dispensare possint: Quia verò in celebrando Matrimonio coràm Parocho & testibus nullum inconueniens; nec vt sine illorum præsentia celebraretur vllam inuenit causam, hoc omninò negauit. Vnde in nemine facultas est ad iudicandum, an inconuenientia cessent vel existant

§. IV.

De Votis.

Consequenter doctrina videtur postulare, ut aliquid dicamus de votis: nam cum votum sit lex specialis, quam volens sibi imponit; specialis etiam dubitatio potest exagitari circa illa; an cessent, vel ex eo quod finis eorum cesset, vel etiam quia ingreditur epicheia & interpretatio mentis volentis, ex qua colligi debet; an in hoc vel illo euentu sit obligatus adhuc voto.

24

Circa hanc ergo materiam sic difficultatem proponit Caramuel, fund. 51. Ut rem melius intelligas ( inquit ) totam dilucido, verba Molinae subscribendo. Si Deo vouisti omnes sextas ferias anni ieiunare, eoque anno festum Natiuitatis Domini feriã sextã celebratur, in qua omnes fideles carnibus vescuntur; ad iudicandum, an illã die, nihil impediẽte voto, possis carnibus vesci, & non ieiunare, interrogandus es: an si dum votum emisisti tibi occurrisset eo anno diẽm Natiuitatis incidere in diẽm veneris, illum diẽm exciperes? Quod si affirmanter responderis, certẽ ( A, B ) non teneris ieiunare. Ita ille tom. 2. disp. 272. n. 3. subscribit Rodriguez in sum. tom. 3. cap. 25. num. 8. vbi reponit Hispanicẽ, quod dixerat Molina Latinẽ, & adhuc resolutionem benigniorem nos docet: ait enim. *Al que hizo voto simple de ayunar los viernes, se le deve preguntar si tuuo intencion expresa de ayunar en este dia, aunque cayesse en viernes la Natiuidad? porque si no se acordo desto, no esta obligado: attento que si se acordara, verisimilmente se ha de creer que no hiziera voto de ayunar en dia de tanta solemnidad.* Consonant Bonacina de legibus disp. 4. q. 2. punct. 6. n. 4. Barth de S. Faust. in Thef. Relig. lib. 7. q. 154 num. 2. Fagund. de præcept. Eccl. tr. 4. lib. 1. c. 6. n. 6.

*Votum ieiunij pro cum. Bis sextis feriis, quando non urgeat pro die Natiuitatis sexta feria occurrenti, ex Molina & aliis proponit Caram.*

Ex his fundamentis ( inquit Caramuel ) inceperunt hoc æuo nonnulli discurrere, ut vota solemnia limitarent: Bis fui consultus; iterum à Sacerdote nobili, iterum à Religioso docto & pio sanctæ Theologiæ Professore. Rationem illius ad hæc verba reduco. Votum solemnẽ & simplex non distinguuntur specie; ergo

25

*Quid ex hoc inferat nonnulli ap. Caram. circa votum castitatis & Religionis.*

sicut de solemni, ita & de simplici philosophandum est: ergo si vouisti castitatem solemniter, adeoque te cariturum vxore totâ vitâ, & tamen ob aliquorum obitum acquiras Regiam & Ducalem coronam aut maneat vnicus in nobili genealogia, quam expediret non perire, & dubites; an tunc nihil impediendo voto, possis vxorem ducere? Interrogandus es, an si dum votum emisisti tibi occurreret is casus, eum exciperes? Si affirmanter respondeas; certè non teneris voto, sed potes nihilominus vxorem ducere. Et alterius, nempe Religiosi argumentum reduco ad sequentem periodum. Siquidem eiusdem speciei infimæ sunt votum simplex & solemne, nemini ero iniurius, si de vtroque eodem modo philosopher; experior esse supra vires meas castitatem seruare: adhibui ieiunia feuera, disciplinas, cilicia, & ago vitam miserrimam, vt compatiatur mihi etiam qui malè affecti interim nec ideo castè viuo: Per viam strictam & asperam ad infernum præcipitor: & inquirō an non sit melius nubere quàm viri? Nolo rogare, an si hæc præuidissem, adhuc castitatem vouissem? certò enim scio me ideo talia vota emisisse, quia volebam tranquille & sanctè viuere, & nunquam emissurum ea fuisse, si præuidissem nec sanctè, nec tranquille victurum: nec volo audire me peccare quia volo; id enim fateor, addo tamen me nunquam fuisse emissurum castitatis votum, si tam esse difficilem, & arduam, eius obseruantiam præuidissem; ergo non tenor voto: quia si hoc præuidissem, non vouissem. Sic ille discurrebat Religiosus; & quidem pro se citabat Hominem bon. de bon. in consult. mor. vol. 1. p. 2. resol. 28. vbi quærit, an votum castitatis, vel non nubendi, factum à procliu in venerem, valeat? & respondet probabilem sententiam esse, quæ id inualidum dicit; & dat rationem, quòd ab eo emissum sit cui ob incontinentiam, & in carnis peccatum lapsus, matrimonium salubrius sit: & doctrinam Hominis boni sic vrgebat. Votum castitatis emissum ab eo cui cœlibatus minus salubris sit, est inualidum: ergo à fortiori idem dicendum est de voto castitatis emissio ab illo, cui non iam cœlibatus minus salubris, sed verè perniciosus sit. At materia, quæ est mala respectu voti simplicis, non erit mala respectu voti solemnis: ergo. Hæreo ego, sed tu, qui Doctor es, vtrique Sacerdoti responde: sic Caramuel; & notat quod eodem modo.

*Probabile est iuxta Hominem bon. votum castitatis emissum à procliu in venerem non teneri.*

modo philosophandum est de voto solemnī paupertatis, & obedientiae: sunt enim diuersa hominum genia, & alij plus obediendo allaborant, alij rerum dominio carendo, plusquam castitatem seruando.

Existimo ad omnes istos casus esse ex eadem regula, non tamen eodem modo respondendum. Noto tamen antea inter Molinam & Rodriquez aliquid inueniri diuersitatis. Molina ait interrogandum esse qui uouit omnibus sextis feriis anni ieiunare, an si occurrisset, diem natalis Domini incidere in feriam sextam illud excepisset? & si affirmatiuè respondeat liberum esse à ieiunio. Vnde si non respondeat affirmatiuè, uidetur quod supponit illum remanere inclusum; atque adedò uouentem teneri voto ieiunij. Rodriquez uerò ait esse interrogandum: *Si tuuo intencion expressa de ayunar en este dia, aunque cayesse en Viernes la Naniuidad? porque si no se acordò de esto no esta obligado.* Vbi per solam carentiam inclusionis expressae sentit esse excludendam feriam sextam natiuitatis à ieiunio. Molina ergo requirit intentionem expressam ad excludendum illum diem à ieiunio: at uerò Rodriq. sola omissione includendi etiam per obliuionem contingenti, ait non includi. Sed quia rationem reddit similem Molinae, scilicet: *Attento que si se acordara verisimilmente se ha de creer que no hiziera voto de ayunar en dia tan solemne.* Ait ergo illum non teneri ieiunio in die natalis Domini, si sit feria sexta, ex eo quod prudenter iudicandum est, quod illum non inclusisset in voto, si ei occurrisset, non uidetur in substantia discrepare.

Hic tamen modus resoluendi hunc casum non est in ita crassa Mineruâ intelligendus, ut ex eo praecise, quòd ille, si occurrisset, inclusisset, uel exclusisset, debeat manere obligatus, uel non obligatus: nam hoc esset nimis ridiculum; & ut hoc probem, pono casum à Caramuele ad aliud propositum enarratum fund. 43. Accidit Bruxellæ, anno 1638. ut Marchio N. vexaret quempiam Nobilem, ut sibi Pegasum (nomen erat equi excellentis) venderet. Negat Nobilis: se carere equo non posse, ait, illum sibi commodum & notum, nec uelle vendere. Urget Marchio, & equum ducentis aureis obtinet. Vix octo transuerant dies, & Marchio inopinata subueniente causa iubetur in Hispaniam ire equis citatis, uel ut loquitur Hispanus, *por la posta.*

Auro

26.

Nonnihil  
Molina &  
Rodriquez  
sup. cit. di-  
scriminatur.

27.

Quomodo  
exaudiendū  
sunt praefati  
DD. & im-  
probanda il-  
la iones ab  
eorum doctri-  
na ap. Ca-  
ram. desin-  
ta.

Auro ille eget, & Pegaso non eget. Vult equos statim vendere, & inter alios Pegasum, nec reperit qui statim emat. Remittit ad Nobilem Pegasum, & ducentos aureos reposcit. Quinquaginta offert ille, nec plures; & quia erat in mora periculum, indignabundus, Pegasum aureis quinquaginta reuendit. Vocat Theologum, & vociferatur sibi illatam iniuriam. Subridet iste, & omnia iuste & legitime facta pronunciat. Merces (ait) vltro neque media parte vilescunt, & pecuniae sunt merces. Et ego nunc quaero, cur iste non sit interrogandus, an si prauidisset aduenturas litteras ex Hispania; emisset equum? Et si negatiue respondeat, absoluendum ab emptione? Certè hoc dici nequit: quia in illa emptione, & venditione erant absoluta illa contingentia habendi scilicet necessitatem pecuniae, & non Pegasi: & illa sine alia interrogatione sunt inclusa in contractu absoluto.

28.

*Qui vouet  
castitatem  
solemnem in-  
ualide, num  
remaneat li-  
gatus simpli-  
citer valide.*

Vnde in multis casibus, etiam si Petrus responderet, se sibi si occurrisset, volitutum fuisse, non idè teneri, ac si fecisset, vel vouisset. Ad cuius euidenciam vtor doctrinam Caramuelis, eod. fund. 51. vbi discurrit hunc casum, quàm solet perspicacitate. Emiserat professionem Antonius sanè inualidam, non quidem ob voluntatem, aut intentionem illegitimam, sed ob defectum ætatis temporis in probatione requisiti, aut alterius cuiuscumque impediementi dirimentis: Cognito impediemento reclamatione, dimittiturque: & quia vult ducere vxorem, an habeat aliquod sublatens impediementum, rogor. Citat Dianam, & alios afferentes eum obstringi voto simplici castitatis: quia vouentis intentio bona fuit, illiusque votum, si caret aliquo requisito ad valorem voti solemnem, non caret requisitis ad valorem voti simplicis.

19.

Sed contrariam sententiam tenet ipse, sicut tenuerat in Com. Reg. D. Bened. num. 505 & vt clarius veritas innotescat, dicit primò: Quòd si vouens habuit hanc intentionem volo Deo vouere castitatem eo meliori modo, quo possum, aut solemniter, aut si fortè ob aliquod impediementum, quod nesciam, id non possum, volo illam vouere simpliciter; cessat quaestio, & tenetur voto. Dicit secundò: quod si intentio sit, volo vouere castitatem solemniter, & si illam non possum sic vouere ob aliquod impediementum, nolo emittere vota simplicia; etiam cessat quaestio, & certum est non teneri. Dicit tertio: Quòd si Antonius nihil cogitauit

cogitavit de votis simplicibus, sed tantum emisit solemnia bono animo, & intentione, quæ tamen, propter aliquod impedimentum dirimens, & ipsi Antonio inuoluntarium, posset declarari inualida, non obligatur voto simplici. Quod probat primo, quia supposita probabili sententia, quod votum solenne distinguitur à simplici specie, hæc consequentia, votum castitatis non est solemniter validum: ergo erit simpliciter validum, est similis huic: votum quo ieiunium promisi, fuit inualidum, ergo manebit votum validum peregrinandi: nam hæc duo distinguuntur specie, aut etiam huic: syllogismus non benè concludit in prima figura, ergo benè concludet in tertia. Qui enim vnum actum fecit inualidè, non est dicendum fecisse alium validè specie, aut genere, ab eo diuersum. Ita ille.

*Qui vouit solemniter inualidè, non defectu intentionis, sed aliunde, nec simplici voto ascribitur est, secundū Caram.*

Et ego nunc, an si iste interrogaretur, an si dum vouit ieiunium, sibi occurrisset, quod non valeret ieiunium, vellet vouere peregrinationem, & affirmatiuè responderet; teneretur voto peregrinationis? & credo quod debet respondere Caramuel, negatiuè. Nam qui vnum actum fecit inualidè, non est dicendum fecisse alium validè, specie, aut genere diuersum, siue occurrisset, siue non. Multa enim faceremus dum alia facimus, si nobis occurrisset; quæ tamen non idè dicenda sunt à nobis facta. Et probò eadem instantia de syllogismo; qui enim diceret, hic syllogismus non benè concludit in prima figura, at si dum illum formare mihi occurrisset, voluissem illum ponere in tertia figura, ergo benè concludit in tertia figura, rideretur. Non est ergo dicendum, ex eo quod quis dum facit aliquid inualidè, fecisse aliquid, quod si sibi occurrisset, fecisset.

30.

*Qui vnum actum facit inualidè non idè vult facere alium valide.*

Probat secundò suum dictum, supponendo probabilitatem sententiæ asserentis votum solenne non distingui à simplici nisi modaliter. In quo casu deberet examinari Antonius vouens, qui dixisset, si rogaretur, an ne vellet saltem emittere vota simplicia, si solemnia nò posset; ecce quomodo in vno casu ponit interrogationem, non in alio. Sed tamen ego ex eius doctrina adhuc probare contendo, neque hic, ex sola illa ratione, quod fecisset, si occurrisset, iudicari quid fecerit. Putat Caramuel negatiuè responsurum: quia in rebus obscuris debemus iudicare iuxta ea quæ communiter occidunt, & rari sunt, qui extra religionem velint

31.

vouere castitatem, paupertatem, & obedientiam; & confirmat hanc resolutionem suam hoc exemplo. Vendidit Antonius sincerè vnam domum Troilano, & quia in instrumento solemni aliquis defectus reperitur, venditio iudicatur inualida. Anne manebit Antonius domus Dominus? Respondebunt omnes affirmatiuè: quod si instet aliquis Antonium perdidisse domus dominium, dicendumque si non vendidit domum, donasse saltem, atque adedò illam, si non emptionis, saltem donationis iure, spectare ad Troilanum; ridebitur: ergo de votis pariformiter philosopharem. Votum solemne est contractus quo Religiosus Deo, & hominibus, obstringitur; quo Monasterium & superior obstringuntur religioso: & votum simplex est donatio, qua vouens obstringitur Deo, & nullum hominem obstringit sibi, ergo si non est bona consequentia, vendidit inualidè, ergo donauit validè: non erit bona, emisit vota solemnia inualidè, ergo simplicia validè. Ita ille.

*Declaratur  
in rebus specie  
diuersis.*

Nunc sic in casu proposito rogo, an valeat illa consequentia, ergo donauit validè, si dum vendidit, occurrisset Antonio, quod si illa venditio fuisset inualida, voluisset donare? Et an interrogandus sit, an si ita factum, quid fecisset? Si respondeas negatiuè, vt ego puto te responsurum, similiter in voto philosophor. Relinquitur ergo ex doctrina Caramuelis in rebus specie diuersis ex facto vnus inualido non sequi factum validum alterius, etiam si dum vnum fit, aliud fieri voluisset, si occurrisset.

32.

*In rebus  
alias conten-  
tis in his qua  
venerunt nõ  
est opus sa-  
pius interro-  
gare vnen-  
tem vel pro-  
mittentem.*

In his autem quæ non sunt specie, sed tantum accidentaliter distincta, & aliquo modo censentur inclusa, vel exclusa in verbis promittentis, vel contrahentis, aliquando recurrimus ad regulas iuris, non expectata interrogatione: quia sæpè dantur aliqua, ad quæ non potuit ipse se obligare, licet voluisset, si occurrisset; aliquando verò ad mentem; quando scilicet potuit, & rationabiliter creditur quod facere voluerit. Nam sunt aliqua quæ de nouo adueniunt contractibus, quæ illos possent irritare: alia verò non ita talia, quæ contractus irritant si de nouo adueniant, nullo, habito respectu ad id, quod vouens, vel promittens, si præuidisset, fecisset; alia verò quæ vsum contractus irritant, non aliud. Vnde iuxta naturam contractus diuerso modo discurrendum est.

Dubitant DD. quæ mutatio seu nouitas requiratur, vt disci-  
soluantur

soluantur contractus ; ponunt exemplum in sponsalibus : & omnes vnanimitè resoluunt dari multas causas , quæ , si de nouo adueniant , vel præcesserant , sed ignotæ & postea dignoscuntur , contractus dissoluunt. Inter quas aliæ statim , aliæ post sententiam iudicis , eos dissoluunt. Quod consequenter in donationibus , aliisque contractibus , inquirunt , vtrum eadem causæ , quæ sufficiunt ad dissolutionem contractus vnus , sufficiant ad dissolutionem alterius ? Sed iuxta qualitatem contractus prudenter discurrendum esse docent. Hinc grauis paupertas adueniens in vno contrahentium sufficit ad dissoluenda sponsalia : at non sufficiet ad Matrimonia dissoluenda Fœditas notabilis , vt amissio nasi , aut oculi , morbus contagiosus , notabilis morum asperitas , denuò experta sæuitia , sufficiunt ad sponsalia dissoluenda , non verò sufficiunt ad Matrimonium. Ad cuius dissolutionem sufficiunt aliæ causæ , vt in Matrimonio rato non consummato ingressus Religionis : & ad matrimonium consummatum , licet hodie non agnoscatur causa dissoluens illud ; tales tamen possent contingere , vt illud dissoluerent. Itaque nulla est actio humana ita absoluta , quæ vicissitudini non sit obnoxia. At cum hoc non dependeat à mera libertate contrahentium , sed , vel à iuris dispositione , vel à naturæ iure , interrogandus non est qui contrahit , vel qui vouit , an si præuidisset ; nisi quando res sunt tales , vt sufficiant ad dirimendum contractum : & tunc necesse est ad hoc vt obligatus maneat , quod si præuidisset etiam vouisset ; aliàs non manet obligatus contractui , vel voto. Videndum est an possit , vel debeat petere dispensationem ; an ipso facto fit liber à voto ; an vero dispensationis beneficium obtinere possit , quia causa sufficiens , vt ei concedatur , interfit.

*Quæ mutatio dirimat contractus.*

Hæc doctrina suppositâ , in casu ieiunij , quia ille qui vouet omnes sextas ferias ieiunare , ex vno capite includit diem Natiuitatis nomine feriæ sextæ ; ex alio verò videtur eam excludere , quia censetur vouere ieiunium feriarum sextarum supponendo quod in eis abstinemus à carnibus , cùmque illâ die fideles carnibus vescantur , videtur exclusisse , inquirimus à vouente , veluti legislatore , an habuerit expressam voluntatem includendi diem Natiuitatis : & si negatiuè respondeat , tunc inferimus quod non includit : nam argumentum à maiori ad minus benè valet : si aduertisset

33.

*Respondetur & datur disparitas inter votum ieiunij & castitatis seu Religionis.*

risset non inclusisset, ergo minùs inclusit, dum non aduertit: & progredimur: quid si dubitet? Et respondent Theologi quod non includitur: quia non est credendum voluisse voto illo esse singularem. In casu verò viri nobilis, vel Religiosi dico non esse interrogandos: neque illam nouitatem superaduenientem sufficere ad rescindendum votum, quidquid sit an sufficiat ad obtinendam dispensationem: quia ille contractus voti solemniter se habet veluti venditio, vt docet Caramuel, quæ non rescinditur ob nouitatem aduenientem non præuisam, licet si præuideret, non fuisset talis venditio facta: est enim perpetua traditio in seruitutem Ecclesiæ aut religionis, quæ includit omnes illas contingencias, quæ in ipsa re, vel statu, aut persona, imbibitæ sunt: & sicut ex eo, quod religio non habeat eam vtilitatem, quam sperabat à religioso, non potest illum expellere, nec rescinditur votum: ita ex eo, quod ille experiatur difficultatem, quam non præuidit, non rescinditur: sibi enim debet imputare, quod non penetrauerit rei difficultatem, vel non præuiderit præuidenda.

34.  
Id ipsum probatur ex  
Molina.

Quæ omnia docet Molina loco cit. Nam in primis ad casum ieiunij, post verba à Caramuele citata, hæc addit: *Si autem trepides, scrupulosusque & timorata conscientia plus iusto sis arbitrio prudentis iudicandum est, te non teneri ieiunare.* Deinde ad casum Religiosi paucis verbis respondet, quibus ego nihil addere volo. Sic habet num. 10. Quantum valde attendendum est: longè diuersum esse promittentem non penetrasse quod promisit, ita videlicet, vt si quæ in re promissa continebantur, omninò penetrasset, eaque fuisset expertus, continuisset se ab emit-tenda tali promissione: & rerum statum ita esse mutatum, vt si ea mutatio, dum promittebat occurrisset, nollet in eo euentu ea promittere, aut se obligare. Ex his autem duobus, hoc secundum est, de quo hætenus sumus loquuti, & quod cum communi DD. sententia dicimus deobligare ab implenda promissione: illud verò primum, nequaquam à promissione implenda deobligat: quoniam, & quæ non satis penetrauit, & quæ in particulari non erat expertus, sunt quæ in promissione continentur, annexæque sunt rei quæ promisit, etiam si ea esset expertus, eaque penetrasset, nunquam talem promissionem emisisset. Sibi autem imputet, quod re non satis pensâ ac cognitâ, id promisit.

Noranda

Notanda sunt valde pro casibus propositis, quæ addit. *Hæc ratione non deobligatur ab ingressu Religionis, qui non penetrans penitentias & difficultates alicuius Religionis, eam vouit. Neque postea integrum ex eo capite illi est illam egredi, quòd si illa penetrasset, fuissetque expertus, nunquam id vouisset: quin potius si egredietur, voti est transgressor, lethalitèrque peccat, ut omnes consententur, & seruat Ecclesia praxis.* Ita ille. Quod ego vrgeo doctrinâ Caramuelis, professio est venditio, & votum est donatio; si ergo in voto id docet Molina, quid de professione emissa censeret ex eo quod non fuit ille religiosus expertus illam Religionis asperitatem, & in illa non posse castè viuere, &c. non ergo suffragatur illi doctrina Molinæ.

35.

Verba Molina notanda.

Nec dices: Molina non reddit rationem cur in casu ieiunij id sic iudicandum, & non in hoc casu: Nam fatis perspicuè illam tradit, dum dicit, illud non fuisse in voto ieiunij contentum, ista verò contineri in voto religionis, & has variationes factas non esse sufficientes ad annullanda vota. Quibus addi potest, quia sequeretur nullum hominem esse Religiosum absolutè, nullum absolutè coniugatum; immò ille Religiosus, neque esset absolutè Religiosus, neque exemptus à Religione: Nam iuxta Molinam, quando ex notabili mutatione rerum contractus dissoluitur, vel deobligatur quis ab impletione voti, seu promissionis, si res redeant ad statum pristinum, tenetur voto, vel promissione qui vouit. Et confirmatur ex doctrina tradita, à Caramuele admissa: nam si quod sit votum est absolutum, subintelligitur quod non obligatur in casu notabilis mutationis, quando adest mutatio notabilis, cur non iterum obligabitur nisi res ad statum pristinum iterum restituantur. Ita Molina loco cit n. 35. Ponamus ergo quod ille Religiosus, vel Sacerdos Nobilis deobligatur voto, & post uxorem ductam, tractu temporis contingit, ut Sacerdos Nobilis spoliatur coronâ Ducali, vel Regali, & Religiosus ille nequitiam agnoscat cõcupiscentiam: tenebitur ne ille voto castitatis, & alter religione? Si affirmatiuè respondeas, dicam ego non fuisse votum dissolutum, sed suspensam eius impletionem vnde datur disparitas ad casum ieiunij, vbi absolutè liberatur die Natiuitatis: si negatiuè respondeas, consequentiam non seruas: cur enim noua mutatio illa est sufficiens ad deobligandum, &

36.

Disparitas ex Molina.

Si mutatio contingens post votum illud enouat, reductio ad pristinum statum illud iterum confirmare oportet.

restitutio ad statum pristinum, quæ est noua mutatio in fauorem religionis, in contractu venditionis, non obligat religiosum, vt ad religionem redeat.

37.

*Religio potest expellere omnes inuitiles.*

Adde ex hoc capite etiam posse Religionem dicere se non contraxisse, nisi religiosus aliquid utilitatis sibi afferret: dumque ob aduersam valetudinem, nullum commodum præstaret, nullumque munus religionis sustinere posset; licitum esset Religioni illum à se abdicare, & contractum semel acceptatum, iterum rescindere, è quibus mille frequenter orirentur absurda. Et si absurda non times, sequeretur nullum hominem esse religiosum absolute sed solum dum Religioni potest inferuire. quod est omninò contrarium essentia status Religionis, qui absolutâ & perpetuâ traditione, & acceptance Religiosi in Religionem, perficitur: Non secus ac emptio & venditio, vt ex Caramuele diximus.

## §. V.

*Respondetur quæsitis Caramuelis.*

38.

*Votum de re moraliter impossibile non est impossibile.*

**N**Vnc vellem respondere ad quæsitâ Caramuelis.

Quærit primò: an aliquis possit se obligare voto simplici ad moraliter impossibile? An ad illud, quod consideratis omnibus circumstantiis erit ad animæ suæ perditionem. Respondeo ad primum affirmatiuè, vt patet in voto de venialibus, quæ omnia vitare, est moraliter impossibile; & in exemplo S. Theresiæ de faciendo quidquid perfectius occurreret: nam Deus qui vouendi gratiam præstat, dabit auxilium ad exequendum: ipse est enim qui dat velle, & perficere. Si hanc materiam dicas non esse de re moraliter impossibile: assigna aliam, & respondebimus: nam ita in genere non potest moralis doctrinæ dari regula generalis.

39.

Quærit secundò: an maneat obligatus, si postea reperiat aliquam difficultatem, quam non præuidit, quam si præuidisset, tale ipse votum non emisisset? Respondeo ex dictis. Si est ex inopinatis casibus modo supra explicato, non manere; aliàs manere.

40.

Quærit tertio: an eodem modo de voto simplici & solemnibus philosopho.

philosophandum sit? Maximè in illorum sententia, qui docent non differre specie: nam de rebus distinctis pure numero eodem modo philosophamur? Respondeo negatiuè, adhuc in sententia non distinguente illa vota specie essentiali; quia distinguuntur specie accidentali ad minus, & votum solemne habet aliquid, quod non habet simplex; nec verum est ita generaliter, quod de rebus purè numero distinctis eodem modo philosophamur: si inter illa aliqua distinctio saltem accidentalis reperiatur: & si hoc non est ita, dicat Caramuel cur cum quis vouet omnibus sextis feriis ieiunare, non eodem modo philosophatur de feria sexta, in qua incidit Natiuitas Domini, ac de feria sexta, in qua incidit dies Transfigurationis, quæ solùm accidentaliter distinguuntur? De isto enim non dicit esse interrogandum uouentem, an uoluerit illam includere, si occurrisset? De isto debet interrogari, si nihil de illo cogitauit. Si dicat distinguere illam circumstantiam species, etiam dico votum solemne ratione circumstantiæ solemnis includere aliquod maius vinculum quàm simplex.

*Diuersimode de voto solemni ac de simplici discurrendum est, in sententia adhuc ea non diuersificante specie essentiali.*

Quærit quarto, an eodem modo de matrimonio philosophandum sit, an eodem modo de omni pacto, & contractu? Respondeo, non esse omnes contractus eiusdem fortitudinis, & indissolubilitatis: & idè non posse æqualiter de omnibus philosophari, vt dictum est supra: Nam quòd vnum contractum irritat, alium non lædit, &c.

41.  
*Nequeit assignari causa irritantes contractus, omnibus eò-munes: cum non omnium eadè sit fortitudo atque vis.*

Si ad tertium, & quartum respondeatur negatiuè propter inconuenientia, quærit quinto: an omnis doctrina, quæ admittit pareret grauiam inconuenientia, sit falsa? An non sapissimè inconuenientia grauiam ex veritatis notitia dimanauerint? Noto nos non debere respondere huic quinto quæsito, quia non respondimus negatiuè propter inconuenientia. Sed tamen libet respondere ad maiorem declarationem eorum quæ dicta à nobis sunt supra.


42.

In hoc negotio est discurrendum ad eum modum quo discurretur in scandalo: nam distinguendum est scandalum receptum à dato: Igitur distinguendum est inconueniens receptum à dato: hoc est; distinguendum, quando inconueniens oriatur actiue, vt sic loquar, ab aliqua re, vel tantùm passiuè, vel occasionaliter, seu

seu

*Inconuenientia, quorum causa influens est ipsa doctrina, eam obtinebrant, atque suspensam reddunt. Secus ipsa non influente. Si mala non sint, nihil offricunt, & si sint mala quomodo iudicandum.*

seu ex malicia patientis: si primum certum est non posse illa sequi, tamen ex se sint vera. Hinc ipse Caram. & omnes dicunt, quod si finis legis cessat contrariè id est, quando ex vna lege oritur quod altera reddatur illicita, ita vt sit inconueniens illam sequi, tunc debere omitti legem, quæ est causa illius absurdi: si secundum, quando lex non est causa & ratio ex qua talia oriuntur, sed ex malicia, vel aliàs, inconueniens sequitur, non sunt idèò omittenda bona. Vel clariùs. Vel inconuenientia sunt peccata, vel non, si primum: videndum est contra quod præceptum, & quodnam illorum præualere debeat. Si secundum: non sunt omittenda bona, quia sequantur aliqua inconuenientia quæ non sunt mala.



## QVÆSTIO IX.

### *De electione duarum opinionum probabilium inter se pugnantium.*

*I. De electione opinionum probabilium nimis laxè Caram pertractat, utramque, tamen si contradiçtoriam, amplecti posse conatur.*

**I**N rebus moralibus vix datur casus, in quo non sint duæ opiniones contradictoriæ, & probabiles; & hoc punctum ita ad punctum reduxit Caramuel, vt vix sit aliquod præceptum Ecclesiasticum quod eludi non possit, si eius doctrinæ, quam probabilem putat, adhæreamus. Nam duas opiniones probabiles contradictorias sequi quemlibet posse probabile esse contendit. Ex quo fit vt nemo teneri videatur præcepto ieiunandi, audiendi sacrum, recitandi horas canonicas, & alia huiusmodi; vt ex discursu patebit. Quare placuit hanc rem fusius aliquantulum discurrere, & discutere.

*2. An qui post horam 12 ab uno horologio pulsatam sub meillam noctem Sabbati, tenens diem incipere Domini-*

Igitur fundi ubi agit de opinionum probabilitate, ubi suum sensum aperit, hunc proponit casum. Petrus die Sabbati sub mediam noctem, vt primum audiuit duodecimam, comedit carnes; & postquam fatiatus excessit è mensa audiuit aliud horologium significans horam duodecimam: die sequenti communicare vult: & sic discurret: Horologia habent opinionum probabilem virtutem. At ego comederam antequam tale horologium

gium sonuerit : ergo probabile est quod comedi ante duodecimam : ergo probabile est quod sum ieiunus. At opinioni probabili conformare conscientiam possum ; ergo potero communicare. Et volo scire cur non possit communicare : nam , stando doctrinae praecedenti , potest. Et ego in toto hoc Petri discursu , quod possim aut negare , aut reprehendere , non inuenio. Sic Caram. & post. §. 9. post impugnatam Card. Lugonis sententiam , quae hoc negat , & regula ab eodem tradita repulsa , has theses ponit. Prima : qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram , poterit sequenti momento licite tenere alteram. Hanc iudicat luce meridiana clariorem. Et subdit : sed neque illam non admisit Lugo ; ait enim num. 48. Ego tamen non facile id concedam. Aliud est enim inquit me iudice vnam propositionem non concedere ; & aliud illam quidem concedere , sed non facile. Quam differentiam , facile intelliget qui legere dignabitur historiam sequentem. Ingeniosum & doctum subditum nescio quid à severo Abbate postulare. Negat iste ; instat alter iterum iterumque. Et tunc Abbas : *Concedo licentiam , quam postulat ; si fiat tamen me illibenter hoc facere.* Et illi subditus : *Nunquam ego petij ut libenter hanc licentiam concederet , sed quod concederet.* Hinc infert : ergo similiter ad nostrum casum. Hanc thesim concedit Lugo , sed non facile ; & ego aio : modo illam concedat , me non curare vtrum illam concedat facile , vel non facile.

Secunda Thesis : ex hac mutatione sententiarum nullum sequi prauiudicium tertij , licet multa sequantur tertij damna & inconuenientia : quia qui iure suo utitur , nulli prauiudicium facit , quamuis damna sequantur : quia dum non sint iniuste illata prauiudicia dici non possunt.

Tertia, Hæc est mala consequentia : *Ex hac doctrina sequuntur magna inconuenientia , ergo non est probabilis.* Patet , quia ex certissimis , & euidentissimis propositionibus magna damna aliquando sequuntur , & nihilominus sunt veræ.

Quarta : Hæc propositio : *Ecclesia , qua ieiunium , Officium diuinum , &c. praecepit , compacepit ne quis mutaret sententiam probabilem , eo casu quo ex tali mutatione hæc praecepta posse non obseruari sequeretur ; est falsa.* Probat : quia aliud est Ecclesia

*cum, comedit carnes, si audita post ab alio horologio eadem hora, luce sciente die communionem sumeret, haud Caram. displiceret.*

*Varia circa praecedentem materiam Caram. conclusiones.*

*Prima, qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur vnam, potest licite sequenti momento tenere oppositam.*

*Coni. ndit Card. Lugo etsi non facile, concedere tamen placitum de amplexu duplexrum propositionum contradictoriarum.*

3.

*2. Thesis: ex prima nullum sequitur prauiudicium tertij.*

*Tertia: inconuenientia non faciunt doctrinam improbabilem.*

*Quarta in praecepto ieiunij v.g non prohibetur*

rentia, etiã  
si ex muta-  
tione vis pra-  
cepti minus  
urgeat.

præcepit; aliud Ecclesia præcepisset, si vidisset. Certum est enim hæc præcepta esse antiquissima, & has subtilitates à paucis annis motas, veteresque legislatores has subtilitates non prævidisse. Suspiciatur tamen ipse eos, si illas prævidissent, latus fuisse aliquam legem circa mutationem dictaminis, quæ respiceret actum non merè internum, sed externum; puta si Ecclesiasticum diem iuberent iuxta primum horologium seruari; sed hanc legem nondum esse latam. Et subdit: motis nouis dubiis, & nouis cognitis inconuenientibus expedire, vt noua lege Ecclesia veterem legem propugnaret.

Quinta, qui  
iniuit con-  
tractum me-  
re probabi-  
lem, si suo  
iuri cessit,  
tenebitur  
stare, aliàs  
secus.

Quinta: qui iniuit contractum merè probabilem, si suo iure cessit, tenebitur stare contractui; aliàs non. At si mutet dictamen, inquires, procedit in præiudicium tertij. Negat præiudicium, & concedit libenter Petri iacturam, vel damnum. Quoniam si tertius hoc præiudit, & adhuc iniuit contractum, sibi imputet, qui socium potuit strictius obligare, & omisit: si non præiudit; hoc damnum enumeret inter infortunia, quæ ignoranter frequentissimè incurrimus, & solam accuset ignorantiam. Et hinc putat manere resolutum casum à Lugo propositum de Petro cui supponebat Lugo debere dare ex iustitia singulis diebus (ex contractu) nummum aureum. Ita Caram. §. cit. Quæ omnia non sicut alia dubitatiuè proponit, sed resolutoriè asserit.

4.  
Lugonẽ cum  
Caram. mi-  
nime sen-  
re in prima  
suis Thesi  
probat. ur.

Antequam ad resolutionem nostram aperiendam accedam, non possum non aduertere, violentè à Caram. Lugonem, trahi ad suam sententiam. Primò quia sicut eodem Caram. iudice, non est idem: Ecclesia si præuidisset, præcepisset, aut Ecclesia facillè faciet; ac Ecclesia fecit: vt patet ex Thesi 4. ita neque est idem, non facillè concedam, ac non facillè concedo: ergo cum Lugo dicat de futuro, non facillè concedam, non est supponendum quod concedit. Imò illa verba *non facillè concedam*, vel *concederem*; potius significant carentiam voluntatis actualis concedendi. Nam ipse in Theologia morali disput. 9. n. 1249. agens de dispensatione secundi præcepti non audeat concedere Deum dispensare posse in hoc quod diabolo offerantur sacrificia, & adoratio latriæ, his verbis: *Non enim libenter dispensationem, quam argumentator urget, concederem; & tamẽ qualiter negari possit clarè non video.*

His profectò verbis non vult Caram. significare se adhuc illi-  
benter

benter concedere iam illud fieri posse; sed ad summum vrgeri argumento, sed tamen non clarè posse illi dissentire, & sic de facto suspendere iudiciũ, & nec libenter nec illibenter concedere. Cur ergo non idem intelliget de Cardinali, quod scilicet solum vult dicere, quod de facto non concedit, sed tamen quando concessurus illud esset, adhuc illud tunc libenter non concessurum. Vnde historia de Abbate potius est dicterium, quam argumentum. Nam Abbas non dixit concedam, sed concedo licentiam de præsentì. Quod est diuersum; & quidem dicat mihi an subditus ille, etsi ingeniosus & doctus, intelligeret se habere licentiam, si respondisset Abbas: Ego hanc licentiam non facile concedam? minime, minime. Ergo ex Abbatis historia non remanet impugnatus Lugo, sed redargutus Caram. Non enim est idem dicere concedo sicut Abbas, sed non facile; ac dicere non facile concedam, vt Lugo; sicut non est idem, Ecclesia facile præciperet, ac dicere facile præcipit.

Nunc ad rem nostram primam thesim Caram. discutiamus, ex cuius declaratione facile ab aliis nos expediemus; imò ex illis ipsis deducemus probationes nostras; illa ergo thesis: Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licitè tenere alteram; vniuersaliter & indefinitè est falsa, & ipsius Caram. principiis repugnans.

5.  
Prima Thesis Caram. indefinitè atque vniuersaliter falsa est & principis illius repugnat.

Ponamus primitus & ante omnia principium Caramueli irrefragabile, & quod pro aris & foris propugnat, ægrè ferens quod à nemine inficietur; illud est: *Sicut in physicis physicè, sic in metaphysicis metaphysicè, in spiritualibus spiritualiter, in supernaturalibus, supernaturaliter, in moralibus moraliter est philosophandum.* Hoc posito sic argumentor; illa est opinio falsa & improbabilis ab intrinseco, ex qua sequitur aliqua hæresis; sed ex eo quod quis nunc sequatur vnã opinionem, & sequenti momento alteram, sequitur aliquando hæresis: ergo. Probo minorem ex sententia Caram. nam in synthesibus regularibus, sic habet: *Dantur enim syllogismi, quorum præmissa sunt probabiles, & consequentia bona, & tamen improbabile consequens; cur alios quæram? hunc olim posuisse me memini, hunc repono: quotiescumque vnum concipitur, sine altero inter id quod concipitur, & id quod non concipitur datur realis distinctio: At in Deo diuinitas concipitur sine relationibus: ergo*

Præponitur Caram. principium sicut in physicis physicè, sic in moralibus moraliter esse discutendum.

Iam refellitur primo Caram. prima assertio, argumento ad hominem.

inter diuinitatem & relationes datur realis distinctio. Syllogismus est bonus, & concessis praemissis non potest consequentia negari. Maior est probabilis, & admittitur ab vniuersis, qui praecisiones obiectiuas reijciunt. Minor est probabilis, & admittitur à Thomistis, Scotistis, & alijs: & tamen consequentia improbabilis, & absurda est. Sed cur hoc monstrum oritur ex probabilibus praemissis? Quia tametsi illa seorsim probabiles sint: non tamen sunt comprobabiles, non enim vnus & idem author utramque admittet, nam qui maiorem concedunt, minorem absolutè negant, qui minorem admittunt non volunt audire maiorem. Ita Caram. Vnde ego infero: ergo qui pro hoc nunc assentit maiori, non potest in momento sequenti assentire minori in hoc casu, quia teneretur assentire consequentiae; & sic esset hæreticus: ergo iam illa Thesis ita vniuersaliter posita non est <sup>vera</sup>

6.

+ Occurritur vera.

prima solutiõni.

sonam non posse assentire illis duabus propositionibus simul, sed debere alteram reicere, at in casibus, de quibus disputamus, supponi illum qui mutat sententiam, iam relinquere primam, non verò adhuc illam primam retinere. Vrgebo primò: ergo saltem non potest utramque simul sequi si sint contradictoriae, & non comprobabiles, de quo redibit sermo infra. Vrgeo secundò, ergo si ille qui asserit maiori, non posset ab illa dissentire in facto, teneretur non adhærere minori, & è contra. Atqui res sic se habet in casu morali: nam ille, qui audito horologio signante mediam noctem in die Sabbati comedit carnes iam non potest non comedisse carnes, nec dicere volo quod comestio carniũ fuerit in Sabbato, nam carniũ comestio in Sabbato est peccaminosa, & volitio comedendi carnes in Sabbato est peccaminosa, at iste non potest facere quod illa comestio carniũ sit nunc peccaminosa: ergo neque recedere à sententia quæ dicebat esse factam in Dominica die quam secutus fuit, vt illa comestio non esset culpabilis: vel si potest hoc facere, peccabit cum recedet ab illa opinione probabili, quod comederit in Dominica, atque adeo licitè id fieri non potest quod contendimus: ergo cum non possit hoc licitè facere, tenetur stare illi opinioni quod fuit comestio in die Dominica, ac per consequens non potest eligere opinionem,

opinionem, & velle communicare quasi comedisset in Sab-  
bato.

Si dicas secundò: illud argumentum procedere in Metaphysi-  
cis, non moralibus, quia in his ad præteritū datur potentia. Quod  
fortè aliquis deducere volet ex Caram. de regulis iuris ciuilibus vbi  
agens de potentia ad præteritum distinguit illud axioma, non  
datur potentia ad præteritum, in physicis concedit; negat in mo-  
ralibus. Nam licet non possit homo physicè facere vt spurius  
fuerit verè & realiter ex thoro legitimo natus; at potest facere  
quod fuerit virtualiter & moraliter: Nam si illum legitimet, effi-  
ciet vt ita se habeat ac si ex Matrimonio legitimo fuisset susce-  
ptus. Ita illa comestio carnum, licet physicè non possit homo  
facere vt fuerit facta in Dominica, posset tamen facere vt sic se  
haberet ac si fuerit facta in Sabbato, & non impediatur illi com-  
munionem.

Sed contra: nam vel ex hoc sequitur contra principium illud  
Caram. quod non sicut in physicis physicè sic moraliter in mo-  
ralibus philosophandum est. Vel ex hoc confirmatur probatio  
nostra. Nam illa actio comestionis carnum consideratur phy-  
sicè & moraliter: prout physicè considerata solum dicit illam  
physicam manducationem; moraliter autem consideratur, qua-  
tenus fit iuxta hanc, vel illam legem moralem, & conformatur  
cum hac vel illa opinione. Si consideretur nudè & nulla mora-  
litate affecta, benè potest fieri vt postea aliqua moralitate affi-  
ciatur, ad eum modum quo fit in rati habitibus, & vt in ca-  
su spurij. Non tamen crediderim esse licitè capacem cuiuscum-  
que: Quia sicut ille qui in somnis passus est pollutionem non po-  
test dicere se velle illam nunc ac si liberè & spontaneè eam ha-  
buisset, quin peccet & moraliter reddat illam malam. Sic puto  
non posse dicere illum qui comedit carnes in Sabbato putans  
probabiliter esse dominicam, (imò quamuis certus sit de hoc)  
posse dicere se velle quod illa comestio sit facta in Sabbato, ita  
vt sic se habeat circa illam, ac si eam fecisset cum omni scientia  
& aduertentia, quin peccet. At illa actio non potest nudè con-  
siderari, quia moralis fuit, & sic considerata debet aestimari vt  
facta ab homine volente se conformare cum præcepto diei Do-  
minicæ, & eximendo se à præcepto Sabbati ad comedendas

7.  
Occluditur  
secundū effu-  
gium.

8.

Ille qui come-  
dit carnes in  
Sabbato pu-  
tans esse Do-  
minicam, si  
postea dice-  
ret se velle  
quod illa co-  
mestio fuerit  
in Sabbato  
absolutè li-  
bens & sciens,  
peccaret.

carnes. Vel ergo iste potest adhuc facere ut ille dies neque moraliter fuerit iam Dominicae sed Sabbati; vel non? Si non potest: ergo neque potest communicare, sed tenetur sequi illam opinionem, cum qua se in facto conformavit. Si potest: ergo in moralibus non solum datur potentia ut res Physica incipiat esse moralis, sed ut res moralis desinat esse moralis, eo modo quo fuit. Quod non est in physicis: quia non potest fieri quod filius spurius non sit natus ex concubitu illegitimo. Si ergo discurrendum est in moralibus moraliter sicut in physicis physicè, sicut ille non potest facere ut filius spurius sit natus ex legitimo thoro, ille qui se conformavit comedendo carnes cum die Dominico, non potest facere ut non se conformauerit & quod ille esus carnum non sit Dominicae. Nam dicere nunc volo quod illa comestio quam paulo ante feci pro hoc instanti, pro illo instanti non fuerit Dominicae, licet quando illam feci fuerit Dominicae. Est velle eandem actionem esse & non esse Dominicae pro eodem momento. Quod est velle duo contradictoria, illudere praecipia, vel ludere cum praecipis. Volo ut sit actio Dominicae dum illam facio, & ipso puncto quo finita fuerit volo ut sit Sabbati. Volo ut sit Sabbati quoad comestionem, ut sic, & quoad comestionem carnum esse Dominicae. Volo quod fuerit Dominicae, ut possim coenare, volo quod non fuerit Dominicae ut possim communicare.

9.

Si Tertio dicas esse diuersam rationem in sententiis illis metaphysicis, quia non sunt comprobabiles; at in moralibus esse comprobabiles. Contra primo. Ideo non sunt comprobabiles in metaphysicis, quia illis positis, nisi dissentiat alteri earum, sequitur haeresis. Atqui etiam idem contingit in moralibus: ergo. Probo minorem hoc syllogismo: Ponamus iam vnum horologium dedisse signa mediae noctis, & alterum non, supponendo vtrumque esse ex bene gubernatis & facientibus opinionem probabilem. Nunc sic arguo: in hoc instanti A, possum comedere carnes. Sed hoc instans A, est Sabbati Ergo in instanti Sabbati possum comedere carnes. Ecce syllogismus est bonus, & concessis praemissis, consequentia negari non potest. Maior est probabilis, & asseritur ab horologio, quod iam dedit ictum. Minor est probabilis, & tenebitur ab his qui volunt stare horolo

*Enervatur  
alia satisfactio.  
Ostenditur  
duas opi-  
niones con-  
tradictorias  
eius probabi-  
biles sint, non  
esse compro-  
babiles.*

horologio cuius campana nondum ferita est à malleo : & tamen consequentia est improbabilis , & absurda. Sed cur hoc monstrum oritur ex probabilibus præmissis ? Quia tametsi illæ sententiæ probabiles sint , non sunt comprobabiles : non enim vnus & idem author ( idest vnum & idem horologium ) vtramque admittet. Nam qui admisit maiorem , negabit minorem ; & qui minorem concedit , non vult audire maiorem. Non ergo sunt illæ duæ propositiones comprobabiles , nec possunt ab vno , eodemque authore sustineri , neque coniungi in ordine ad eandem actionem. Sicut neque in ordine ad eundem assensum propositionis illius syllogismi ab eodem Caram. positi & repositi.

Probo secundò , nostram communemque sententiam. Hæc Thesis Ecclesia quæ præcepit ieiunium , Officium diuinum &c. non com præcepit ne quis mutaret sententiam probabilem , eo casu quo hæc præcepta eneruari sequeretur ; est falsa. Ergo ex vi præcepti ieiunij tenetur qui elegit vnã in facto , non mutare sententiam , quando ex ea sequitur præcepta eludi. Probatur antecedens : quia principiis iuris Ecclesiastici & diuini innitendo semper intelliguntur saltem indirectè præcepta illa sine quibus lex consistere non potest aut redditur inutilis , & frustranea. At nisi mens Ecclesiæ extendatur ad hoc com præcipiendum redderentur omnes leges inutiles & frustraneæ. Ergo , antecedens patet ex communi doctrina ab omnibus admissa. Quod interdictum extenditur ad suburbana licet non exprimantur in edicto : quia aliàs esset ac si non esset interdictum : & aliis multis in casibus idem docent omnes. At si non intelligantur hoc modo leges Ecclesiasticæ , omnes redderentur inutiles & frustraneæ : ergo.

Nec iuuat dicere hoc Ecclesiam non fecisse tametsi facere poterit , quia subtilitates istæ nouiter sunt inuentæ. Primò , quia etiam authores , quorum alij vnã opinionem , alij contradictoriam probabilem dixerunt , non condixerunt eas posse combinari & comprobabiles esse pro eadem actione. Vnde vsque ad Caram. nemo dixit vt quis in præcepto posset assumere duas opiniones sibi impossibiles ; ergo sicut ex eo quod Ecclesia non com præcepit ais carere præcepto , ex eo quod non

IO.

*Refellitur 2.  
Thesis à Ca-  
ram asserta  
& iterum  
improbatur  
prima.*

*Præcepta Ec-  
clesiastica  
perpetuo  
saltem in-  
directè illa  
sine quibus  
consistere non  
possunt præci-  
piunt.*

II.

condi

condixerint cares probabilitate. Secundò: quia mens Ecclesiæ & legislatoris semper censetur esse valida & non inanem condere legem. Tertio, ex doctrina supra tradita: quando aliqua actio est imbibita in alia, ad excludendam illam debet interrogari, an si prauidisset fecisset, vt supra dicebamus de voto ieiunandi omnes ferias sextas, & aliis. Ergo cum ad obseruandum præceptum illa euasio sit vitanda, interrogandus est Iudex an si prauidisset, fecisset? & censendum est voluisse facere id quod regulariter & communiter est verosimilius, vt ipsemet Caram. testatur in casu ieiunij: ergo cum verosimilius sit Ecclesiam, si hæ Caram. subtilitates occurrissent, id prouidisset: dicendum est ad id velle de facto obligare inclusasque esse in prohibitionem has tergiuerfationes.

12.

*Tertio impugnantur Caram.*

*Opinio quæ est causa actiua absurdorum est inconuenientia ipsorum laborum absurditate est inconuenientia.*

*Absurda ex prima Thesi Caram.*

*Primum quis posset bis vno die celebrare.*

Tertio probo contra Thesim Caram. quia opinio quæ est causa absurdorum & inconuenientium, debet censi absurda & inconueniens, si sit actiua causa illorum, & non merè passiuæ. At hæc sic se habet: ergo toleranda non est. Non solum enim passiuè, sed actiuè concurrat ad euasionem præceptorum. Et opinio quæ ducit in præcipitium sequenda non est, vt ipse Caram. fund. 18. docet. Probatur assumptum ab inconuenientibus, quæ affert Lugo. Nam primò, si aliquis audito primo horologio celebret, eo quod habeat facultatem celebrandi post mediam noctem, & postea audiat secundum horologium, poterit adhærens posteriori iterum celebrare, quia iuxta hoc secundum non celebrauit hoc die, sed præcedenti.

13.

*Secundū posset quis vno die quadragesimali bis prandere.*

Secundò, in Quadragesima posset audito primo horologio post mediam noctem prandere, sequens opinionem illam quod anticipatio comestionis non sit peccatum mortale; posset etiam audito secundo horologio se conformare cum illo, & ex tunc denudò computare diem ieiunij, vt posset hora solita iterum prandere, vtpote qui illo die nihil aliud comedisset. Addo posse quacumque hora ante meridiem comedere sequens illam opinionem quod anticipatio comestionis non sit contra ieiunium. Et postquam comedit posset dicere se velle sequi aliam opinionem asserentem anticipationem comestionis soluere ieiunium: & cum semel fracto ieiunio sit opinio probabilis imò certa, quod iam possit quoties velit comedere, posset bis & ter mane & post meridiem comedere.

Tertio,

Tertiò, qui non dixit Completorium aut Vesperas hodiernas præuidens parum abesse vt sonet in hoc horologio hora mediæ noctis, posset se conformare cum primo quod iam sonuerit, & iudicare se liberum ab onere recitandi, eo quod transacta iam esset dies præcedens, iuxta probabilem opinionem primi horologii, quam mutato consilio iam sequi velit. Adde hoc posse etiam fieri quotidie de toto officio, & dicere, volo expectare vltimum horologium ad recitandum Officium, quia, postpositio officij non est peccatum. Et audito primo horologio dicere volo hoc sequi. En liber sum ab officij recitatione, quia transacta est iam dies, cuius vnum erat officium, & sic de ceteris. Hæc sunt inconuenientia intolerabilia: Ergo

14.

*Tertiò, posset  
quis numquã  
recitare.*

Quarto probò à paritate è quarta Thefi. Quando Petrus in contractum tenetur ex iustitia non vti illa tergiversatione ad non soluendum debitum. Si enim quis deberet aureum singulis diebus soluendum Petro, non posset dicere, nunc adhuc non teneor ad ictum primi horologii, quia nondum transiit sabbatum, & volo stare secundo horologio, & postea dicere non teneor, quia volo stare primo horologio. Ergo similiter in præceptis. Nam non est magis obligatoria virtus iustitiæ ad restitutionem vel solutionem debiti quam obedientia ad soluendum pensum præceptum: solum enim differunt in hoc, quod ibi teneor ex iustitia, hic ex obedientia, vel castitate, &c. ergo sicut illic est iniustitia, ita hic est inobedientia, vel irreligio.

51

*Quarid im-  
pugnatur  
Caram. à  
paritate ex  
4. i. s. The-  
fi.*

Confirmatur: nam Caram. in votis ait suam doctrinam non procedere. At votum non magis obligat, quam superioris lex, imò in rigore minus: ergo sicut si quis vouit singulis diebus ieiunare non potest vti horologiis ad ieiunandum, non poterit eis vti ad non recitandum, &c. quando ex præcepto tenetur. Nec dicas, in voto amitti libertatem. Nam etiam in præceptis amittitur libertas eodem modo, quia licet physicè possit facere, non tamen licitè: ergo similiter in præcepto.

16.

*Confirmatur  
præcedis ra-  
tio ex pari-  
tate voti  
iuxta Ca-  
ram.*

Relinquitur ergo quod in casu quo ex mutatione dictaminis retrocedendo à prima opinione sequitur præcepti inobedientia, non posse Petrum moraliter recedere ab opinione sententiæ quam, vel horologii, quod elegit. Quod contingit, quando fa-

17.

*Resoluitur  
casus supra  
positus à Ca-  
ram.  
Ostenditur*

*nō licere dicere dictaminis variationem, cum ex illa inobedientia præcepti sequi potest.*

cit aliquam operationem, vel actionem, quia quandiu sistit in mera interna voluntate, vel non datur retrocessio actionum, potest certe mutare suam sententiam quoties voluerit.

V. g. in exemplo proposito de Sabbato & Dominica duo potest facere Petrus audito primo horologio, primò velle stare secundo, & facere poterit ea omnia, quæ in Sabbato fiunt, quia vtitur iure suo, & solum protendit diem Sabbati vsque ad ictum secundi horologii. Secundò etiam sequi opinionem horologii pulsantis, & facere actiones, quæ sunt diei Dominicæ; & hoc etiam potest, dum non deuenit ad actum, mutare postquam autem comedit carnes, non potest dicere volo vt comestio carniū se habeat ac si fuisset facta in Sabbato, quia tradita possessione diei Dominicæ, & facta illa actione quæ propriè est diei Dominicæ, iam possidet præceptum apud Petrum, & ipse amittit, quam habebat, possessionem, & melior est conditio possidentis, & illa actio fuit moraliter Dominicæ & non Sabbati. Sicut non potest facere vt illa comestio carniū sit taliter facta in Sabbato vt sit peccaminosa, vt aliàs peccaret id faciendo vt dicebamus. Vnde iam peccaret mutando sententiam, & haberemus intentum; scilicet id licitè facere non posse.

18.

*Primū fundamentum Caram.*

Sed obiicit primò Caram. & vult patienter audiri & audire suæ instantiæ solutionem. Sic arguit: si appareat certus & manifestus error in primo horologio, erit certum & manifestum tres illos casus à Lugone propósitos benigne resoluendos esse, hoc est posse sequi secundum horologium, ergo si appareat probabilis error in primo horologio, erit probabile eisdem tres casus benigne resoluendos esse, patet consequentia: quia si est certò disgregatiuum visus, quod certò est album, erit probabiliter disgregatiuum quidquid probabiliter est album: ergo quidquid Lugo ex certa erroris cognitione deducit, id omne debet deducere probabiliter ex erroris cognitione probabili.

19.

*Illius solutio ostendit non eodem modo à præmissis probabilibus, ac à certis deduci conse-*

Neganda est consequentia, neganda est argumentandi forma. Nam vt ab eodem Caram. edocemur, non eodem modo à præmissis probabilibus ac à certis deducitur consequentia: præmissæ enim possunt esse probabiles, & tamen non esse comprobabiles; & tunc non deducitur probabilis, sed hæretica consequentia. At ex præmissis certis certa est consequentia quia præmissæ certæ

non

non possunt non esse concertae, repugnat enim cōtitudini, cum contradictoria certitudine componi. Et vt magis hoc pateat, reponamus syllogismum illum in terminis certi & probabilis. Certum est quod quoties vnum concipitur sine altero distinguitur realiter ab illo. Sed attributa diuina certum est concipi sine relationibus: ergo certum est distingui realiter ab illis. Probabile est quod quoties vnum concipitur sine altero distinguitur realiter ab illo, sed probabile est attributa concipi sine relationibus: ergo probabile est attributa distingui realiter à relationibus. Primus est bonus, & admissis præmissis innegabilis consequentia, aut maior, aut minor, debent vt falsæ negari. Secundus est bonus & admissis præmissis neganda est consequentia, quia non sunt comprobabiles

*quantità etiã  
seruata pro-  
portione vs  
ab his certò,  
ab illis pro-  
babiliter in-  
feratur.*

Nunc ad casum nostrum ponamus argumentum in forma Syllogistica cum terminis certum & probabile vt alius percipiamus diuersitatem. Probabile est me in hoc instanti posse comedere carnes. Sed probabile est hoc instans esse Sabbati: ergo probabile est me in instanti Sabbati posse comedere carnes. Maior & minor sunt probabiles & consequentia improbabilis, quia illæ non sunt comprobabiles. Audi nunc: certum est me in hoc instanti posse comedere carnes, certum est hoc instans esse Sabbati, ergo certum est me in instanti Sabbati posse comedere carnes. Consequentia est bona, si vtraque præmissa esset certa, & quia, maior, vel minor est falsa nulla est consequentia. Non ergo eodem modo syllogizatur cum præmissis certis ac cum probabilibus: ergo licet quando certus est error possit mutari sententia, non ideo sequitur posse mutari quando est error probabilis: quia cum errore probabili componitur certitudo facti contra vim præcepti in casibus propositis: nam cum certum est me comedisse in Sabbato, Dominica dies nullam habet pro se possessionem; at verò quando solum est probabile potest habere certam possessionem à qua non debet expoliari propter nudam probabilitatem.

20.

Exemplum albedinis non confirmat, sed infirmat discursum Caram. Ponamus enim esse separabilem ab albo rationem albedinis & actualement possessionem disgregandi visum. Quod nec dubito à Caram. concedendum, qui de lege physica naturæ putat

21.  
*Argumentū  
Caram. exē-  
plo de albedi-  
ne non magis  
urget.*

posse Deum facere, vt calor frigefaciat, & frigiditas calefaciat, albedo congreget visum, & nigredo disgreget. Ponamus quod aliquid quod probabiliter est album est in certa possessione disgregandi visum, an tunc valebit argumentum, quod certè est disgregatiuum visus est certè album? Quod probabiliter est album probabiliter est disgregatiuum visus? Non quidem, quia in hoc casu datur certè disgregatiuum visus, quin sit certè album, Similiter ergo, quod certè est diei Dominicæ in possessione nempe comestio carniuum, esse potest probabiliter Sabbati, non certè. Cum ergo componi possit certa & euidens possessio diei Dominicæ cum probabilitate Sabbati, ab ea possessione certa, non potest dies Dominica sola probabilitate expoliari.

22.

*Attingitur  
aliud argu-  
mentum pro  
Caram. sen-  
tentia.*

Vnde patet solutio ad aliam obiectionem de ieiunio, à quo quis eximitur sola mutatione loci: Nam si quis hodie sit Romæ, vbi non sit vigilia S. Bartholomæi, & transit in alium locum, vbi hodie facta fuit vigilia, liberatur mutatione loci à præcepto ieiunij. Ergo similiter potest mutatione opinionis liberari ab hoc vel illo præcepto.

23.

*Solutio Lugo-  
nis.*

Respondet enim Lugo, non esse simile, quia ille mutatione loci fit liber à præcepto, quatenus numquam fuit debitor. Et licet hoc argumento Caram. non vtatur, nihilominus non placet illi solutio, quia non solum potest Petrus egredi Roma antequam fuerit ieiunij debitor, sed ipso die ieiunij potest Romæ fumere ientaculum, si aditurus est locum vbi non obligat illud ieiunium, vt docet Diana probabiliter cum aliis.

*Caram. in-  
stantia.*

24.

*Declaratur  
solutio Lugo-  
nis, atque de-  
fenditur.*

Dico tamen bonam esse solutionem hac declaratione, quia illa libertas Petri à debito, ieiunij non fundatur in sola probabilitate opinionis, sed in certitudine quod in loco quem aditurus est non datur præceptum ieiunij. Et sicut certitudo erroris sufficit ad hoc vt possit quis mutare: nec obstat factum ipsum, quia cum certo errore non datur possessio: sic certitudo carentiæ præcepti sufficit, quia supponitur præceptum non solum non habere possessionem, imò certè carere possessione, quia præceptum locale est. Vnde solum obligat Petrum dum Romæ est: & tam certum est obligari Petrum ieiunio dum Romæ est, ac certum non obligari dum est in alio loco. Quod patet: quia dum est Romæ, neque posset carnes comedere, neque posset bis pisces comedere.

*Ipso die ieiunij potest quis in loco vbi ieiunatur fumere ientaculum,*

comedere. Cum autem per vnicam comestionem non frangatur ieiunium, potest semel comedere Romæ, & cum peruenerit ad alium locum vbi non est ieiunium, iam potest & carnes, & sapius comedere. Quia ibi certum est ieiunij præceptum non dari, neque præceptum locale Romanum, potest illum ligare extra Romam. Vnde non est similis casus, quia præceptum Romanum amisit certò possessionem & ius, quando Petrus è Roma proficiscitur, & in alium locum se confert. At vt diximus cum certitudine amissionis iuris non est compossibilis possessio certa, sicut est compossibilis cum probabilitate, vt in casu nostro dictum est.

Ex quibus satis clarè patet à fortiori non posse Petrum habere illum animum sequendi duas opiniones simul, quia non procedit bona fide dicens v.g. quando audit primum horologium, scio esse opinionem pròbabilem quod iam sit media nox, & aliam quæ asserit non esse mediam noctem & volo nunc comedere iuxta vnam opinionem, & iuxta aliam non comedere, vel non comedisse postquam comederim, vt possim communicare: quia non potest simul comedere, & non comedere.

Quod non volo alia ratione & authoritate quam Caramuelis confirmare qua etiam superius dicta corroborantur; ipse itaque fund. 18. sic docet. Puto Ministros & Officiales omnes quandiu in Dignitatibus collatis maneant obedire probabili legitimo superiori debere, aliàs haberent simul duas opiniones oppositas. Ordinariam enim superioris authoritatem confitetur, qui delegationem recipit, & in aliquo officio agit superioris Vicarium. At cæterorum subditorum vulgus debere obedire superiori probabili crediturus non sum. Sic in fundamento, & in suomet commentario. Ratio fundamentalis (inquit) est: quia tamen possim habere quamcumque opinionem probabilem seorsim, non coniunctim: nam vt simul duas habeam sententias, esse illæ debebunt comprobabiles & consistentes, aut aliàs in summa præcipitia perducent. Hæc ille, & ideo ait se positiones Theologorum censuræ subiectas vocasse *syntheses*, & ad probandum non posse simul duas probabiles sententias assumi, nisi sint comprobabiles. Reponit illum syllogismum supra à nobis propositum de distinctione inter relationes diuinas & attributa.

*si in alium  
ubi non est  
præceptū ieiunij  
proficiscitur  
est. ibique sape  
comedere &  
quare.*

25.  
*Concluditur  
numquam  
bona fide Pe-  
trum posse  
animum ha-  
bere sequendi  
duas simul  
opiniones op-  
positas, aut  
duobus horo-  
logijs se con-  
formare.*

26.

*Roboratur  
amplius ex  
doctrina Ca-  
ram.*

27.

*Is quis in  
vna actione  
iurisdictione  
concessit su-  
periori pro  
habili, nequit  
illum in aliis  
negare iuxta  
iuxta Ca-  
ram.*

*Quod tene-  
tur fieri  
tam de Mi-  
nistris dele-  
gatis, quam  
de cæteris  
subditis in-  
distinctione.*

*Ingressus na-  
uim cum solo  
diurnali, pro-  
babiliter co-  
tentus, nequi-  
uit de facto  
et simul ani-  
mum mutan-  
di opinionem  
habere.*

28.

*Quid tamen  
circa hunc  
casum di-  
scernat Ca-  
ram.*

*Historia Lu-  
ca 25. vult  
Caram. se  
meri.*

Vnde satis clarè ex sententia Caram. patet, non posse eum qui in vna actione concedit iurisdictionem superiori probabili, in alia, eam negare & per consequens à fortiori in eadem, velle illum habere nunc pro superiori, & postea non. At in casu quo quis sequitur opinionem probabilem, vult illum habere pro superiori; ergo non poterit eam non sequi pro eadem actione. Nec differentia in hoc vlla est inter eum qui delegatam iurisdictionem habet, ac subditum. Nam ideo ille non potest non obedire superiori probabili, quia in aliqua actione confitetur iurisdictionem ordinariam. Sed subditus, qui vnam actionem facit obediendo illi superiori, etiam fatetur ordinariam iurisdictionem: ergo non potest in alia actione eam negare: ergo multo minus in eadem: ergo si elegit vnam opinionem probabilem pro superiore, non potest eandem respicere pro alia, nec pro eadem actione.

Vnde ille qui ascendit nauim cum solo diurnali, & habuit intentionem sequendi illam opinionem, quæ docet diurnale sufficere, non potuit habere intentionem de facto & simul mutandi opinionem, & sequendi opinionem contrariam.

Sed quia Caram. quamuis illam doctrinam fundamentalem vt certam ponat, nihilominus casum hunc de illo qui ascendit nauim cum diurnali discutiens, videtur adhuc dubitare, & nolle eam esse certam. Audiamus quid dicat postquam casum propositum pro parte negatiua videbatur decidisse. Dicendum videtur, inquit, eum qui vult mutare dictamen, nondum mutasse physicè sed virtualiter, moraliter, aut interpretatiuè: atque adeò non posse cum tali intentione nauim ingredi sine breuiario; & statim subdit. Dixi, videtur eum; semper enim remanent dubia, quæ indigent solutione. Quid enim si dixero Paulū de facto cum ingressus fuisset nauim habuisse intentionem vtendi diurnali, & opinionem quæ docet illud sufficere fuisse secutum. Et interim habuisse etiam de facto intentionem mutandi opinionem, & sequendi opinionem contrariam. Quid si hoc probauero ex Euangelicæ historiæ periodo, quam coherere cum prædictis fortè nullus aduerterit. Narrat Euangelij sui cap. 25. Lucas, quo Christus modo Emauntinis apparuerit, & tandem fuerit agnitus in fractione panis. Adibant Emaum illi cogitabundi & tristes, & Christus sub peregrini specie se illis adiunxit, & cœpit cum illis  
de

de passione, resurrectione, & mundi redemptione differere. Cœpit simul & audiri, & amari. Et vt verba formalia quæ mea referunt ponam. *Appropinquauerunt Castello, quo ibant, & ipse (Christus) finxit se longius ire, & coegerunt illum dicentes: mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies, & intrauit cum illis, &c.* Recognoscunt interpretes istam periodum: & quia illud verbum *finxit* non potest intelligi grammaticaliter, debere Theologicè discurre. Sed quomodo? Et paulo postquam ex hoc loco non posse deduci restrictiones mentales putat se ostendisse; subdit. Puto tamen ego hinc primò persuaderi posse dari duas voluntates contrarias simul saltim conditionatas. Quod etiam quotidie experimur. Non enim video cur Franciscus non possit visitare Ioannem cum intentione manendi, si instantissimè oretur, & progrediendi vltcrius si non vtgeatur? si talem Christo voluntatem concesseris sine mendacio aut restrictione mentali potuit dicere volo progredi vltcrius, nolo manere hic, habeo cur festinem, & vltcrius progrediar; & postea oratus, obrogatus, cessante videlicet causa ob quam volebat progredi, potuit dicere, ergo siquidem desideratis manebo. Subdit: accessi ad meum conceptum, nondum exposui, iam ingredior, sic inquam. Ego fortè possẽ illas duas voluntates conditionatas habere, quia actiones alienas non præscio, at Christus benè sciebat discipulos se visuros esse. Ergo simul habuit voluntatem progrediendi: vltcrius, & absolutam voluntatem priorem voluntatem mutandi. Eamdẽ habebit Petrus cum Ioannem visitat cum voluntate absoluta non manendi apud ipsum, nisi rogetur, scit tamen certò moraliter se esse rogandum. Igitur non videtur repugnare quod aliquis de facto velit vnam rem, & nihilominus habeat concomitans propositum voluntatem mutandi. Igitur in hoc casu erit verum dicere. Petrus de facto adhæret huic sententiæ probabilis. Petrus de facto non adhæret oppositæ, Petrus habet propositum adhærendi post duo minuta oppositæ, Petrus illi, cui nunc non adhæret post duo minuta adhærebit de facto.

*In Christo fuisse voluntatem conditionatam manendi apud Discipulos, si id ipsi precarentur; sin minus progrediendi vltcrius.*

*Eandẽ voluntate in Petro statuta, inde in eo statuit cum adhesionẽ ad vnam, animum mutandi sententiã post aliquod tempus.*

Hæc tota mentis Caram. expositio, quæ mihi videtur, suo fundamento contraria. Nam cur de eo, qui habet Iurisdictionem delegatam, non poterit idem dici? Atque adeo sine differentia

*Fundamentum suum ipse Caram. diruere videtur.*

rentia vlla à subdito poterit obediri de facto superiori probabili, quando eum constituit Vicarium, & animum mutandi voluntatem quando ipsi aliquid præcipiat habere. Ergo vel fundamentum Caram. ab ipso diruitur, vel hæc doctrina falsa est, aut saltem æquiuoca.

29. Ego quidem negari non posse credo esse possibiles illas duas voluntates conditionatas, quæ primò ponit in Francisco visitante Ioannem, si rogatus fuero manebo, sin minus pergam; quod vno actu fieri etiam posse negari nequit. Et in facto Christi fuisse illam voluntatem absolutam ex præuisione instantiæ discipulorum, exteriusque se gessisse ac si habuisset illas duas voluntates, vel vnam conditionatam circa duo illa obiecta manendi vel progrediendi, quidquid sit pro nunc de restrictionibus mentalibus. Sed quomodo hoc factum cohæreat cum præsentī casu non video, nec quomodo ex eo inferatur posse Petrum habere duas voluntates efficaces absolutas ex eo quod possit habere duas conditionatas, vel vnam de duobus obiectis, scilicet manebo si rogatus fuero, pergam si non fuero rogatus. Neque ex eo quod Christus D. habuerit illam conditionatam voluntatem eandem longius si non rogaretur, & absolutam manendi ex eo quod se visurum esse discipulos præsciuisset, sequatur Petrum posse habere illas duas voluntates sine peccato, cum ex illis sequatur inobferuantia præcepti. Quod non concurrir in rebus liberis, & quando præceptum aliquod non intercedit.

*Nec Luca narratio nec Caram. expositio casui nostro adaptari valent.*

30. Sed antequam resolutionem Caram. proponam, aduerto primò, quod licet per consequentias possit deduci ex Sanchez quod Caram. aitià Sanchez tamen expressè non doceri, eum qui habet breuiarium secum ducere diurnale relicto breuiario vt ipse videtur supponere in propositione casus comment. in Reg. Benedic. disp. 117. Quod vt appareat pono verba Sanch. lib. 1. cap. 9. quem locum citat Caram. vbi dubitans quando non potens implere totum præceptum teneatur ad partem, ait num. 8. Secundò deducitur, non esse vniuersaliter verum quod tradit Nauarr. nempe irridendos esse eos, qui se à recitandis matutinis excusatos esse censeant, quod Breuiario careant, in quo lectiones & tantum responsoria recitare valeant, si tamen Psalmos recitare possint; quippe cum respectu singularium horarum præceptum

*Expenditur Sanch. circa eum qui breuiario relicto secum portat diurnale etc.*

præceptum sit de re indiuidua, non est confugiendum ad potentiam maioris partis horæ recitandæ vt ea ad se minorem trahat, sed spectandum est an recitata parte possibili censeatur integrè moraliter ei præcepto satisfactum, ita vt voluntaria alterius partis omissio non esset mortalis iuxta regulam num. 5 traditam. Certè si Matutinum esset feriæ, vel sancti simplicis, credo eos excusari: quia omissio trium lectionum, & earum responsoriorum, quæ ad integrum matutinum desiderantur, esset parua materia, ac proinde moralem matutini integritatem non tolleret; secus si esset Matutinum festi duplicis aut semiduplicis, in quo nouem lectiones & octo responsoria omittenda essent, tunc enim, cum ea sit pars notabilis, qua omissa non satisfat integrè moraliter præcepto, ideò nullatenus id præceptum obligat. & conclus. 2. n. 9. addit, quod quando ex Breuiarij defectu non potest integrè officium recitari; tunc quæcumque hora Canonica possit recitari, tenetur ad illam recitandam; qua ergo ratione potest dici à Caram. loco citato num. 447. Petrum maioris commoditatis causa reliquisse Breuiarium, & secum tulisse diurnale, sequens sententiam Sanchez asserentis legentem ea quæ sunt in diurnali, Officio diuino satisfacere. Cum neque hoc Sanchez dicat absolute nisi ex defectu Breuiarij, & solum in Matutinis feriæ vel Sancti simplicis, & rationem reddat: quia quæ in his diebus omittuntur ex Matutino esset parua materia.

*Non fideliter omnino Sanchez sententiam supponit Caram.*

Secundò noto in eadem sententia, esse Ioannem, Sanchez, solum dissentire à Thoma, quatenus asserit illam esse paruam materiam in officio feriali, vel Sancti simplicis & non in aliis; & vult eodem modo non teneri ad recitandum matutinum (nam de aliis horis non loquitur, nec dubitat teneri) in feria ac in festo trium lectionum ac in festo nouem lectionum, quia omissio trium lectionum & responsoriorum in Matutino est in qualitate materia grauis, licet in quantitate sit minor. Audiamus illum disp. 15. num. 2. At (inquit) si materia pœnitentiæ aut voti sit indiuidua v g quod Matutina hora reciteretur absque laudibus, qui non posset Psalmos & lectiones recitare, non teneretur ad quodlibet seorsum, vt docet Garcia sup n. 22. i. quamuis Nauar cap. quando de consecrat. dist. 1. num. 15. hanc irrideat opinionem. Eam tamen docet Sancius in sum. lib. 1. cap. 19. num. 8. licet dicat te-

31.

*Expenditur sententia Io. Sanchez circa eundem casum. Et in quo discrepet à Thoma.*

neri ad Psalmos quando officium recitaretur de feria, eo quod tres lectiones & responsoria modica reputetur materia, quæ sufficiens non est ad moralem integritatem Matutini tollendam.

*Omissio lectionum cum responsoriis feria aut sabbati simplicis parua materia non est iuxta hunc D.*

Quod mihi non probatur: nam esto respectu Psalmorum sit minor pars, est tamen maxime principalis & substantialis, ita ut absque lectionibus non adsit Officium Canonicum, aliqua enim in quantitate minora aliis, non cedunt illis in qualitate. Hæc Ioan. Sanch. ubi sententiam Thomæ Sanchez contra Nauarr. probat.

32.

*Aperitur amplius menses Thom. Sanchez.*

Tertiò, aduerto, Thom. Sanch. non loqui de eo qui ascendit nauim, sed absolute de eo qui breuiario caret, siue in mari siue in terra. Sed quia Thom. Sanch. iudicat esse paruam materiam omissionem lectionum feriae, quia etiam voluntariè (hoc est ab habente breuiarium) ommissa non tolleretur integritatem officij, concedere videtur (quod credo non dicturum, si prauideret à Caram. pro suo sensu esse citandum generaliter) satisfieri præcepto feriae & Sancti simplicis, quando leguntur ea quæ sunt in diurnali, licet quis habeat Breuiarium; & Ioan. Sanch. asserit non satisfieri ex eo quod sit grauis materia.

33.

*Supponenda quaestiois ergo.*

Supponamus pro quaestione exagitanda omnes dies esse feriales, vel Sancti simplicis: vel iungamus huic sententiæ illam quæ asserit satisfieri præcepto etiam festi duplicis dicendo officium feriale. Ex quo fit ut satisfiat dicendo ea quæ sunt in diurnali habente Psalmos; sequitur quod in quolibet die satisfiat præcepto lectionis horarum legendo quæ sunt in diurnali, licet hoc non dicat absolute Sanchez ut vidimus.

34.

*Proponitur casus generalibus terminis*

Quibus annotatis casus iam non solum exagabitur, de Petro ascendente nauim, sed de quocumque homine obligato ad recitandum officium diuinum. An scilicet Petrus adhærens hic & nunc sententiæ dicenti omissionem lectionum matutini esse materiam paruam, possit non habere secum Breuiarium, quia in diurnali sunt cætera omnia quibus moraliter datur officium Canonicum, possit etiam habere animum post duo minuta adhærendi opinioni contrariæ Ioan. Sanchez asserentis esse materiam grauem, & non satisfieri præcepto, etiamsi legantur quæ sunt in diurnali & per consequens deobligatus sit à lectione matutini.

Et resolutio debet esse negatiua; cuius ratio fundamentalis ex doctrina Caram sumitur; quia ille sequeretur duas opiniones probabiles, quæ tamen comprobabiles non sunt: nam qui dicunt diurnale sufficere non admittunt eum posse non recitare si habeat diurnale. Et qui dicunt non sufficere non admittunt eum posse derelinquere Breuiarium; ut patet hoc syllogismo: Petrus potest solo diurnali vti ad diuinum officium; sed solum diurnale non sufficit, ergo Petrus non tenetur ad soluendum officium. Prima præmissa est probabilis ex doctrina Thomæ Sanchez deducta. Secunda est probabilis ex Ioan. Sanch. Et tamen consequentia contra vtramque sententiam, quia vtraque obligat Petrum ad recitandum & ipse dimidiatim vtendo illis vult ab onere legendi officium se eximere. Non ergo potest ex duabus sententiis vnã componere, aliã in præcipitium rueret.

*Qui diurnalis  
consensus,  
nunc proba-  
biliter opinã  
sufficere. Bre-  
uiarium re-  
linqueret, si  
cũ animo mu-  
tandi post opi-  
nionem pro-  
cedat, num-  
quã ea, quo-  
minus peccet,  
inuabitur.  
Probatũr.*

35.  
*Confirmatur*

Sic similiter in materia ieiunij posset quis dicere aliqui dicunt duas vncias cibi esse materiam paruam, & ieiunium non frangi earum comestione, alij dicunt esse materiam grauem, & ieiunium soluere. Potest Petrus comedere duas vncias sequendo opinionem quod est materia parua, & postquam comedit, imò dum comedit habere animum adhærendi opinioni quæ dicit eam esse materiam grauem. Et cum ille qui semel comedit materiam grauem iam ieiunare non possit, dicere, ego sum liber à ieiunio. Minimè, minimè: quia de eadem comestione vult verificare duas propositiones, contradictorias, est materia grauis, & non est materia grauis: diurnale sufficit, diurnale non sufficit ad officij debitum soluendum. Et vti parte vnus sententiæ, & parte alterius, nempe ieiunium non frangi comestione duarum vnciarum cibi, quia est parua materia; & ieiunium solui illarum comestione, quia est materia grauis. Et cum vtraque obliget illum ad ieiunandum, neutri adhæret non ieiunans: quia prima dicit etsi comedat duas vncias tenetur ieiunare, & altera dicit non potest comedere duas vncias, quia tenetur ieiunare. Et ipse vult vti sententia asserente esse materiam leuem vt possit comedere, & sententia asserente esse materiam grauem vt possit non ieiunare.

Deinde, Petrus per te de facto adhæret sententiæ asserenti sufficere solum diurnale, & habet voluntatem efficacem adhæ-

36.  
*Confirmatur  
amplius.*

rendi post duo minuta sententiæ oppositæ ; at sententia opposita asserit debere secum ferre Breuiarium , ergo debet Breuiarium ferre, aliàs non conformat se cum sententia opposita, ac per consequens peccat, quia habet animum non soluendi officium, quod soluere debet in vtraque sententia; cum ex vno capite habeat propositum non vtendi diurnali quod fert, & ex alio non ferendi Breuiarium. Vnde cum neutra sententia se conformat pro officio persoluendo ; sunt enim hæ duæ propositiones veræ. Petrus habet animum se conformandi cum sententia asserente non sufficere diurnale ; & hæc : Petrus habet animum se non conformandi cum ea quæ asserit diurnale sufficere, vnde operatur ac si non vellet ferre Diurnale nec Breuiarium.

37.

*Roboratur  
ultimo.*

Ex quo sic rursus argumentor. Ex eo quod habet animum se conformandi cum illa secunda opinione in parte, scilicet quatenus dicit non sufficere diurnale, non sequitur deferre secum Breuiarium, etiam quia habet animum se non conformandi cum illa, quæ dicit sufficere diurnale, poterit secum non ducere diurnale, ac per consequens neque tenebitur ducere secum diurnale, neque Breuiarium. Quod est implicatorium & in fraudem præcepti ; nulla enim ex duabus opinionibus dicit posse Petrum non deferre Breuiarium nec diurnale, & ex earum commutatione hoc sequitur, vt patet ex hoc discursu ; ideò Petrus non tenetur ducere Breuiarium, licèt habeat animum se conformandi post duo minuta cum opinione asserente diurnale non sufficere, & Breuiarium requiri, non vult cum illa se conformare quatenus ait requiri Breuiarium, sed quatenus ait non sufficere diurnale : ergo neque tenebitur ducere diurnale, quia solùm conformatur de facto cum ista sententia quatenus dicit non requiri Breuiarium. quia iam habet animum non se conformandi cum ista sententia quæ dicit sufficere diurnale. Nugæ, nugæ sunt, & nodis implicantur quæstiones morales & conscientiæ : Debet ergo sequi vnam vel alteram sententiam in totum : quia ambæ conueniunt in hoc quod tenetur recitare, & vtrique non conformatur, cum vult se liberare ab onere recitandi dimidiatè illis vtendo.

Sit ergo certum, quod neque simul neque successiuè potest quis vtī duabus opinionibus probabilibus, ex quarum coniunctione

iunctione sequitur omiſſio rei præceptæ, & præcepti inobſeruantia; quia cenſendum eſt rationabiliter superiores has nugas prohibuiſſe, nec poſſe à ſubditis his tergiuerſationibus præcepta illudī ſuperiorum.

-----

QVÆSTIO X.

*Quando vnica actione duobus præceptis ſatisferi poſſit.*

**N**ON dubitamus an ſatisferi poſſit, ſed quando: illud ſuppono vt certum apud omnes Theologos: & eſt euidentiffimum: nam in præceptis negatiuis non poſſumus duobus præceptis niſi vna actione ſatisfacere, vt patet in Vigilia S. Matthæi, ſi veniat in vna ex feriis quatuor temporum. Sunt enim duo præcepta ieiunij, vel potius tria, primum abſtinentia à carnibus: ſecundū ieiunij ratione Vigiliæ: tertium ieiunij ratione Feriæ quatuor temporum. In præceptis verò affirmatiuis poſſe id fieri, quod in negatiuis certum eſt non poſſe aliter fieri, eſt etiam certum: nam ſi dies Dominicus ſit etiam dies S. Petri, teneor audire vnā Miſſam, non duas; & vtrique præcepto ſatisfacio. Quid ergo dubitatur? An ſcilicet hoc ita ſit generale, vt quocumque modo vel die duo præcepta coniungantur, poſſimus vtrique eadem actione ſatisfacere.

I.  
Sapè vna  
actione ſatis-  
feri poſſe  
duplici præ-  
cepto certum  
eſt.

An hæc do-  
ctrina ſit om-  
nino genera-  
lis, dubium.

Pro cuius quæſtionis altiori intelligentia ad caſus particulares neceſſariò deſcendendum eſt. Vbi vel in quolibet ſpecialis ratio differentiæ vel diſparitatis inuenienda eſt, vel generaliter aſſerendum poſſe vnica actione duobus præceptis ſatisferi, quotieſcumque, & quomodocumque duo præcepta coniungantur.

## PRIMVS CASVS.

## §. I.

## De Annua Confessione &amp; Communione.

2. Sic scribit Caram. fund. 31. num. 2. Præcipit Ecclesia vt singulis annis confitearis, & Sanctam Eucharistiam recipias, & determinat tempus, nempe à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam Quasi modo: ergo his diebus poterit Petrus communicare vt satisfaciat præcepto anni elapsi, ergo his etiam diebus poterit vt satisfaciat præcepto anni futuri. Ergo si bis communicet, semel pro anno priori, & semel pro posteriori, duobus præceptis & pro duobus annis satisfaciet. Admittuntur hæ tres consequentiæ communiter; sed quid si semel tantum communicet? An vnica illa Communione pro duobus annis satisfaciet? Probabilissima est assertiua sententia.

*Vnica Confessione & Communione posse pro duobus anni præcepto fieri satis probabilissimum in dicit Caram.*

3.

*Id non videtur ita probabile de Communione, ac de Confessione.*

Sed pace tanti viri, mihi non videtur ita probabilis hæc doctrina respectu communionis, ac respectu confessionis; quidquid enim sit de confessione (de qua postea) respectu communionis consequentias illas veras non esse credo. Nam præceptum communionis in hoc differt à præcepto confessionis, quod præceptum communionis alligatum est tempori Paschatis, nec satisfacit quis præcepto communicandi, si in die S. Petri, vel die Natalis Domini communicet: at præceptum confessionis quocumque die anni impleri potest; quod patet ex ipsis verbis præcepti, quæ sequuntur. *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & iniunctam sibi penitentiam studeat pro viribus adimplere. Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum.* Quibus verbis satis clarè discernitur ad confessionem totum anni tempus designari, ad communionem verò tempus Paschatis præfigi; & hæc est probabilior sententia.

4.

*Imo certum videtur vni-*

tur non posse satisfieri præcepto duorum annorum vnica communionem.

munione. Nam Pascha anni quinquagesimi sexti siue habeat tres dies siue quindecim non est nec esse potest Pascha anni 58. Pascha enim 58. est post annum à Paschate 57 & habet alios quindecim dies ; at Concilium expressè docet vt singulis annis communicemus in Paschate ; ergo singulas communiones pro singulis Paschatibus requirit. Hoc mihi tam euidentis est , vt nulla alia probatione indigere videatur.

*cam Cōmunionem pro duplici anno haud sufficere.*

Libet tamen pro maiori declaratione supponere , solum primum diem Paschatis præfixum esse communioni. Possent quis in Dominica Resurrectionis vnica communionem satisfacere pro Paschate anni 57. & 58. Minimè ; at illi quindecim dies pro vno reputantur in ordine ad præcepti adimpletionem ; est enim priuilegium Ecclesiæ vt nemo possit se excusare à communionem, dare illud tempus , & priuilegium non debet extendi in fraudem præcepti : ergo nemo siue semel, siue bis communicet illis quindecim diebus , excusatur à communionem anni sequentis, quia est aliud Pascha , & aliud præceptum respicit illos dies ; sicut auditio sacri : non enim possent auditionem Missæ in illa die satisfacere pro auditionem Missæ in die Paschatis anni currentis & futuri, numquam enim possent dici quod illi dies sunt duorum Paschatum, sed vnus : ergo similiter in communionem.

Quòd si insistere velis in hoc quod præceptum communionem non sit alligatum tempori Paschatis , sed habeat pro tempore habili ad sui adimpletionem totum annum , atque adeo in quolibet die anni possit Christianus eius obligationem satisfacere , sicut in præcepto confessionem. Vt tibi morem geram hoc supponere volo ; vnde quod de confessionem dixerim , hoc de communionem dictum volo in hac parte. Suppono etiam quaestionem esse inter DD. an annus iste sit terminus executionem præfixum , ne scilicet vltra differatur confessionem , ex quo fit vt etiam elapso anno teneatur quis confiteri ex præcepto anni elapsi. An verò sit onus anno ita affixum , vt anno elapso , iam quis confiteri non teneatur, quamuis culpabiliter omiserit confessionem & communionem ; sicut qui omisit auditionem sacri die Dominica , non teneatur in die sequenti audire Missam pro Dominica.

Noto etiam quaestionem esse inter DD. an annus confessionem nis computandus sit à Paschate in Paschatem , an à prima die

Januarij

5.

6.

7.

*Variant DD. in computando confessionis anno.*

Ianuarij ad vltimum Decembris. Alij vno modo, altero alij annum computant; sed pro nostra quæstione supponendum est, ab Ecclesia dari octo vel quindecim dies post Pascha, v. g. vel post vltimum diem Decembris ad implendum præceptum annuæ confessionis & communionis, vt in vtraque sententia locum habeat quæstio præsens. Ex hoc autem quod isti octo vel quindecim dies concedantur illis, qui non sunt confessi, non debent auferri illis qui confessi & communicati sunt; ex quo sequitur quod si quis in vltima die Decembris vel in die Paschæ anni 57. confiteatur, & communicet, satisfacit præcepto anni 57. & si primo die Ianuarij anni sequentis, vel die secundo Paschæ qui iam est anni sequentis in rigore confiteatur satisfacit anno 58.

8. Ex quo insurgit difficultas an vnica confessione & communionem censerit possit satisfacisse præcepto vtriusque anni: nam illa confessio verè est moraliter anni elapsi, & Physicè anni currentis; vnde videtur posse pro vtroque anno valere.

9. Pars negatiua est omnium Theologorum, qui sentiunt confessionem esse onus anni, sicut auditio sacri est onus diei; quia si supponatur illud tempus esse anni physicè elapsi, dicunt iam non posse deseruire pro anno sequenti. Si verò dicantur fieri pro anno currenti, dicunt non sufficere pro anno elapso; ex eo quod licèt illi dies sint seorsim deputati, pro quolibet anno seorsim, non tamen pro duobus annis simul; sic Suarez, & alij.

10. In sententia verò asserente non esse onus anni, sed habere annum pro termino ne vltra differatur; licèt multi negent posse deseruire pro duobus annis; nihilominus pars affirmatiua videtur reddi probabilis, ex doctrina quam nonnulli DD. & præcipuè Card. de Lugo disp. 15. de pœnit. sect. 7. num. 180. probat. Dubitans enim, an ille, qui toto anno non fuit confessus teneatur statim elapso anno confiteri? affirmatiuè respondet eo quod onus confessionis habet annum pro termino ne vltra differatur, non tamen pro termino affixo, quo transacto, transit obligatio; qua doctrina supposita iterum dubitat, an ille qui confessus fuit post annum elapsum, v. g. 57. in principio anni 58. teneatur iterum confiteri dicto anno 58. Ipse contra Coninch & alios docet non teneri, quia ille verè fuit confessus anno 58. quia aliàs sequeretur quod si ille qui vno anno omisit, teneretur in sequenti bis confiteri,

confiteri, ille qui tres vel quatuor vel decem annis omiserit, teneretur quater vel decies in vno anno. Ex qua doctrina rectè colligitur; quod ille qui confessus est statim elapso anno satisfecisse præceptis duorum annorum; quia ex sententia Lugonis & aliorum cum ipso sentientium, tenebatur id facere ex præcepto anni elapsi 57. & ei satisfecit: ex alio capite deobligatur à confessione anni 58. ergo illi etiam satisfecit. Licet autem mihi contraria sententia magis placeat, neque ex ea sequi putem eum, qui tribus aut quatuor annis omisit, teneri in vno ter, vel quater confiteri, vt dicam postea; num. 19. concedo probabilitatem huius sententiæ, vt ad alios casus, quos ex hac doctrina vult deducere Caram. nos transferamus.

SECUNDVS CASVS.

§. II.

*De Confessione mensura.*

**I**N multis ordinibus regularibus præcipitur Religiosis vt minimum semel in mense confiteantur. Potest Religiosus menses à quocumque die computare: ergo incipit à decimo Ianuarij: & sic inquit. 10. Februarij cōfitebor: ergo si faciat, satisfaciet pro elapso mense. Sed eadem dies, quæ est vltima antecedentis, mensis est subsequētis prima: ergo si confiteatur illa die bis iterū pro priori mense, & iterum pro posteriori, satisfaciet obligationi duorum mensium. Qui dicunt Christianum vnica Confessione aut Communione posse pro duobus annis satisfacere, aut in consequenter loquentur, aut debebunt concedere Religiosum vnica Confessione satisfacere posse pro duobus mensibus.

II.  
*An Religiosus qui semel in mense confiteri tenetur, vna pro duobus satisfacere valeat?*

Sed nos consequenter negamus id fieri posse ab inferiori, nisi adsit licentia superioris concedentis illos dies pro vtroque mense. Sed dato quod ita sit, eodem modo discurrendum esse in hoc ac in casu Confessionis concedo: quia non est onus affixum mensi, sed terminus ne vltra differatur Communio.

## TERTIVS CASVS.

## §. III.

*An unica Officij diuini lectione duorum dierum obligationi  
satisfieri possit.*

12. *Verum unica officij diuini lectio dupli diei sufficit? Supponida ad quaestionem.*

**P**ro decisione quaestionis supponitur vt certum primò posse Ecclesiasticos Vespere sine peccato legere Matutinum & Laudes pro die sequenti. Secundo supponitur posse etiam legere Matutinum & Laudes diei praesentis. Tertio posse eisdem dies immediatos habere eisdem Psalmos, & fortè lectiones in Matutinis, vt patet in octauis, vt Paschæ, & Corporis Christi, & in octauis Sanctorum qui celebrantur cum octaua, & non habent proprias lectiones, in quibus ex praescripto rubricæ reperiuntur in secundo & tertio Nocturno eadem lectiones. Tandem supponitur quod qui bis legeret satisfaceret Matutinis vtriusque diei.

13. *Resolutionem differt Caram. & difficillimam censet.*

His positis dubitatur, an si semel legat possit satisfacere vel habere intentionem satisfaciendi vtriusque diei obligationi? Et eruditissimus Caram. postquam argumenta sententiæ negantis & asserentis proposuit ac soluit, concludit dicens: dissolui vtriusque partis argumenta, necdum controuersiam resolui: satisfeci rationibus dubitandi, sed nondum dubio. Postulas censuram, quamcumque partem elegero videbor singularis. Totius Ecclesiæ praxis fauet parti neganti, licet non expressè: Asserens rationi innititur cui multi cum satisfaciunt, sibi non satisfaciunt. Cæterum an sit probabilis sententia affirmans, esto aliorum iudicium. Scribent iuniores, nouæ rationes inuenientur, nouæ resolutiones, & sic olim quaestio decidetur, quæ in praesenti vix potest.

14. *Negatiua tamen sententia primò Ecclesia expressa praxi subicitur.*

Nihilominus sententia negans omnino tenenda est, & in praesenti potest optimè decidi. Primò, quia habet pro se praxim totius Ecclesiæ expressam. Quid enim est expressa praxis, nisi quæ expressè practicitur ab omnibus viris Ecclesiasticis doctis, timorata

ratae conscientiae, & optimi iudicij, à quibus alij edocentur.

Confirmatur, nam sententia affirmans nullum habet Doctorem: ergo saltem ab extrinseco non est probabilis. Consequentia est doctrina Caram. nam ipse non vult probabilitate gaudere sententiam aliquam, quæ non habeat saltem quatuor vel sex DD. sic enim habet num. 2. Tu amice Lector ne festines, & sta seueriori sententiae, quousque pro benigniori quatuor vel sex authores habeas: ergo hodie ista sententia affirmans caret autoribus, quæ probabilem illam reddant. Vnde probo etiam antecedens: nam, per te, tu esses singularis, si eam sequereris: ergo nondum habet aliquem authorem; quia nec tu absolute sequeris illam; quod de sententia contraria dici nequit, quidquid ipse dicere velis: nam quotquot sunt authores, dixerunt deberi singulis diebus suum officium; hoc practicarunt omnes, qui de hac materia scripserunt, & quotquot officij diuini recitandi obligatione tenentur.

*Sententia affirmans ab extrinseco non est probabilis.*

Secundò, quia æquitati consonat Sum Pont. in his præceptis voluisse ad duo officia persoluenda obligare: ergo tenetur quis ad duo officia, nec vno pro duobus satisfaciet: sed vnde hoc scitur, inquis; qui Pontifices de hac materia consulti demonstrantur? Quando & cui suam intentionem explicarunt? An non eodem modo dici posset in Festo S. Petri, si in Dominica incidat, duas deberi Missas audiri, eo quod certum sit hanc esse voluntatem Pontificis? diceretur equidem, sed non probabitur. An non eodem modo reiici possent opiniones asserentes vnica confessione & communionem posse duobus præceptis duorum annorum & duorum mensium satisfieri? posset quidem id dici, sed non posset probari; ita ille.

15.

*Sententia negatiua de mente legislatoris iurata stabilitur.*

Sed contra, nam certum esse præcepta de diuinis officiis exposcere duplex officium, & præcepta de audiendo sacro vnica tantum Missa esse contenta, etsi incidat in diem Dominicam Festum S. Petri, videtur mihi facile probari posse, si rem attentè examinemus. Probo in primis præceptum de horis legendis exposcere pro quolibet die distincto distinctum numero officium. Nam certum est officij diuini lectionem esse onus affixum diei: vnde si non esset introducta consuetudo vel priuilegium concedens vt Matutinum & Laudes possent dici in Vespere, tenere-

16.

*Præceptum de horis legendis pro quouis die distincto, distinctum officium efflagitat.*

mur ad duo officia recitanda : ergo signum est quod voluntas legislatoris fuit ad hoc obligare ; at privilegium vt possim ego anticipare solutionem non debet esse in fraudem legis : ergo.

Confirmatur ; quia certum est non posse recitari totum officium diuinum diei sequentis in Vespere sicut Matutinum : ergo habemus voluntatem expressam legislatoris quoad duplex officium diurnum ; sed non habemus aliam nisi quia praecipit duplex officium absolutè ; & argumento tuo aequè probaretur etiam posse officium diurnum dici vt nocturnum in vigilia : ergo, Anteced. & prima consequentia à Caram. non negatur. Minor ostenditur, quia nulla est maior ratio cur illud Vesperum sit tempus habile ad recitandum Matutinum & Laudes, quam Primam, &c. ideo enim est tempus habile ad Matutinum, quia verè moraliter incipit dies festus à Vesperis, vt ex S. Thoma tu ipse doces. At eo ipso quo aliqua hora est diei festi, possum ego recitare totum officium, & satisfacio, quia anticipatio horarum non est contra praecipitum, vt patet in eo qui immediatè post mediam noctem diceret officium vsque ad Completorium, inclusiuè : ergo si hora quarta post meridiem est diei sequentis, potero recitare totum officium non secus ac Matutinum.

17.

Dices hanc esse differentiam, quod dies pro diurnis horis complectitur interuallum temporis à media in mediam noctem ; pro nocturnis verò à Vespere primi diei ad mediam noctem subsequens. Rogo, quis Pontifex super hac differentia consultus sit, cui aliquis Pontifex intentionem suam reuelauit. Vnde hoc nisi ex Ecclesiae praxi colligitur, quae non est magis expressa quam in eo quod Matutinum diei sequentis non deseruiat pro die physico in quo dicitur quando dicitur in Vespere, sed pro Ecclesiastico, qui à Vespere incipit : ergo si praxi Ecclesiae standum est in hac computatione, & pro hac est expressa, etiam in adimplerione officij diuini legendi standum erit, & erit expressa ; ita vt sicut non possunt illae horae deseruire pro recitandis horis diurnis, ita non deseruiant illae horae Canonicae nocturnae quae dicuntur in illis horis physicis pro die physico in quo dicuntur, sed pro Ecclesiastico, qui tunc iam à Vesperis incipit.

18.

Consuetudo (inquit) interpretata est cum scientia & patientia legislatoris, vt officium diurnum non recitetur his horis, sed tantum

tum nocturnum, idque omnes viri timoratae conscientiae secuti sunt & à maioribus nobis hæc consuetudo peruenit: idem dico, idem formalissimè. Et ideo sicut non possum satisfacere horis diurnis quas hodie recito pro horis diurnis diei sequentis, licet inceperit dies, quia dies incepit pro nocturnis, non pro diurnis; sic non potest satisfacere horis nocturnis diei sequentis cum horis nocturnis diei præcedentis vel currentis, quia usus obtinuit, & consuetudo non est introducta ut duobus vnica lectione satisfaciat.

Ostendo deinde non ex eo quod dicatur vnica confessione & communionem posse satisfieri præcepto duorum annorum, sequi posse vna officij lectione satisfieri præcepto duorum dierum; neque ex eo quod hoc negetur illud etiam negari debere; quia inter duos casus datur non leuis differentia: nam siue præceptum annuæ confessionis sit onus anni, siue non, sed terminus sit ne ultra differatur non possum non satisfacere præcepto annuæ confessionis duorum annorum vnica confessione. Etenim sicut non possum bis ieiunare in eodem die, ideoque satisfacio duplici præcepto ieiunij quando vigilia S. Matthæi incidit in Feriam sextam quatuor temporum, ideoque satisfacio vtrique præcepto vnico ieiunio; sic possum in confessione discurrere.

19.  
*Cur eadem confessio pro duobus annis sufficiat, eadè vero lectio officij pro duobus diebus minima satisfaciat.*

Pro cuius declaratione suppono: me non teneri ad confitendum nisi peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt eo tempore quo Confessionem facio. Secundò me non posse peccata vnus anni confiteri in vna Confessione, & differre in aliam peccata alterius anni, quia esset mala confessio; sed teneor omnia peccata quorum reus sum confiteri.

20.

Hinc iam accedo ad explicandum conceptum meum: Et ponamus hominem, qui non est confessus per decem annos, iste quidem non potest non satisfacere vnica Confessione pro decem annis, quia in prima Confessione tenetur omnia decem annorum peccata confiteri: ergo si bonam Confessionem faciat, iam non potest obligari ad aliam confessionem, quia iam non habet peccata quæ confiteri teneatur. Hinc facilè applicatur doctrina ad eum qui per vnum annum integrum non confitetur, & postea immediatè in primo die anni sequentis, vel in diebus ab Ecclesia concessis confitetur: nam per vniam confessionem con-

fitetur peccata vtriusque anni, & iam caret peccatis quæ confiteri teneatur, & per consequens non tenebitur præcepto anni sequentis, quia in illo confessus est.

21.

Quod etiam verum est licet confessio sit onus anno affixum. Quia tunc se habet veluti ieiunium incidens in eundem diem ex duplici præcepto, quod non potest bis fieri: quia etiam confessio non potest bis fieri de mortalibus, quia si dimidiaretur esset mala.

22.

*An semel confessus de peccatis anni præteriti, anno quo fuit confessus, si iterum labatur in mortalia, teneatur iterum confiteri?*

Sed quid (inquires) si ille homo iterum labatur in peccata mortalia in prædicto anno, & in confessione quam fecit, nullum habuerit peccatum anni præsentis, sed præteriti. Respondeo, hoc iam pertinere ad alium casum & dubium. Nam dubitant DD. an ille qui tantum confessus est venialia, vel iam confessus est mortalia, & postea intra eundem annum item mortalia committit, teneatur iterum confiteri. In quo casu ex alio capite diuiduntur DD. & alij affirmant, alij negant. Commune est eum qui semel confessus fuit mortalia, non teneri etiam si iterum labatur, ex vi inquam præcepti confessionis, quia solum semel præcipitur confessio eorum peccatorum quæ vsque ad confessionem commissa sunt. Ex quo confirmatur, quod ille satisfecit si peccata mortalia etiam præcedentis anni confessus fuit primo die anni sequentis; quia illa sunt verè peccata quæ memoriæ occurrunt in hoc anno; neque enim præceptum respicit tempus in quo peccata commissa sunt, sed in quo confitentur.

*Confessus de venialibus si mortaliter peccet, iterum confiteri tenetur.*

Tum etiam est commune eum qui tantum confessus est venialia, si labatur in mortalia, teneri. Vnde etiam confirmatur resolutio nostra; quia ille qui confitetur in anno præsentis peccata anni præcedentis non potest dici sola venialia fuisse confessum & per consequens deobligatur præcepto anni præsentis in quo fecit confessionem.

23.

*Cur unica actio duplici audiendi sacri præcepto satisfiat, secus vero duplici recitandi mandato.*

Hinc etiam patet discrimen inter præceptum audiendi factum, quando duo festa concurrunt, vt si dies Sancti Petri veniat in Dominica; & præceptum recitandi quotidie officium diuinum. Nam præceptum audiendi sacrum in die S. Petri non est affixum alicui particulari diei, sed cuiuslibet diei hebdomadæ, nec petit hunc diem potius quam alium. At officij diuini recitatio quælibet ponitur pro die proprio. Vnde quod veniat in Domi-

nica, est enim indifferens, & cum concurrit non concurrunt duo dies, sed duæ solemnitates in vna die. Et sicut quando incidit in Dominica non teneor legere officium Dominicæ & officium S. Petri, sic non teneor audire Missam Dominicæ & Missam S. Petri; nec possum bis seruare diem festum non laborando, sic satisfacio audiendo vnum sacrum: quia duo præcepta conspirant in eandem actionem, sicut in eandem diem; at præceptum obligans ad recitationem petit pro quolibet diesuum officium. Et licet coniungantur dies, remanet obligatio bis legendi quemadmodum si vno eodem præcepto obligaretur ad bis recitandum, vel ad bis audiendum sacrum, non satisfaceret vnica recitatione, vel sacri vnus audicione

Ad plenam huius rei declarationem in fine volo adnotare differentiam obligandi in diuersis præceptis oriri ex mente legis eiusque vera intelligentia, non enim est dubium quod vna lex potest ad plures numero actus obligare vnum individualiter actum petere. Colligitur autem vel ex ipsa materia, vel ex modo obligandi aut ferendi legem quando lex respiciat numerum actuum, vel quando respiciat indiuiduum actum, v. g. cum lex naturalis diuina, humana, Ecclesiastica Cæsarea obligat ad non occidendum; vnica actione violo quatuor leges, nec ideo facio quatuor peccata, & vnica non occisione quatuor legibus obtempero, quia ex ipsa materia dignoscitur leges eundem actum indiuiduum præcipere. Sic quando dies vigiliæ alicuius sancti incidit in Feriam sextam, quia non potest bis ieiunare, vnico ieiunio satisfacio duabus legibus; & quando aliquod Festum incidit in Dominicam, vnica abstinentia ab operibus seruilibus vtrumque Festum colo. Et sicut in cultu vna actione, ita quia solum respiciunt solemnitatem, & indifferens est Festum vt incidat in Feriam sextam, & in Sabbatum aut Dominicam, vnica lectione officij, & vnica lectione sacri satisfacio. At verò quando plures numero actiones petit, vt si cui pœnitenti detur pro pœnitentia vt dicat septem Psalmos, non potest vnico Psalmo satisfacere, de quo redibit sermo infra. Vel si lex præcipiat vt quatuor regalia distribuam pauperibus, non satisfacio exhibendo vnum. Et huius generis est lectio diuini officij, quia petit vt in quolibet die officium vnum legatur. Vnde in anno præcipit 365. dies; cui non satisfacio

24.

*Obligandi diuersitas in diuersis præceptis vnde proueniat.*

satisfacio nisi legam 365. officia, quia est onus affixum dici ut  
sæpè dictum est.

## §. IV.

*An vnus Missæ auditione possit homo Catholicus duorum  
dierum obligationi satisfacere.*

25.

*An pro duo-  
bus diebus  
semel audire  
sacrum suffi-  
cere possit.*

*Cardinalis  
an celebret  
non ieiunus  
ante mediã  
noctem diei  
Natiuitatis  
ex dispensa-  
tione pontifi-  
cis.*

**H**ic casus consequenter ad dicta resoluendus est, & amplius  
Hex illo doctrina nostra elucidabitur. Mouet dubium Cara-  
muel ex occasione doctrinæ quam tradit Lugo disput. 15. sect. 7.  
num. 55. vbi agens de nocte natalis Domini dubitat an Papa di-  
spenset in præcepto celebrandi ieiune respectu Cardinalis cele-  
brantis primam Missam Natiuitatis ante mediam noctem. Car-  
dinalis enim illo die prandit hora solita; & licet communiter di-  
catur Papam dispensare in hoc quod Cardinalis ille celebret non  
ieiunus, & quod bis celebret in eodem die, si eodem die celebra-  
uit in mane Vigiliæ; tamen Lugo existimat Papam non dispen-  
sare in præceptis, sed anticipare diem natalis Domini, ita vt Ro-  
mæ, & pro facello pontificio incipiat ab ea hora qua finiuntur  
Matutinæ. Quam sententiam ego secutus fui cum materiam  
Eucharistiæ in Vniuersitate Valentina legi; iuxta quam sic Cara-  
muel. Sed quid ad casum sequentem respondebimus? Inciderat  
Natiuitas Domini die Lunæ, & Anselmus die Dominica ma-  
ne non audiuit Missam: ante mediam noctem Missæ illi inter-  
fuit quæ coràm Pontifice à Cardinali celebratur, & illa audita  
iuit cubitum; & die sequenti sero surgens noluit ad Ecclesiam  
venire. Anne Anselmus vnica auditione vnus Missæ duorum  
dierum obligationi satisfacit?

26.

Si diceretur Natalis Christi diem incipere hora decima ante  
mediam noctem, & eodem momento diem profestum finiri,  
dici consequenter deberet Anselmum non audiuisse Missam die  
Dominico, sed die Lunæ. At consequenter deberet dici Romæ  
in Natiuitatis peruigilio legisse suas horas omnes ante decimam  
horam noctis debere, quod tamen Romani non putant: ergo di-  
cendum est Vigiliam Natiuitatis Dominicæ durare vsque ad ho-

ram duodecimam, Natiuitatisque diem ipsum incipere hora decima; adeoque hos duos dies habere duas horas communes: ergo in casu posito hæ duæ positiones erant veræ: Anselmus audiuit Missam die natiuitatis. Anselmus audiuit Missam in profesto Natiuitatis: ergo neutro die omisit Missam: ergo duobus præceptis & pro duobus diebus satisfecit auditione vnica Missæ.

Vnde infert assertiuè respondendum dubio sub initium proposito: nam illis duabus horis communibus festo & profesto posse aliquem sine mortali legere totum officium vigiliæ; præterea posse etiam sine mortali totum officium natiuitatis legere, quia illæ horæ sunt primæ respectu die natiuitatis, & in qualibet hora diei prima vel vltima potest quis sine mortali totum officium legere. Ex quibus oritur ecchesis valde notabilis, nimirum potest eisdem horis totum semel officium legere, semel & duorum dierum obligationi satisfacere. Totum inquit dico, & non iam tantum Matutinum & Laudes; & hæc ecchesis nascitur ex præcedentibus. Hæc omnia Caram. vbi multa inculcat, quæ singillatim perpenfa videntur potius conculcanda. Ego autem pro resolutione dubij, & solutione ac disparitate casuum danda, Noto: non esse idem incipere diem pro vna actione, ac incipere pro omnibus; aliàs dici posset non solum in die Natalis Domini, sed in quacumque die posse Ecclesiasticum recitare non solum Matutinum, sed & Completorium diei sequentis in illis horis quæ communes sunt ex praxi & permissio Ecclesiæ ad recitandum Matutinum vtriusque diei, videlicet à quarta Vesperis vsque ad mediam noctem, quod concedit nemo, nec Caram. vt puto id concedit; sed forsitan concedet hoc pressus argumento. At negare non poterit se concessurum rem nulla autoritate aut ratione suffultam. Quis enim audiet sine stupore me posse officium totum vsque ad completorium diei Dominicæ in Sabbato antecedenti persolvere. Vnde immeritò recurrit Caramuel ad illas duas horas, cum à Vesperis officij recitatio incipiat, & illæ horæ communes sunt ad Matutinum natiuitatis eiusdem vigiliæ recitandum. Ergo ad recitandum cæteras horas, quia in qualibet diei hora prima vel vltima potest totum officium legi.

Deinde adnoto non esse inferendum ex eo quod legerit officium diei sequentis in vigilia posse audire sacrum. Patet, nam

27.

Potest (Caram. sententia) semel auditum sacrum præceptis Vigilia & diei natiuitatis satisfacere. Et unico officio pro duplici eo die satisfacere.

Dies est pro aliqua actione incipiat, non pro omnibus assisatur.

28.

Qui potest recitare pro die

*sequenti in  
vigilia, non  
ideo potest pro  
die sequenti  
audire sacrit.*

nos possumus dicere quotidie Maturinum, & Laudes diei sequentis, & tamen non inde colligitur quod possumus audire sacrum in die praecedente pro die sequenti; quia de facto dies incipit pro officij recitatione non pro auditione sacri; sicut incipit pro horis nocturnis non vero pro diurnis; non ergo ex vnus dispensatione ad alterius obligationis dispensationem discurrendum est.

29.

*Dies Natalis  
Domini inci-  
pit Roma à  
decima hora  
ante mediam  
noctem, non  
tamen quoad  
omnia.*

Hinc patet primò, quod licet dicatur quod dies natalis Romae incipit à decima hora ante mediam noctem, & profectum finiti, non debet intelligi quoad omnia; de facto dies Resurrectionis quoad Missae celebrationem & Vesperarum lectionem incipit Sabbato sancto in mane, & tamen non ideo potest quis cum illa Missa satisfacere pro die resurrectionis nec recitare horas Matutinas in Sabbato ante meridiem.

30.

*Incipit qui-  
dem pro Missa  
audienda, &  
à Cardinali  
celebranda.*

*Cardinalis  
celebrans ea  
nocte non te-  
netur reci-  
tasse ante ho-  
ram 10. totum  
officium; nec  
potest post  
Missam coe-  
nare, nec to-  
tum officium  
natalis per-  
soluere.*

Ex quibus inferitur resolutio dubij; nam dies natalis dicendus est incipere pro Missae auditione, & celebratione quoad Cardinalem celebrantem. Vnde non tenetur Cardinalis recitare totum officium ante decimam horam, sed potest illis duabus horis recitare officium vigiliae. Et non potest recitare officium totius diei sequentis, sed tantum Maturinum: & quia pro Missa incipit officium, non potest ablutiones sumere, nec poterit post Missam coenare: quia consequenter censetur adhuc obligatus: nam sunt accessoria, & sequuntur naturam principalis ex regula trita.

Qui audiuit Missam, non vigiliae praecipuum, sed diei natalis satisfecit; quia dies quoad auditionem & celebrationem incipit ea hora, & finita fuit quoad hanc actionem vigilia.

*Audiens sa-  
crum ea no-  
cte satisfecit  
praecipuo diei  
Natalis non  
vigilia.*

Ad primam ergo Caramuelis consequentiam dicendum est, vigiliam natiuitatis durare vsque ad horam duodecimam, distinguo, quoad officij lectionem; concedo; quoad Missae auditionem nego. Vnde nego illas duas positiones veras esse: nam Anselmus, qui in die Dominico, qui fuit vigilia natiuitatis non audiuit aliam Missam nisi illam, quam dicit Cardinalis, non audiuit Missam die Dominico, sed die natalis. Vnde non est vera illa: Anselmus audiuit Missam in profesto, natiuitatis.

31.

*Diluuntur  
Caram. con-  
sequentia.*

32.

Sequitur etiam posse legere officium vigiliae illis duabus horis, quia sunt horae vigiliae quoad officium non verò posse legere totum officium diei sequentis, sed tantum Maturinum & Laudes: quia

quia quoad officium illæ duæ horæ sic se habent ac horæ à Vesperis, in quibus quotidie possum dicere Matutinum diei sequentis.

Tandem non sequitur illa æsthesis: quia officium vigiliæ non est officium Natiuitatis, & pro quolibet die exposcitur specialis obligatio recitandi semel, & pro duobus diebus bis, vt supra iam dictum est. Et sic debere intelligi dispensationem Pontificis colligitur ex regula trita in moralibus, in qua fundatur Lugo, dum sententiam supra positam secutus est: nimirum quod cum agitur de interpretanda mente dispensationis, eo modo intelligimus dispensasse Pontificem quo vel pauciora præcepta dispenseret, vel facilius dispensatio intelligitur; at in modo philosophandi Card. Lugonis facilius intelligo quomodo sine dispensationibus dicatur illa Missa in nocte natalis Domini ante mediam noctem.

33.

§. V.

*Vtrum eadem actione duabus præcepti partibus satisfieri possit.*

PROBabile est apud Dianam eadem actione duabus præcepti partibus posse satisfieri; nam part. 2. tract. 17. resol. 18. interrogat an Petrus satisfecerit præcepto Missæ si eodem tempore sacrum duorum Sacerdotum audierit; nempe Missam vnus Sacerdotis vsque ad consecrationem, & Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem. Et pro affirmatiua sententia citat Molfesum, siue hoc fiat successiuè siue simul: nempe siue audiat ab vno à consecratione vsque ad finem, & postea ab alio ab initio vsque ad consecrationem; siue simul, videlicet, si Petrus ingrediatur Ecclesiam cum vnus incipit Missam, & alter eleuat Hostiam & vtramque Missam audit, alteram ab eleuatione ad finem, alteram ab initio vsque ad eleuationem.

34.

*Audienti à duobus Sacerdotibus simul aut successiuè Missam per partes satisfacit probabiliter apud Dianam.*

Ex qua doctrina has infert consequentias Caram. quas admittere debere Dianam ait si Dialecticam amet. Primò, sicut satisfacit Petrus audiendo simul duas medias Missas à duobus Sacerdotibus, posset satisfacere simul audiens quatuor Missas quadrantes à quatuor Sacerdotibus, aut etiam octo octantes ab

35.

*Inde ductæ Caram. octo consequentia.*

*Prima.*

octo. Quinimò si essent plura altaria, quibus simul esse præsens Petrus posset, & in vno Missa inciperetur, & in altero epistola, in altero Euangelium, in altero oblatio, in altero Canon, in altero Consecratio, in altero Communio, & tandem in altero Post-communio, & in altero vltimum Euangelium, posset Petrus vno quasi momento temporis integram Missam audire.

36.

*Secunda.*

Secundò à paritate doctrinæ in officio diuino idem erit dicendum, & per consequens si in officio monastico, in quo sunt pro matutino duodecim lectiones & totidem responsoria quæ non recitat communitas, sed audit tantum; si essent viginti quatuor religiosi in eho, & singuli dicant simul lectionem aut responsorium, satisfacient præcepto legendi duodecim lectiones & duodecim responsoria. Et in officio clericali in quo sunt tantum nouem lectiones, & nouem responsoria, si decem & octo clerici simul ea legant satisfiet præcepto dicendi ea in choro.

37.

*Tertia.*

Tertiò, quando duo legunt simul non erit opus vt alter alterum expectet, sed poterit alter incipere versum antequam alter finiat suum. Nec est cur ad attentionem recurras, quia attentionem internam non esse necessariam putamus

38.

*Quarta.*

Quartò, in Missa solemnè posita sententia quæ docet Sacerdotem non teneri legere epistolam nec Euangelium, poterit dum legitur illa Tractum & versus dicere, & dum hoc cætera quæ illum sequuntur.

39.

*Quinta.*

*Homo bilinguis duas simul horas legendo satisfaceret.*

Quintò, si vera sunt quæ de Scythis nonnullis leguntur, videlicet singulos binis linguis præditos, & posse aut etiam solere binas voces formare, & binas simul periodos diuersas efferre; vel si Deus aliquos homines bilingues produceret qui dum altera lingua recitarent Matutinum, altera Laudes aut primam recitarent, dicendum omnino esset eiusmodi homines duas simul horas legendo obligationi recitandi officium diuinum satisfacturos.

40.

*Sexta, communitas quæ multilinguis est. Vnde plures simul horas legens satisfaceret.*

Sexto hoc ipsum debere necessariò ad communitates traduci, ipsæ enim omnes sunt multilingues. Quid enim stando huic doctrinæ vetaret magnam communitatem in decem manipulos diuidi, & dum vnus recitat Matutinum, alios Laudes, alios primam & alios cæteras horas recitare; & quasi horæ quadrante graui & molestæ publici officij obligationi satisfacere? Ergo posset

posset simul eadem communitas diuidi in partes plures, & simul actus communitatis celebrare.

Septimo in Officio diuino nonnulla pluries repetuntur, an hæc toties deberent repeti? Respondi olim in Comment. ad reg. S. Bened. esse probabile singulas horas singulis respondere præceptis, esse certum vnico actu posse hominem duplici præcepto satisfacere. Atque adeo si semel in vna hora dicatur Pater & Aue, & cætera quæ in horis diuersis repetuntur, non debere in aliis recitari. Sed quid dicemus si totum officium vnico præcepto indicatur? Putaui illa debere omnino repeti, & toties legi quoties præcipiunt rubricæ. Hæc dixi stando communi doctrinæ. At hodie si hanc Dianæ resolutionem, quam dilucido, admitterem, dicerem in Officio diuino etsi totum vni præcepto correspondeat, posse dici semel tantum Pater & Aue, semel Credo, semel Deus in adiutorium, semel Gloria Patri, semel Oratio, & semel Psalmus qui in horis diuersis solet, repeti: & ratio est manifesta, quia ad Dianæ mentem non solum simul duobus præceptis, sed etiam simul duobus præcepti partibus possumus satisfacere.

Octauo, si cui Rosarium legere præciperetur, hoc est quindecim Pater, & centies quinquagesies Aue, diceret, quia singula Pater & singula Aue diuersis præcepti partibus correspondent, & possumus stando Dianæ resolutioni eodem simul tempore duabus præcepti partibus satisfacere; & quia de obligationibus ortis à voto, & ortis à præcepto aliqui pariformiter philosophantur, idem dicere de illo deberemus qui vouisset rosarium.

An hæc omnia admittet Diana? Non puto. Quid ergo? Vel hæc omnia debet transglutire, vel à principali resolutione discedere. Hæc omnia Caramuel.

Et ego Caram. imitatus nolo approbare aut improbare sententiam Dianæ, sed supponere eam esse improbabilem; & nihilominus puto non sequi ex eo omnes illas consequentias quod vt ostendam suppono ex supradictis aliquando vnum vel plura præcepta respicere vnica actionem indiuiduam vt de præcepto Ecclesiastico diuino naturali Cæsareo idem homicidium verantibus, vel eundem actum cultus Dei indicentibus dictum est supra; aliquando verò, siue vnum sit siue plura præcepta respi-

41.

*Septima, eadem Oratio, idemve Psalmus semel dictus, nec in alia hora repeti oportet.*

42.

*Octaua, eadem præcepto aut voto ad recitandum Rosarium ascribitur semel dictus Pater & Aue liberatur.*

43.

*Doctrina Diana probabilis data conueniunt Caram. consequentia.*

*ura praece-  
a quando-  
is unam  
actionem in  
diuiduam,  
vnum quan-  
doque mul-  
tas ut sic re-  
spicere cer-  
tum est.*

cere numero plures vel repetitas actiones numero distinctas, vt patet in praecepto dicendi symbolum pro Missa, & dicendi symbolum pro Officio diuino, & in praecepto dicendi septies vnum Psalmum, vel semel septem Psalmos poenitentiales, vel in praecepto dicendi Litanias Sanctorum. Ad hunc modum de praeceptorum partibus dicendum est, quando praeceptum respicit plures partes prout inter se distinctas & componentes vnum, non satisfat illi non faciendo omnes partes praeceptas, nisi pars quae omittitur sit materia leuis.

44.

Vnde posita doctrina Dianae probabiliter quoad auditionem Missae, quia ille qui a duobus sacerdotibus audit duas partes, posset concedi etiam si a quatuor quatuor partes audiat satisfacere. Quia praeceptum petit indiuiduam illam actionem quae si componatur ex duabus partibus, etiam videtur ex quatuor, etiam componis ac per consequens verè dici posse audire totam Missam ad quam ex vi praecepti obligatur.

45.

*Attendere  
plusquàm duo-  
bus celebrat-  
ibus atque re-  
citantibus  
moraliter  
impossibile,  
quo tamen  
satis est 2.  
Saram. con-  
seq. probabi-  
les essent.*

Similiter etiam dici posset si audiret quis a nouem sacerdotibus nouem, vel a duodecim duodecim lectiones & Psalmos. Sed quia tam hoc quam illud videtur moraliter loquendo impossibile, ideo existimo adhuc in sententia Dianae non sequi consequentiã. Quia in primo casu potest fieri vt quis simul assistat duobus altaribus vbi celebrantur duae Missae, at quatuor vel octo minime, sicut nec quatuor vel octo recitantibus Officium diuinum.

46.

*Communita-  
nisi vt unum  
corpus reci-  
tet non satis-  
facit, vt ta-  
li.*

Quantum ad communitatem ex alio capite puto non sequi: nam communitas non satisfacit praecepto recitandi si singuli Religiosi recitent, sed omnes debent facere vnum corpus. Vnde nec singuli recitant nisi omnes alios audiant, quod est impossibile vt per se patet, nec recitat officium in communi.

47.

*Recitans si  
audiat simul  
correcitanti  
probabiliter  
non tenebitur  
expectare.*

De tertio si fieri posset vt qui recitat simul audiat conrecitantiem, non tenetur expectare, nec est maior difficultas in hoc quam in communitate simul recitante. Sed quia etiam videtur hoc pati difficultatem, potest ex hoc capite negari consequentia. Tum quia qui alium audit debet se gerere ac si ipse illum verum recitaret: & sicut ipse non potest duos versus legere simul, & audire negabit.

48.

*Hoc tamen  
moraliter  
impossibile.*

Quoad quartum de facto contingit vt dum in choro aliquid cantatur,

cantatur, Sacerdos procedat vsque ad sumptionem & alia; concedi potest consequentia.

*Quarta consequentia non improbabilis.*

49.

*Homo bilinguis, dum simul horas recitans satisfacere.*


Quoad quintum si vera sunt quæ de bilinguis dicuntur, etiam dicendum erit quod si simul possunt legere, & se audire, possunt satisfacere. Ex suppositione enim quod quis habeat duo ora, & duas linguas, quid mirum quod possit simul duos versus legere? Simul potest satisfacere præcepto audiendi Missam, & præcepto recitandi, si dum audit Missam officium legat. Quia non sunt incompatibiles illæ duæ actiones vt multi DD. docent. Nec ideo transferendum est hoc ad communitatem, quia communitas non est multilinguis, sed unilingua.

*Communitas non est multilinguis.*

50.

*Septima & octava consequentia negantur.*

Ad septimum & octauum neganda est consequentia absolute: Quia præceptum Officij diuini recitandi, siue sit vnum, siue plura de diuersis horis, vnumquodque respicit indiuiduam illam pluralitatem, vel repetitionem. Cui non satisfieri potest ex regula tradita vnius Aue recitatione. Sicut quia ex præcepto dicendi Missam teneor legere Credo, non satisfacio præcepto recitandi pro officio. Quia vnumquodque præceptum respicit illam materiam prout componit distinctum indiuiduum. Sic similiter præceptum exigens Pater & Aue pro Prima, non impletur quando dicitur Pater & Aue pro Matutino: quia vnumquodque præceptum exigit diuersum numero Pater & Aue prout componit diuersam numero horam, & sicut non satisfacio præcepto præcipienti recitare Tertiam, Primam recitando, sic nec præcepto recitandi Pater & Aue Tertiam satisfacio quando illa recito pro Prima. Non ergo debet Diana omnia illa quæ inferuntur à Caramuele transglutire, nec à principali opinione discedere.



Q V Æ S T I O X I.

*An restrictiones mentales sint concedendæ.*

**N**egat Caramuel asserens esse perniciosas, & tollere humanam societatem fund. 62. sic scribit: *Pronuncio dari restrictiones dictionum; nego tamen has à sola mente oriri posse, causa licet sed*

51.  
*Restrictiones mentales cum causa licet sed*

contra Ca-  
ram. statui-  
tur.

sed existimo illas pendere à circumstantiis sensibilibus. Sed ego pronuncio sæpius ex circumstantiis adiacentibus consignantibus & sensibilibus restringi voces. Sed tamen adhuc supposita restrictione dictionum ex circumstantiis, pendere à mente, & debere esse & dari restrictionem mentalem; aliquando verò nulla circumstantia adiacente sola mentali restrictione excusari aliqua verba à mendacio posse & debere, dummodo causa sufficiens subsit. Vide quid dicam, non dico circumstantiam, sed causam: nemo enim dixit posse vti quempiam restrictione mentali sine causa.

2.

Ratio ab  
exemplis Ca-  
ram. posita.

Vtrumque exemplis Caram. probo, sic inquit loc. cit. Petis vt tecum vadam expatiatum per urbem. Ire nolo & volo quod sentio tibi dicere: Dico *non possum*: arguis me de mendacio, nam nullum adesse impedimentum clarè constat. Iam vt me excuses, ad mentalem nescio quam restrictionem recurris: ego neutram admitto, & dico me tibi locutum fuisse non Hebraicè nec Gracè, sed Latinè, & non in quacumque dialecto Latina, sed in ciuili & urbana, à quo verbum nolo est expunctum, & eius loco verbum non possum subrogatum.

3.

Ille nouum  
idioma apud  
urbanos vt  
restrictiones  
releget con-  
fingit, sed  
infringitur.

Hæc ille, qui vt restrictiones mentales neget nouum idioma, nouamque verborum significationem inueniat. Rogo vbi sit lex dialecti urbanæ, vbi verbum non possum significet nolo. Prius deberet hoc urbanum vocabularium componi, vt omnibus nouum hoc idioma constaret. Porro sicut ais in dialecto urbana loco non volo subrogari non possum, sic posse dici in aliis casibus, vt cum petis à me librum, quem nolo tibi dare, possum dicere non habeo, quia in dialecto urbana loco non volo subrogatur non habeo, & sic de reliquis. Vnde si restrictionibus tollitur humana societas, & perniciosæ sunt, hæc dialectus erit perniciofa & contra humanam societatem, siquidem non minus liberum est vti illa voce in dialecto urbana quam cum restrictione mentali.

4.

Porro ad in-  
teruos scilicet  
quo idiomate  
loquaris, re-  
strictione  
sua est.

Sed adhuc ego eodem exemplo probo rem debere reduci ad restrictionem mentalem; & sic discorro. Illud non possum potest esse verum in idiomate Latino rigoroso & in dialecto urbana: si daretur impedimentum esset rigorosè verum; hoc absente, est verum in idiomate urbano, iuxta quod (inquis) loco non volo, subro

subrogatum est, non possum. Rogo an ego in hoc casu possim mentiri, & esse inurbanus & mendax? Si negatiuè respondeas, verè magnum miraculum facis, dum enim tollis restrictiones mentales, tollis è mundo mendacium: nam semper poterimus dicere verba in aliqua dialecto hoc vel illud significare ex circumstantiis consignantibus, neque posse hominem in alio sensu loqui velle. Si possum mentiri & esse inurbanus, & nolle loqui in dialecto vrbana, sed Latina: ergo debeo restringere in mente illa verba vt non significant quæ ex dialecto vrbana introductum est significare: ergo dependet à restrictione mentali quod illud verbum non possum significet non volo, scilicet à voluntate mea volente illas proferre in dialecto vrbana: ergo cur non poterò illud velle pronunciare in dialecto Latina subintelligendo in mente mea non possum ire libenter, & sic verum est non posse; quia cum caream gustu eundi tecum expatiatum, si iuero, non ibo libenter, vnde cum dico non possum ire, verum dico, si subaudiam in mente mea libenter, licet hoc non exprimam tibi postulanti deambulationem. Et cur ex hoc modo respondendi vel intelligendi illud, non possum, tollitur societas humana, & non ex dialecto illa in qua subrogatur non possum pro non volo, tu enim cum ego dico non possum nescis an in dialecto vrbana tibi respondeam vel Latina. Si enim hoc scias perinde esset ac si dicerem clarè non volo. Vnde siue per restrictionem, siue per dialectum, eodem modo intelligis me noluisse ire tecum, & vlla tibi restat causâ querimonix; non ergo tollunt restrictiones societatem humanam, imò eam tollunt, qui eas à societate humana tollere volunt.

Confirmo meam doctrinam exemplo tuo. Nomen Aries (inquis) æquiuocum est & restringitur ad determinatam aliquam significationem, non mentaliter, sed vi alicuius circumstantiæ aut particulæ extrinsecæ. Dico, Aries est primum signum Zodiaci, Aries est instrumentum militare, & adiacentibus verbis nomen æquiuocum ad diuersas acceptiones restringo; sicut à vocibus adiacentibus, sic etiam æquiuoca restringuntur à loco, aliud enim significat lingua bouis in penuario, aliud in pharmacopea, & cor leonis aliud significat in cælo, aliud in terra. Confitentur tibi Sacerdos & vxoratus, eorum statum distinguis eorundem

5.  
Æquiuoca nō  
restringi mē-  
taliter probat  
Caram. tri-  
bus exemplis.

confessione vel habitu, & vterque se accusat de fornicatione, & tamen tamen vtantur eisdem vocibus vestes vocum significationes restringunt, & statim intelligis presbyterum sacrilegium, & vxoratum adulterium commississe. Sic in aliis, non ergo sunt necessariae restrictiones mentales. Haec Caram.

6.

*Sed male sequitur à particulari vniuersali.*

Ex tribus casibus infero vniuersalem, etenim tamen verum esset quod in his casibus non darentur restrictiones purè mentales, quia circumstantiae sufficiunt; non est verum vniuersaliter illas in aliis casibus denegandas.

7.

*Imo exempla opposita conuincunt.*

Sed adhuc exemplis tuis necessariae sunt vt sic loquentes à mendacio excusentur; illa proposito, Aries est primum signum Zodiaci à verbis subsequenter restringitur & non à mente loquentis nego. Nam dubitari non potest sic loquentem posse illis verbis mentiri. Mentiretur profectò si per ly Aries intelligeret arietem naturalem, quem etiam significat illa vox: ergo vt prædicatum illius propositionis scilicet est signum Zodiaci sit verum debeo habere in mente arietem de quo loquor, esse signum Zodiaci & non signum militare, &c. Ergo restrictio qua vocibus illis est primum signum Zodiaci restringo vocem Aries à restrictione mentali dependet; aliàs esset falsum prædicatum de subiecto. Similiter cum dico Aries est signum militare, signum militare quod est prædicatum huius propositionis verum non est si subiectum antea non restringatur: ergo restrictio mentalis necessaria est in vocibus saltem æquiuocis vt vitetur mendacium.

8.

Fortius ex secundo exemplo. Vado ad penuarium, & peto linguam bouis; certè poterit, penuarius iocosè mentiri, & dicere se habere linguam bouis & dare mihi herbam quæ hoc nomine significetur. Vel si ipse dederit mihi linguam bouis veram, poteram ego dicere me petiisse herbam quæ dicitur lingua bouis, ridebit ille vel irascetur: ergo vt serio & non iocosè ego petam in penuario linguam bouis, & ille serio etiam respondeat teneor in mente restringere illam significationem vocis linguæ bouis, vt non velim illa significare herbam in penuario, & linguam bouis veram in pharmacopea.

9.

In tertio exemplo licet Sacerdos & vxoratus vestibus distincti illis verbis non restringant, nec vlla restrictione vtantur; sed declarent sua peccata supposita notitia status, & illud verbum fornicatio

fornicatio significet adulterium in vxorato, tamen si iste restrin-  
geret mentem suam, & solum vellet significare quod sonant,  
mentiretur, quia non habet in mente quod significant suppositis  
circumstantiis, vnde non restrictio, sed extensio necessaria est in  
hoc casu: nam si non posset illam restringere non posset mentiri;  
dari ergo restrictio potest in hoc casu à mente proueniens li-  
cèt illicita, ergo à contrario sensu erit possibilis licita in alio casu.  
Sed quidquid sit de his exemplis: negari enim non potest ali-  
quando verba restringi à circumstantiis vel aliis verbis antece-  
dentibus vel subsequenibus, à loco, vel tempore; sed non idēo  
in omnibus casibus sequitur ab illis restringi; quia possunt dari  
alij casus in quibus nec à verbis nec à circumstantiis verba re-  
stringantur, & etiam licitum sit vti simulatione seu æquiuoca-  
tione, & sola mentali restrictione excusari à mendacio; quod  
ostendo sequentibus exemplis.

*Sapè saltem  
nec verbis  
nec circum-  
stantiis verba  
restringuntur  
licèt quo si-  
mulatione  
vti egi restri-  
ctione mentali.*

Primum sit de eo qui homicidium fecit & confessus est; &  
post mensem, v. g. adit alium confessorem, à quo cum perue-  
nit ad quintum præceptum interrogatur pœnitens an aliquod  
homicidium commiserit, & pœnitens absolutè respondet nega-  
tiuè. Rogo à qua circumstantia restringatur illa negatio homici-  
dij? Respondebis, à confessione, quia interrogatio confessoris  
æquiualeat huic, commisisti homicidium quod numquam con-  
fessus sis; quia aliàs malè interrogaretur. Vnde benè & verè re-  
spondet, dicendo absolutè non commisi, quia subintelligitur  
non feci homicidium quod non sim confessus; sed quid si con-  
fessus malè procedere vellet, potest enim. Tunc si neget absolu-  
tè sine restrictione mentali quod teneat confiteri, non responde-  
bit ad interrogatum, & tamen non mentietur. Sola restrictione  
mentali, scilicet non feci ab vltima confessione, à qua solum po-  
test habere confessor ius interrogandi: ergo datur in hoc casu re-  
strictio mentalis. Deinde vt confessarius benè interroget & benè  
procedat debet restringere illam interrogationem ad locum &  
tempus: ergo reducitur res ad restrictionem mentalem.

IO.  
*Primus casus.  
Interrogatus  
à confessario  
circa præcep-  
tum de cuius  
violatio-  
ne iam fuit  
confessus, be-  
nè negat ab-  
solutè men-  
taliter res-  
tringens aliàs  
secum.*

Secundò reus ad vitanda graua tormenta potest in sententia  
multorum imponere sibi graue crimen, quod reuera non com-  
fit, immò & iurare cum restrictione. Ita multi DD. & licèt hoc  
non admittat Caram. quia putat hoc esse mendacium, & graue

II.  
*Secundus casus.*

ei crimen videtur mentiri Reipublicæ legitimè interroganti, fatetur tamen quod si restrictiones mentales darentur, prodesset æquiocatio; ita fund. § 1. §. 1. ibidem statim quærit an reus falsò calumniatus possit accusatori obicere falsum crimen ad euadendum periculum infamiæ vel mortis? & responderet cum multis talem non peccaturum si ea criminis obiectio sit sufficiens ad defensionem & ad vitandum periculum; quia directè non occidit aut infamat sed se defendit. Et sicut inuasus ligno, fraude, vel ense, potest cum moderamine se defendere; ita inuasus lingua vel calamo potest cum moderamine lingua vel calamo se defendere. Vnde contra iustitiam non peccabit; & ego rogo, peccabitne contra veritatem? Si affirmatiuè respondes: ergo non licet illi hoc facere: si negatiuè; ergo non est mendacium. At illa falsa impositio nullam habet circumstantiam à qua restringatur nisi à mente imponentis qui intelligit accusatorem suum accusare non de vero delicto, sed de delicto iuridicè sumpto, & quatenus ad defensionem suam conducit, vt infamis existimetur, & accusationem illius quam directè probare non potest fuisse falsam reddat nullam. Deinde rogo cur primus non possit sibi obicere falsum crimen ad vitanda tormenta quæ horret plusquam mortem potens alteri obicere falsum crimen ad eandem mortem euitandam. Non video disparitatem; si enim ibi ab accusatore se defendit, sic se defendit hic à morte quia mortem tormentorum vi subire non potest, & eam à carnifice audet expectare, vnde imponit sibi crimen illud, de quo accusatur, vt euadat mortem vi tormentorum, & moriatur suspensus in patibulo, quæ mors illi minus horribilis est. Et cum hoc fieri negari non possit, non est vnde illa confessio delicti restringatur, nisi à mente ipsius rei, qui illam confitetur dicendo, commisi delictum de quo accusatus sum subintelligendo in mente quoad subeundam mortem in patibulo, vt euadam mortem in tormentis.

12.

*Tuetur vita  
et societas  
humana re-  
strictionibus  
mentalibus.*

Rursus rogo, cur societas humana tollatur vtendo æquiocacione stante causa; & non dicendo falsum, vel imponendo alteri crimen, quod non fecit, vt mors euitetur, quæ imminet ex alterius falsa accusatione? Respondes: quia licet verbis me defendere, si verbis inuador: sicut licet me defendere ense vel pu-

gno

gno, si ense, vel pugno sum inuasus, rectè. Sed si licèt verbis, non tamen licet verbis mendacij: ergo vt liceat absolutè verbis me defendere, quando verbis inuador, debeo procurare, vt illa verba mendacia non sint. Et hoc fit si vtar simulatione, seu restrictione mentali in eo casu: ergo non tollitur, sed firmatur, societas humana restrictionibus mentalibus, vt pote illis defenditur omnino licitè innocens falsò accusatus, & sine illis non: quia licèt non peccet contra iustitiam, tamen peccabit contra veracitatem, nisi restrictione vtarur.

Volo in fine hanc confirmare doctrinam nonnullis sacræ Scripturæ testimoniis. Primum sit illud Iacob, qui interrogatus absolutè à Patre suo Isaac, quis esset, respondit, *ego sum primogenitus tuus Esau*. Hæc verba à multis Patribus à mendacio excusantur, quia Iacob erat primogenitus in iure, erat enim primogenitus diuina autoritate, immo & ipse emerat primogenituram à fratre. At Iacob necesse habuit vt illa restrictione mentali: nam à circumstantiis vestis vel manus non restringebantur illa verba: ergo.

Dices, Iacob fuisse mentitum iuxta alios Patres. Concedo dari hanc sententiam. Sed tamen in sententia eorum qui eum excusant à mendacio necesse est concedi restrictiones mentales, & non sunt repellendæ tamquam perniciosæ, cum ad excusandos Viros Sanctos Patriarchas à mendacio sæpè sint congruentes, imò necessariæ.

Secundum testimonium sit illud Ioan. 7. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum adimpletum est*. Et postea: *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto*. Illa verba Christi Domini: ego non ascendo ad diem festum, vera fuerunt, & tamen Christus Dominus ascendit postea: ergo necessariò debuit Christus Dominus, in mente restringere, vt scilicet redderet hunc sensum: ego non ascendo vobiscum, sed solus, vel ego non ascendo nunc, sed postea, vel tandem, ego non ascendo manifestè, sed occultè. Quod magis videtur conforme textui sacro, nam ascendit non manifestè, sed quasi in occulto. Qui quidem sensus verborum, non ab aliqua circumstantia extrinseca restringebatur, sed

13.

Comprobatur scriptura testimonij.

Primum. Iacob se primogenitum esse respondens Patri, mendacis vocem euadit restrictione mentali.

14.

Secundum testimonium.

Exponuntur verba Christi Ioan. 7. Vos ascendite ad diem festum, &c.

à mente Christi, qui licet haberet<sup>s</sup> animum ascendendi, tamen illud occultavit illis verbis ex se significantibus absolute Christum non ascensurum, sed ex Christi mentali restrictione solum significantibus se non ascensurum publice. Itaque verba, quae ex se significabant Christum nullo modo ascensurum restricta fuerunt, non à circumstantiis extrinsecis, sed à sola Christi mente, ut significarent se non ascensurum tunc, cum discipulis, & manifestè.

15. Dices Christum Dominum habuisse duas voluntates, alteram non ascendendi tunc, & alteram ascendendi postea, & mutandi dictamen. Primam manifestavit illis verbis ego non ascendo; secundam voluisse occultare. Ad quod nulla restrictio erat necessaria, quemadmodum supra dictum est de facto Christi, cum à discipulis rogatus mansit in Emaüs, nam Christus Dominus habuit voluntatem transeundi, si non rogaretur à Discipulis, & manendi, si rogaretur: & sine vlla restrictione primam manifestavit per verba, quibus finxit se longius ire, & secundam per mansionem apud discipulos.

Sed contra: nam ex hoc ipso colligitur restrictio mentalis in illis verbis. Nam verba illa, ego non ascendo ad diem festum hunc, non solum Apostolis indicarunt illam voluntatem non ascendendi tunc & publicè, sed nullam esse Christo voluntatem ascendendi, ergo necessario restrinxit illorum significationem, ut non significarent, se nullam habere voluntatem ascendendi, quod certè ex se poterant significare.

16. Et idem confirmatur ex facto illo de Castello Emaüs: nam *Tertium testimonium.* Christus Dominus, dum finxit se longius ire, verba aliqua protulit, quae significabant se nec rogatum velle aut posse manere, ut indicat illud coegerunt: nam supponit Apostolos Christum vrsisse, ut non obstante illa voluntate transeundi maneret. At per te Christus iam habebat voluntatem manendi si rogaretur, & tamen fingebat seu simulabat se nec rogatum posse manere; ergo verba quibus hoc significabat, restringere debebat ut vera essent. Reducitur ergo à primo ad ultimum hoc negocium ad restrictionem mentalem verborum ex se aliquid significantium, quod tamen à proferente restringitur.

17. Adde dati in Scriptura sacra textus, quorum veritas non potest

test fundari in duplici voluntate, sed in restrictione mentali. Matthæi 11. dicit Christus de Ioanne, *ipse est Elias qui venturus est*. Quæ verba in sensu reali significare videntur Ioannem esse verum & realem Eliam: de hoc enim verè & realiter verificatur illud prædicatum qui venturus est: & tamen Christus noluit illis verbis hoc significare, sed solum Ioannem esse Eliam in spiritu, vt notant interpretes: ergo necesse fuit vt illa verba, quæ ex se significant Ioannem esse realiter Eliam, restricta fuerint in mente Christi, subintelligendo in spiritu: aliàs essent falsa.

*Virgior textus Matth. 11. omnino restrictionem amplectens geminam voluntatem excludens.*

Similiter cum Ioan. 2. dixit, *Soluite templum hoc & in tribus diebus suscitabo illud*, non fuit locutus Christus de templo materiali, de quo videbatur loqui, sed de templo corporis sui, vt aduertit Euangelista: & verba quidem vtrumque poterant significare; tam facile enim erat Christo illud templum destructum erigere, quam suum corpus suscitare, & vtrumque sensum poterant capere verba. At solum voluit illa significare sui corporis resurrectionem: ergo necessariò debuit habere in mente illam restrictionem.

18.

*Eiusdem verborum textus Ioan.*

Scio tam in primo, quam in secundo testimonio posse dici usum fuisse Christum sensu metaphorico vel mystico, in quo propriè Ioannes est Elias; & corpus suum templum. Sed tamen negari non potest quod poterant illa verba in sensu literalì, & reali, & prout grammaticaliter sonant proferri, & certum est in eo sensu ab audientibus capta esse: quia si intellexissent Christum in illis sensibus fuisse locutum, non fuissent admirati: ergo necesse fuit vt Christus in mente sua illam haberet restrictionem, vt noller loqui in sensu, quem verba præferebant, sed quem in mente sua gerebat iuxta sensum mysticum & metaphoricum.

19.

Denique concedo posse tolli restrictiones mentales illis voluntatibus; tollitur ne minus humana societas restrictionibus, quam ea multiplicitate voluntatum? Quod enim faciunt restrictiones operantur volitiones illæ: Nam si tollitur humana societas ex eo est quod quis restringat verba, quæ possunt significare aliquid, illud non significant, eo modo quo ab audientibus percipiuntur. At hoc sequitur ex eo quod quis possit habere illas duas volitiones, quæ notæ non sunt audientibus, & velle vt verba significanti

20.

*Non minus societati humana cõtra-dicerent voluntates illæ, quam dicunt repugnare restrictiones mentales.*

significanti

gnificantia ex se non adesse duas voluntates solum significant adesse vnam. Quod quidem in quocumque casu restrictionum mentalium potest considerari. Nam in quocumque casu potest dici loquentem duas voluntates habere, & verbis quibus potest duas solum vnam velle significare, quam manifestat, de cipitur audiens, v. g. Petis à me librum, & nolo tibi illum dare; dico non habeo talem librum. Tu ais me non posse restringere illa verba subintelligendo non habeo librum, ita vt maneat in mente, ad dandum illum tibi, quia illa absolutè significant me non habere librum, quod est falsum. Pone me habere duas voluntates, quas quidem tam facilè possum habere, quam restrictiones mentales, alteram scilicet dandi tibi librum, si duos haberem, & alteram non dandi, quia solum vnum habeo. Sicut enim potuit Christus Dominus simul habere voluntatem transeundi Emaus si non rogaretur, & manendi, si rogaretur: & Petrus visitans infirmum potest habere animum manendi apud ipsum, si rogetur, & abeundi si non rogetur: etiam possum habere duas voluntates dandi tibi librum si haberem duos, & non dandi, quia vnum tantum habeo: & mille aliis modis possum duas voluntates componere circa idem obiectum in ordine ad vitandum verborum mendacium. Hæc posito, sicut per te sine vlla restrictione Petrus potest fingere se velle discedere ab infirmo, quin exprimat voluntatem illam, quam habet, manendi si sit rogatus: sic ego possum exprimere voluntatem non dandi tibi librum sine restrictione, & habere simulatam illam voluntatem dandi librum si haberem duos eiusdem speciei: ergo si sine restrictione mentali eodem modo remanes sine libro ac cum illis: non minus tollitur societas humana restrictionibus mentalibus, quam volitionibus multiplicatis. Quia eodem pacto remanet illusio verborum sensus mentalibus restrictionibus ac internis volitionibus, si illud illusio est, & contra societatem humanam.

21.  
vsque ad Ca.  
ram. omnes  
mentales re-  
strictiones  
complexi sūt.

Relinquitur ergo, quod restrictiones mentales non tollunt societatem humanam, quia hæc non tollitur, quando ad eandem societatem humanam necessaria sunt: & sicut ne tollatur societas humana, dialectus urbana, & multiplicatio volitionum sic & restrictiones possunt permitti, sicut vsque ad Caramelem ab omnibus permixtæ sunt stante causa sufficienti.

Nam

Nam sine illa certum est licitas non esse, uti ab initio supposuimus.



QVÆSTIO XII.

*An peccata dubia sint in confessione aperienda.*

**C**ONCILIVM Trident. sess. 14. cap. 5. declarauit omnia peccata quæ memoriæ occurrunt esse in confessione aperienda. Ex quo antiqui Theologi ferè omnes supposuerunt, peccata dubia ut dubia, certa verò ut certa esse in confessione aperienda. Vnde ab antiquis puto omissam hanc quæstionem, ut vult Caram sed suppositam fuisse arbitror.

Sed quia nunc à iunioribus in dubium reuocatur, & specialiter ac satis fusè eam pertractat Caramuel, contendens ea non esse confessionis clauibus subiicienda ex necessitate, sed ex libera voluntate pœnitentis, sicut venialia, illam dilucidandam summo. Et probare intendo, quod si argumenta, quibus opinio negans esse materiam necessariam aliquid probant, probant etiam ea non posse confiteri. Quod cum sit per se notum esse falsum, etiam id, ex quo hoc sequitur falsum iudicandum est. Iraque assumo probandum quod si vera est doctrina iuniorum, non solum non debere, sed neque posse esse materiam confessionis peccata dubia.

Examinemus illa. Prima ratio est, confessionis tribunal est analogum tribunali forensi, & litigioso; atqui in tribunali forensi hæc accusationes, appello de latrocinio Sortem, quia dubito, an furatus fuerit; Ambrosium, quia fortè furatus est, tamen si nullus testis id asserat; Anselmum, quia est vnum indicium leue, & huiusmodi aliæ, admitti non debent: ergo nec in Tribunali confessionis.

Sed hoc argumento probatur, non deberi à confessario admitti in confessione peccata dubia; nam si in hoc conuenit cum tribunali forensi tribunal confessionis, non poterit pœnitens de illis se accusare, sicut nemo potest accusare alium in tribunali

1.  
*Peccata dubia, ut dubia, certa ut certa, esse cõfittenda, supponunt Antiqui ex Tridentino.*

2.  
*Dubitant recentiores: (inter quos Caram.) peccata dubia liberè dicunt confiteri.*

3.  
*Prima corrupta ratio.*

4.  
*Nimis probat; etenim nec posse peccata dubia*

*confiteri vlllo  
modo suadet.*

forensi : ergo probat nimis argumentum ; quia intentum solùm erat probare non esse pœnitentem obligatum ad confitendum. At probat esse obligatum ad non confitendum peccata dubia. Deinde aduerto minorem falsam esse ; nam adhuc in tribunali forensi possent à iudice excipi illæ accusationes ; imò ferè semper ita excipiuntur : nam sæpè solis coniecturis , sæpè indiciis , sæpè probabilibus rationibus fundatæ accusationes excipiuntur ; homines incarcerantur , & cum dubia res factò examine remanet , absoluuntur ; neque hoc indiget alia probatione maiori , quàm ipsa experientia.

5.  
*Secunda iu-  
niorum ratio.*

Secunda ratio pro sententia negante est. Pœnitenti legitimè confitenti debet confessarius absolutionem impendere ; atqui absolui non potest absolutè , qui confitetur sub dubio v g. si furatus sum , me accuso , & non aliàs : vel scio me furatum fuisse , sed nescio quantum , & si materia grauis est , me accuso , & non aliàs , quia leuem non teneor : vel scio me peccauisse , & nescio an sim confessus ; sed si non sum confessus , me accuso , aliàs non , quia non teneor , bis idem peccatum confiteri : ergo. Minor probatur , quia absolutio absoluta requirit materiam absolutam ; at in his confessionibus non datur materia absoluta : ergo.

6.  
*Idem de ea  
iudicium.*

Hoc argumentum probat non posse ea confiteri ; ex eo enim quod quis non possit absolui absolutè , sequitur non posse confiteri : nam si potest , licèt non teneatur , confiteri peccata dubia ; ergo potest absolui. Vel ergo potest absolutè absolui , quando confitetur peccata dubia , vel non potest. Si primum , falsa est argumentum minor : si secundum , ergo non potest illa confiteri , ita vt sint materia absolutionis ; quia absolutio debet , per te , esse absoluta , & hic dari non potest , per te.

Quod si dicas posse absolui tunc conditionatè , falsa est maior argumenti , nempe pœnitenti legitimè confitenti , debet dari absolutè absolutio. Et per consequens , si potest absolutè dubia aut conditionatè remanere , vel concedi potest & tenetur peccata dubia confiteri pœnitens , vt talem absolutionem obtineat.

7.  
*Tertia ratio.*

Tertia , in nullo forensi tribunali potest quis condemnare pœna aliqua determinata reum , antequam sit conuictus , sententia enim , quæ virum condemnat , quem tueri , & absoluere possit , iniqua est : ergo nec in confessionis tribunali : ergo confitenti crimen

crimen dubium, imponi nequit pœnitentia certa, nec dari absolutio sine conditione. Igitur cum ais, si furatus sum, me accuso, confessarius, si verè furatus es, ego talem impono pœnitentiam, absoluo, &c. Sed quidquid alij clament, hoc est non ferre sententiam, hoc non est reum mulctare, hoc non est reum absoluerè.

Hæc ratio probat & confirmat non posse esse materiam confessionis peccata dubia. Patet, quia vt possit esse materia confessionis, debet posse esse materia absolutionis, & mulctæ aut sententiæ certæ; sed non sunt materia huiusmodi vt argumentum probat; ergo. Deinde probat ratio illa contra Caramuelem, & alios, numquam posse dari absolutionem sub conditione. Primò, quia in nullo Tribunali forensi pro nullo delicto datur sententia conditionata: ergo non solum in hoc casu, sed in nullo, poterit dari conditionata sententia, aut absolutio, quod est falsum. Nam per te moribundū tenetur absoluerè sub conditione, etiamsi nulla certa dederit signa contritionis. Et ego hinc te vrgeo; tenetur confessarius quando confessio est dubia dare sub conditione absolutionem; ergo multo magis poterit eam dare quando confessio est certa, licet materia sit dubia. Deinde potest materia dubia esse materia baptismi: ergo etiam potest ista esse materia absolutionis. At si argumentum valet in confessione, hæc doctrina non habet locum: ergo dicendum est posse in confessione sic confitentem absolui. Ex quo sequitur, quod teneatur si tenetur confiteri. Nam qui tenetur ministrare Sacramentum, tenetur ministrare in materia dubia, si non est alia; ergo qui peccata dubia habet, si aliunde obligetur ad confessionem, tenebitur illa materia dubia vti. Deinde noto, antecedens argumenti probare, non posse reum in tribunali forensi condemnari pœna certa correspondenti grauitati delicti, non tamen non posse aliquem certam pœnam; quia dubium seu suspicio delicti sufficit ad aliquam pœnam. Et tandem licet sit verum non posse condemnari, absolui tamen non est dubium posse: ergo confitens dubia certò poterit absolui: ergo confirmatio nulla est.

Ratio quarta; scrupulosis suaderetur ne confiteantur dubia, & nemo auderet suadere ne confiteantur peccata certa: ergo non est æqualis obligatio; consequentia videtur euidentis. Secunda

8.

*Pari modo  
enunciatur.*

*Moribundum  
teneatur absol-  
uere Sacra-  
dos, sub con-  
ditione, licet  
nulla dederit  
contritionis  
signa, docet  
Caram.*

9.

*Quarta ratio.*

pars antecedentis est omnibus admissa. Prima à pluribus Theologis Layman, Diana, Præposito, & aliis; nunc sic. Omissio peccati certi in nullo casu consulenda est, & omissio dubij scrupulosis consulitur: ergo hæc omissio non militat contra institutionem, & integritatem huius Sacramenti,

IO. *Sophistica est.* Hæc confirmatio est sophistica. Antecedens est falsum; nam scrupulosis non consulitur vt omittant confessionem peccati dubij, supponendo esse peccatum dubium, sed supponendo pro certo non esse peccatum; quia scrupulosi sunt, qui quod non est peccatum faciunt peccatum, aut dubitant an sint confessi peccata certo confessâ.

*Scrupulosi quid circa dubia consulatur.*

Etiam scrupulosis consulitur, vt si dubitent de voti adimptione, illud non adimpleant, vel si dubitat de auditione sacri, aliam Missam non audiat in die præcepti. Et nemo nec Caramuel dicit, eum qui dubitat an audierit sacrum in die festo non teneri sacrum audire: quia præceptum est certa & dubia adimptio. Et ratio est, quia supponitur in scrupulosis sine fundamento aliquo dubium exoriri, & solitos esse dubitare de his rebus, quas certissimum est iam ab illis fuisse peractas; ideoque illis dici solet quod statim ac dubitent, non faciant, vel non adimpleant, quia eo ipso censendum est vt certum, iam ea fecisse, ad quæ obligabantur.

II. Et hic obiter non possum non advertere inconsequentia laborare conclusionem Caramuelis. Nam tres casus ponit, in quibus asserit pœnitentem non teneri confiteri. Primò, qui dubitat de peccati commissione. Secundò, de quantitate. Tertiò, de absolutione. Nam qui certus est de peccati commissione, & dubitat de absolutione, videtur teneri: nam dubitat, vt ponit in exemplo, an fuerit confessus: ergo dubitat an adimpleuerit præceptum, quo non dubitat fuisse obligatum: ergo æquiparatur illi, qui certus de voto, dubitat an satisfecerit voto, vel certus de pœnitentia dubitat an eam impleuerit; ac in his casibus tenetur adimplere: ergo. Minor supponitur à Caramuele. Maior probatur; quia in illo casu peccatum est certum, & præceptum est certum: & peccata certa sunt certò confessioni subiicienda; & dubium est circa præcepti impletionem: ergo non satisfacit præcepto certo dubia confessione; ideo qui dubitat de voti ac de pœnitentiæ adimptione tenetur eam implere; quia voti lex est

certa,

certa, & pœnitentiæ iniunctio, & dubia adimpletio; at hic sic se habet: ergo.

Vnde probo etiam nostram conclusionem: Nam ubi possessio est pro præcepto, debet præceptum adimpleri; at in omnibus illis tribus casibus possessio est pro præcepto: ergo tenetur pœnitens adimplere præceptum. Probo antecedens: nam præceptum confitendi peccata latum est antequam ego incidam in dubium: ergo possidet præceptum ante dubium; at standum est pro possessione præcedente: ergo tenetur confiteri peccata dubia.

Rationes, quas deducit ex Concilio Trid. confirmant assumptum nostrum; sic ex Concilio arguit. Censendum est Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. sufficienter docuisse fideles ea, quæ spectant ad Sacramentum pœnitentiæ; at ibi apertè docet pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habet: ergo & docuit non debere confiteri illa, quorum, post diligentem discussionem, conscientiam non habet; at qui illorum, de quibus dubitat, conscientiam non habet; quia conscientia est scientifica notitia, & dubium scientifica notitia non est. Maior est certa. Minorem probo verbis Concilij asserentis ita: *Constat enim Sacerdotes, &c. Oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recensere, etiam si occultissima illa sint.* Consequentia legitima est.

Eodem argumento vsus probo non solum non debere, sed neque posse illa confiteri. Concilium docuit debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habet: ergo docuit non debere, immodò non posse confiteri ea peccata, quorum conscientiam non habet: nam illa quæ non sunt in conscientia, à pœnitente recenseri non possunt. At peccata dubia per te non sunt in conscientia, ergo recenseri non possunt. Vel sic: Concilium docuit debere confiteri ea quæ sunt in conscientia certa & evidenti. Sed conscientia dubia non est scientia: ergo Concilium non assignavit peccata dubia pro materia confessionis adhuc libera. Atqui quod non est materia non potest adhiberi in aliquo Sacramento: ergo peccata dubia non possunt in Sacramento pro

12.

*Dubitans, in quævis illorū casu confiteri tenetur.*

13.

*Rationes Casuarianæ ex Conc. Trid.*

14.

*Etiam probarent peccata dubia nūquam licitè confiteri.*

materia poni. Vnde sic arguo. Vel Concilium concedit peccata dubia esse materiam aptam, vel non: si primum, non potest dici concessisse quod sint materia voluntaria sed necessaria, quia solum de venialibus hoc decreuit docens posse ea multis mediis remitti quod non dicit de mortalibus dubiis si secundum: ergo non possunt adhiberi, vel ergo sunt materia necessaria, vel nulla: vnde vel tenemur ea recensere, vel non possumus ex vi Decreti Tridentini.

Deinde Concilium absolutè, & sine limitatione docet debere confiteri peccata, quorum conscientiam habet. At sub nomine conscientia, dum aliud non exprimitur, eodem modo venit conscientia certa ac dubia: ergo Concilium comprehendit illo præcepto, vel declaratione conscientiam dubiam. Maior est certa quia nomen conscientia est genericum, & contrahitur à conscientia dubia & certa, sicut genus ab speciebus, & sicut animal ab homine bruto.

15.  
*Insinuatur  
quoddam ef-  
fugium.*

Dices ex subiecta materia colligitur Concilium loqui de conscientia certa. Nam Concilium ideo ait deberi peccatorum numerum & speciem confiteri, quia Sacerdotes iudicium incognita causa exercere non possunt, nec æquitatem seruare in pœnis iniungendis; dubia autem causa, non cognita, sed incognita est. Neque seruari potest æquitas iniungendo certam pœnitentiam pro peccato incerto & indeterminato.

16.  
*Sed occuldi-  
tur statim.*

*Confessio de  
peccato dubio  
non est causa  
incognita.*

Sed contra, verba enim illa: constat autem Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, potius probant peccata dubia debere confiteri. Nam confessio de peccato dubio non est causa incognita, sed cognita, licet materia non sit cognita: cognoscitur enim vt dubia. Nam qui confitetur peccatum dubium, confitetur illud prout habet illud in conscientia. Vnde Confessor certus est de causa, & super peccatum, aut delictum dubium potest fieri causa, & cognosci à iudice, an sit dubia, v. g. dubitatur, an aliquis fuerit occisus violenter, & à quo, iudex audit, & de dubio homicidio causam agit certam; & cognita causa procedit. Itaque causa cognita procedere non implicat etsi materia sit dubia.

17.  
*Confirmatur  
vatis exem-  
plis.*

Quod confirmari potest multis exemplis & doctrinis aduersariotum. Nam materia dubia est, an quis emiserit votum, vel non:

& materia dubia est, an quis adimpleverit votum, vel non; & sub hac materia dubia sententia certa fertur: & causa cognita asseritur in primo casu non teneri voto, teneri verò in secundo: Quia in primo certa est libertas, dubium præceptum; in secundo certum præceptum, dubia adimpletio: ergo sic in nostro casu, quia generale & certum est præceptum omnia peccata quorum habet conscientiam sine restrictione ad dubia, & dubium est de materia. *standum est pro præcepto.*

*† confitenti*

Similiter non proceditur sine recto ordine cum certam sententiam, vel pœnam pro delicto iniungit, nam causa cognita procedit: est enim adhuc in iudicio forensi visitatum reum de causa dubia absolueret, vel aliqua pœna mulctare iuxta materiae capacitatem, vel dubietatem, vel absoluendo eum taliter, ut quamvis postea de delicto pleno constet, non possit iterum ab eo accusari: & hoc non pœna, sed maxima est ipsius delinquentis utilitas: ergo similis rectitudo observari poterit, & cognita causa Confessarius procedit, si ob delictum dubium aliquam non ita gravem pœnitentiam iniungat, præsertim cum hoc ita fiat, ut liber maneat pœnitens tale peccatum iterum confiteri, iuxta probabilem sententiam multorum.

18.

*Recto ordine Sacerdos à delicto dubio absolvit, vel pro eo aliquam pœnam imponit.*

His accedit quod probatio æquè non probat nõ posse tale peccatũ confiteri. Nam si Concilium excludit ab obligatione confitendi peccata dubia, quia Sacerdos incognita causa procederet, nec servare posset æquitatem, at hæc eadem ratio militat, quamvis spontaneè peccata dubia subiiciantur: ergo non poterit illud iudiciũ ferre. Neque enim causa erit magis cognita, aut incognita ex eo quod peccata dubia liberè, vel obligatoriè clavis subiiciantur. At quando iudicium ferri non potest à iudice, frustra subiicitur ei delictum, & quando procedere non potest iudex, non possum ego coràm eo causam agere; ergo.

19.

*Adhuc restatur solutio num. 15. innuata.*

Confirmant nostram sententiam alia, quibus aduersarij suam ex Concilio conformare procurant. Sic aliis periodis utuntur, sess. 14. legitur. *Necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quarere.* Et sanè confessio dubia non videtur posse aperta vocari. Sic Caramuel; & ego sanè si confessio dubia non potest aperta vocari, & necessaria est confessio aperta ad veniam obtinendam, non poterit venia obtineri

20.

*Validatur antiquorum sententia n. r. velata, aliè iuniorum argumentis, qua ipsi ex Concil. nituntur deducere.*

media re.

*Certa est confessio de peccato dubio.*

media confessione dubia. Ad quid ergo peccata dubia liberè posse subici clauibus asseritur, si de illis venia obtineri nequaquam potest. Sed non est dicenda, meo iudicio, confessio dubia, quando peccatum est dubium: potest enim esse confessio certa de peccato dubio. Sicut datur notitia euidens, & certa de peccati dubio, alias nemo posset esse certus de dubio, nec daretur locus quaestioni: dubitamus enim, an qui certus est se dubitare an peccatum commiserit, teneatur illud dicere in confessione sub tali dubio. Itaque cum teneatur dicere se esse in dubio an commiserit tale crimen, & tunc confessio certa est non dubia, licet dubium sit peccatum.

21.

Sed progreditur Concilium. *Itaque dum omnia quae memoria occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia diuina Misericordiae agnoscenda exponunt; qui secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat agrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Sic ex his verbis inferunt primo: ergo tenetur quis confiteri peccata quae occurrunt, nempe post diligentem sui discussionem: dubia autem crimina post discussionem non occurrunt. Secundò; ergo malè confitetur qui scienter peccata retinet, atqui dubia non retinentur scienter, non enim in dubiis datur scientia: ergo.

22.

Ego autem sic discuro, qui non confitetur peccata quae memoriae occurrunt, non confitetur benè. Atqui dubia sub dubio memoriae occurrunt: ergo non confitetur bene qui ea omnia sub dubio non confitetur: ergo sunt materia necessaria. Deinde malè confitetur, qui confitetur peccata, quae memoriae non occurrunt. Atqui per te peccata dubia memoriae non occurrunt: ergo malè confitetur, qui peccata dubia confitetur: ergo non sunt materia adhuc libera: ergo vel non sunt materia apta, vel sunt necessaria materia.

23.

*Confessione sententur inclusa peccata quae non accurrunt memoria.*

Vniuersa quae diximus illustrat haec periodus. *Constat nihil aliud* (nota benè, quia cum nihil aliud dicit clarissimè & vniuersalissimè Concil. loquitur) *in Ecclesia à penitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius sese excusserit, & conscientiae suae sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum, mortaliter offendisse meminerit.*

nerit. Reliqua omnia peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in uniuersum eadem confessione inclusa intelliguntur. Quis ex his verbis cogitaret posse inferri aliud, quam quod peccata dubia sint confitenda eo modo quo memoriae occurrunt; sed audiamus quid inferat Caramuel, qui attentè legi obsecrat; sic inquit: Attentè legar obsecro, nihil aliud constat in Ecclesia à Pœnitentibus exigi inquit Sanct. Concil. illi igitur contradicit, qui aliquid aliud requiri existimat: hæ enim assertiones, nihil aliud à pœnitente exigitur, & aliquid amplius à Pœnitente exigitur, contradictoriæ sunt; cum autem prior expressa sit Concilij, altera sine errore clarissimo teneri non potest. Sufficit igitur quod confiteatur omnia peccata, quibus se Dominum Deum suum mortaliter offendisse meminerit: ergo nemo tenetur confiteri venialia: ergo nec dubia, licet grauius; dubitare enim non est meminisse. Scire est quoddam meminisse dicebat Plato: nullum autem audiuius dubitare, & meminisse confundentem. Sic ille.

Sed ego contra sic philosophor Concil. duo docet. Primum peccata, quorum meminerit debere confiteri. Secundò reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt esse inclusa in confessione: at ex utroque colligitur peccata dubia esse materiam necessariam, vel nullam, ergo. Probo minorem ex primo, peccata, quorum meminit pœnitens debet confiteri: ergo qui hoc negat de aliquo peccato, cuius meminerit, contrarius est Concilio. At peccatorum quæ dubitat meminit: ergo qui negat peccata dubia confiteri debere est Concilio contrarius. Nam dubitare meminisse esse dubitare non licet, occurrit enim memoriae dubium: ergo qui dubitat de peccato, de eo memoriam habet, quamuis dubiam. Dubium enim actus est intellectus, non scientiæ, ergo memoriae, cum sit de præteritis patet, ad memoriam enim peccata etiam dubia reuocantur. Neque Plato aut potius Plautus opponitur; scire enim ait esse quoddam meminisse, non tamen omne meminisse esse scire; aliud est dicere meminisse esse scire, aliud scire esse meminisse; sicut aliud est homo est

li                      quoddam

*Non omne  
meminisse est  
scire.*

quoddam animal aliud animal est quidam homo. Prima est vera. Secunda falsa; nam subiectum est vniuersalius praedicato, datur enim animal, quod non est quidam homo. Datur meminisse, quod non est scire, licet scire sit semper meminisse quoddam; & hunc sensum reddit Platonica locutio. Nam vt Seneca epist. 33. docet aliud est meminisse, aliud scire vnde non omne meminisse est scire.

25.

Ex secundo sic discuro, docet Concilium reliqua peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, inclusa intelligi in ea confessione: negatio est malignantis naturae. At quae sub dubio occurrunt, non potest dici non occurrere: ergo dubia non intelliguntur inclusa, quia aliquo modo occurrunt: ergo debeo illa confiteri; quia nec sub venialibus comprehenduntur, quia sunt materia voluntaria, vt expresse definit Concil. nec de illis potest in vniuersum dici quod memoriae non occurrunt. Occurrit mihi animal, nescio autem an sit homo, vel leo; & quia de specie dubito dici potest mihi non occurrere: ergo si occurrit mihi peccatum à me commissum, dubito autem an fuerit confessum, non occurrere non censendum est. Dubitare enim quoddam occurrere est: nulum enim audiuius scientiam, & occursum confundentem; saepe sapius ais, occurrit difficultas, occurrit dubium, nec statim vt occurrit scientiam habes; neque de hac nobis occurrenti difficultate dubitari potest certo occurrere. Occurrere iunioribus, ais, non occurrere antiquis Theologis: ergo occursum, & scientia distincta sunt. Occurrent memoriae peccata, quae postquam memoriae occurrunt sub dubio militanti quod si velis ea peccata, quae sub dubio occurrunt, censeantur ac si non occurrerint, sicut ea quae nullo modo occurrunt, non possunt esse materia explicita confessionis, peccata dubia non poterunt esse materia explicita. Vnde non poterunt à Pœnitente vt talia confessori aperiri, sed tenebitur ea relinquere, sicut ea, quae nullo modo memoriae occurrunt; quod est contra te. Relinquitur ergo ea esse materiam necessariam confessionis, vel nullam; & cum hoc secundum dici non possit, primum tenendum est.

Vnum,

Vnum, vel alterum, argumentum proponere volo, quo sententia communis solet probari, & solutiones à recentioribus adhibitas refellere, quo firmior, & roborata maneat sententia communis.

26.

Primum sit, quando possessio certa est pro præcepto, & dubium de adimplerione præcepti, obligamur præcepto; sed in casu quo quis certo scit se peccauisse, & dubitat an fuerit confessus, negari non potest possessionem esse pro præcepto: ergo tenetur exprimere tale peccatum in confessione.

*Primum argumentum pro sententia communi n. 1.*

Huic argumento respondet primo Caramuel ex Præposito, maiorem esse veram regulariter, & per se loquendo; per accidens autem, ratione scrupulorum, posse aliquem excusari, ne repetat in confessione peccata, de quibus dubitat. Et addit excusari etiam posse, si dubium exoriat diu post commissum delictum, & persona præmissio examine soleat bonas confessiones instituire.

27.

*Prima solutio Caram.*

Sed si rationem inquirimus, cur hæc à Præposito dicantur non videtur ad propositum responsio. Nam in his, & aliis casibus similibus datur ratio quæ non relinquit confessionem dubiam; in scrupulosis enim, vt dictum est, supponitur dubium esse leue, & rationem pro confessione fortissimam; de eo qui solet bonas confessiones facere, & benè se examinare, quis prudens posset non iudicare peccatum illud, licet nunc ex fragilitate memoriæ obliuiscatur, fuisse confessum: ergo non est ad casum propositum, vbi agimus, quando factò examine nulla adest ratio pro altera parte nec fortior, nec maior.

28.

*Non subsistit.*

Quare ipse Caramuel alia via vult soluere difficultatem: at non soluit, sed tollit casum. Dicit vix esse possibilem casum propositum; adeoque suppositam negari posse: nam qui certò scit se peccatum illud commississe, debet necessariò scire certò aut probabiliter, an sit illud confessus.

29.

*Secunda solutio.*

Si hoc est impossibile, vt quid ab ipso Caram. supponitur, & ponitur in conclusione; ait enim, qui dubitat de peccati absolutione, non tenetur confiteri; & in 1. confirm. scio certò me peccauisse mortaliter, dubitò an tale crimen fuerim

30.

*Ad hominem impugnatur.*

confessus : cumque non teneat bis confiteri eadem peccata non me accuso de illo , si illud confessus sum , si non sum confessus me accuso. Supponit posse fieri talem confessionem , & tunc deberi à confessario dari absolutionem conditionatè : at si casus non est possibilis , non potest dari talis confessio : ergo tollis casum , non soluis argumentum. Neque à Caramuele solui potest : nam maior & minor admittuntur ab ipso in mille casibus & pro fundamento ponuntur in sua Theologia fundamentali ; & illis positis consequentia legitima est.

*Certum de peccato de confessione posse dubitare immerito negat Caram.*

Ratio etiam , qua vult probare casum non esse possibilem illum possibilem esse probat ; ait enim : vel ille qui dubitare asseritur est persona , quæ soleat bonas confessiones facere , vel non. Si primum , datur saltem probabilis ratio quòd confessus tale peccatum fuerit. Si soleat malas , datur ratio , qua probatur non fuisse illum confessum , stante autem ratione probabili excluditur dubium. Unde non potest talis casus dari.

Ex hoc probo possibilem casum , potest enim dari tertia Persona , quæ nonnullas faciat bonas confessiones , & alias malas , potest dari persona , quæ numquam fuerit confessus , potest dari puer qui nullam habeat experientiam , potest quis dubitare an ille à quo confessus fuit fuerit Confessarius , qui quia nullam rationem habet pro assertiva , vel negatiua parte , & tandem do quod casus sit metaphysicus , doctrinam inquiri , & scire volo , quid metaphysicè sit respondendum casui metaphysico.

31.

*Tertia Caram. solutio.*

Cui respondet tandem Caram. in 7. obiectione , hypothefi admissa , non statim obligari ad subiiciendum confessioni peccatum. Durum enim videtur dubitantem de confessione , ad eiusdem peccati certam confessionem statim faciendam obstringere. Cæterum si debeat alia sacramenta recipere , videri durius illi accessum concedere. Tu hoc examina. Quia tamen rationes obligationem confitendi persua-deant , non ostendunt ante articulum mortis teneri. Hæc est solutionis substantia.

Ex qua sic infero : ergo saltem tenetur ad peccatum dubium confitendum in articulo mortis. At si præceptum confitendi non obligat ad peccatum dubium , & Concil. non obligat , non tenetur adhuc in articulo mortis , quia non est materia Sacramenti , saltem necessaria , qua ex ratione neque in articulo mortis tenetur venialia confiteri , ergo.

32.

*Diluitur primo.*

Secundò aliqua ratione obligatur ; at non est maior ratio cur obligetur in articulo mortis , & non , quando est suscepturus alia sacramenta , ergo : Probo minorem : quia quando suscipit alia sacramenta tenetur adhibere omnes diligencias , ne se exponat periculo committendi sacrilegium , non secus ac tenetur ne se exponat periculo damnationis ; ergo.

Secundò impugatur.

Tertiò nos non dicimus , statim ac dubitat teneri , quia etsi certò sciat , se non confessum fuisse tale peccatum , non tenetur statim , sed siue ex præcepto , siue spontaneè illam facere decernat , cum primum confessionem faciat.

Tertio displicet.

Hinc arguo secundò , quando possessio stat pro præcepto , & dubium pro libertate , tenetur quis stare præcepto , at qui cum quis dubitat de gravitate peccati , vel dubitat an commiserit peccatum , possessio stat pro præcepto ; ergo tenetur præcepto. Probatur minor : nam præceptum confitendi incipit v. g. obligare à primo die anni vsque ad vltimum diem eiusdem anni. At tale dubium necessariò est intra aliquem diem eiusdem anni : ergo præsupponitur ante dubium possessio præcepti. Non enim aliter obligat præceptum confitendi intra annum , ac præceptum audiendi sacrum , aut legendi horas canonicas intra diem , vel communicandi ieiunum , vel ieiunandi in die Veneris. At quando dubito an legerim horas canonicas , vel quando dubito an comederim post duodecimam mediæ noctis standum est præcepto non communicandi : ergo cum dubito an aliquod peccatum confessus sim , teneor præcepto confitendi peccatum , si confiteri voluero.

33.

*Secundum argumentum pro communi sententia.*

Confirmatur , quia si dubium esset de præcepti possessione , etiam peccata certa non tenerer confiteri , vt patet in

34.

*Confirmatur.*

eo qui certò scit se comedisse carnes, dubitat tamen an in possessione diei Veneris, & in eo qui dubitat se comedit se, certus autem est quod erat dies antecedens transactus, & non potest communicare: ergo cum certum sit me peccata certa debere confiteri, certum est præceptum esse in possessione, ac dubium supponere obligationem confitendi peccata certa: ergo supponit possessionem præcepti: atque adò standum est pro præcepti possessione.

Si enim dicas ex Caramuele: ex hoc solùm probari, teneri, quando recipiendum est aliquod Sacramentum. Instabo quod ratio Caramuelis, vel probat non teneri, etiam quando instat Sacramenti alterius receptio, vel teneri quotiescumque tenetur aliqua ratione confiteri, non enim dicimus teneri ratione dubij ad confessionem, nam ad istam, nisi aliunde præceptum instet, non tenetur, etiam si peccatum sit certum; sed solùm dicimus teneri ad confitenda peccata dubia, quotiescumque confiteri teneatur, vel velit præceptum confessionis adimplere, ad quod intra annum est obligatus.

35. Tertiò probo à paritate contritionis, homo tenetur conteri de peccato dubio, quoties aliquo titulo obligatur ad contritionem, vel illam vult elicere etiam libere: ergo tenetur confiteri de peccato dubio, quoties aliquo titulo accedit ad confessionem.

*Tertium argumentum pro sententia communis à paritate contritionis.*

*Contritio quoties obligat ferri debet in peccata etiam dubia.*

Nec valet si dicas teneri in articulo mortis, non verò extra. Nam iuxta te non obligatur homo ad contritionem adhuc in articulo mortis, sed sufficit, si atteratur, & confiteatur: ergo dicendum est eodem modo obligari ad confessionem, & attritionem, quo obligatur ad contritionem, inmodò magis obligari ad confessionem. Nam tametsi possit homo in tua sententia adhuc in articulo mortis non conteri, sed substituere loco contritionis attritionem, & confessionem, non potest horum loco solùm conteri, si copiam confessoris habeat: ergo in eo periculo tenetur confiteri de peccato dubio: at si rationes contrariæ aliquid probant, probant etiam hominem non teneri ad

confes

confessionem peccati dubij, quia non potest dari actualis poena, nec certus dolor de peccato dubio, vt ais. Sicut nec certa confessio: ergo. Deinde in tua sententia, est licitum sequi opinionem probabilem in articulo mortis: ergo vel non tenetur in articulo mortis, vel tenetur extra ipsum, si velit confiteri, peccata dubia sub dubio exponere.

Dices sufficere contritionem conditionatam, doleo de peccato, si illud commisi. Bene, sed contra: ergo requiritur confessio conditionata. Nam contritio post institutum sacramentum Pœnitentiæ, & Baptismatis, est votum pœnitentiæ, & ad remissionem peccatorum requiritur ex Concilio Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto, & præsentem confessionem non potest quis solum de peccato conteri & non confiteri: ergo si contritio est conditionata, debet esse votum confessionis conditionatæ: ergo si adest confessor debet conditionatè confiteri peccatum, de quo conditionaliter dolet; nec contritio potest aliquod peccatum remittere, nisi in ordine ad clauas. Quod si dicas cum Præposito, hoc intelligi de peccato certo, non de dubio: de hoc est quaestio: rationem enim petimus cur de peccato dubio non tenemur confiteri, sicut conteri, cum generale præceptum, & sine limitatione, præcipiat omnia peccata clauibus subiici; nec aliter possunt remitti etiam per contritionem, nisi in ordine ad confessionem; quæ substituta cum sit loco contritionis, sitque medium æquè necessarium, ac ipsa contritio erat ante eius institutionem, teneamur adhuc post pœnitentiam institutam conteri de peccato dubio, non verò illud confiteri. Et quis confessionis virtutem limitaue-rit, vt non extendatur ad remittenda ea peccata, quæ antea per contritionem debebantur. Vel vnde nobis constet esse præceptum contritionis respectu peccati dubij in possessione, & non præceptum confitendi. Si enim ratio valet, æquè est in possessione libertas respectu vnius præcepti, quam alterius, vterque in possessione est.

Si dicas in articulo mortis teneri ratione periculi mor-

36.

*Saltem conditionatè.  
Contritio est votum pœnitentiæ, nec peccata remittit sine ordine ad clauas.*

37.

tis

*Ocluditur  
aliud effi-  
gium.*

is æternæ incurrendæ, quod ius ipsum naturæ præcipit euitare, ideoque tenetur homo suam salutem tutam reddere. Contra, quia non reddit tutam solo contritionis actu, cum dubium sit, an contritio sufficiat de peccato dubio, sicut certum est non sufficere de peccato certo stante copia confessionis: ergo si tenetur tutam reddere suam salutem confitendo peccatum dubium, quia certum est contritionem esse confessionis votum, & stante confessoris copia teneris omnia peccata ei aperire, de quibus debes conteri. Et in dubio debes tutam reddere salutem tuam, non omitendo voluntariè confessionem peccati dubij, ex quo ruit solutio Præpositi.

38.  
*Alia Ca-  
ram. obiectio  
perita ex  
Concilij au-  
thoritate ne-  
gante.*

Obiicies ex Caramuele. Concilium non magis meminit dubij mortalis, quam circumstantiarum aggrauantium, ac proinde sicut arguitur ex Concilio has non esse confitendas, ita nec dubium peccatum: vel discam ubi claudicet hic syllogismus. Ecclesia docet nos benè materiam confessionis; sed quia non dixit circumstantias aggrauantes debere in confessione exponi, probabilius posse omitti dicuntur: ergo etiam probabilius poterunt omitti quæ tamen si certa sunt peccata sunt mortalia minus quam probabiliter, hoc est dubiè. Patet consequentia: quia nec dixit Concilium talia peccata debere in confessione exponi.

39.  
*In arguèntem  
retorquetur.*

Respondeo retorquendo argumentum, Concilium non clarè dixit numerum peccatorum esse confitendum; solum enim ait, peccata singillatim esse confitenda; at illud singillatim, non clarè notat numerum, sed potest referri ad species. At quia clarè non dixit circumstantias aggrauantes esse confitendas est probabilius illas non esse confitendas: ergo quia non expressit numerum peccatorum esse confitendum, erit probabile dicere non esse confitendum.

40.  
*Concilium non  
omnia defini-  
uit, sed ea*

Deinde dico; Concilium clarè docuisse ea quæ necessaria erant ad confessionis institutionem, & ad salutem. Et ea, de quibus orta erat controuersia inter hæreticos;

ea verò vel Catholicè dubitari possent , vel aliunde certa erant omisit. Ideoque dici potest , hoc est certum , non quia Concilium de hoc loquitur , sed quia aliunde iam constabat , nec de eo dubium exortum fuerat , sed ab omnibus Theologis suppositum fuerat peccata dubia vt dubia esse confitenda. Vnde distinguenda est maior ; docet nos ea de quibus orta est controuersia , concedo ; ea de quibus dubitatum non fuerat , transeat quod omiserit ; & inde non fit non esse certa.

*sanctum de quibus con- trouersia erat.*

Quod confirmo hoc exemplo. Concil. Nicænum benè docet nos symbolum fidei : sed omisit articulum descensus ad inferos : ergo potest dici ex Concilio Christum non descendisse ad inferos ; falsissima est consequentia , imò hæretica. Respondet D. Thom. Concilium illum articulum omisisse , quia de eo non erat orta aliqua hæresis ; nec inde sequitur quod non sit æquè certus ac alij.

Præterea dico , differentiam reperiri inter circumstantias aggrauantes , & mutantes speciem , & inter peccata dubia. Nam Concilium loquitur de circumstantiis , exprimendo clarè mutantes speciem debere confiteri ; sub quibus verbis nullo modo comprehenduntur circumstantiæ aggrauantes , atque adeo debent censeri exclusæ. At cum loquitur de mortalibus , non ait esse confitenda omnia peccata certa , quibus verbis etiam censentur exclusa dubia , sed omnia peccata mortalia , quæ memoriæ occurrunt : at peccata mortalia dubia memoriæ occurrunt. Namine enim occur sus memoriæ non intelligitur scientificus actus , vt dictum est supra

41.

*Circumstantia aggrauantes possunt dici clarè à confessionis necessitate per Concil. exclusa , non item peccata dubia.*

Confirmo solutionem & doctrinam nostram , quia Concil. clarè circumstantias mutantes speciem docet debere confiteri , censemus non obligasse ad circumstantias aggrauantes. At Concil. solum excludit ab obligatione confitendi venialia : ergo voluit obligare ad mortalia dubia , ex trita regula , quod exceptio firmat regulam in contrarium.

Dices , peccata dubia esse reputanda venialia , sed vnde

42.

K k hoc

Peccata dubia non sunt censenda venialia.

hoc colligis. Sequitur enim non posse dari peccata mortalia dubia, quod ipsa luce meridiana apparet clarius. Deinde ad minus sequeretur, quod cum scio me peccasse mortaliter, & dubito an sim confessus, debeam confiteri, quod supra etiam negabas. Relinquitur ergo peccata mortalia dubia esse in confessione aperienda ex necessitate integritatis confessionis.

Laus DEO B. V. MARIÆ & S. P. N.  
Philippo Neri.





# I N D E X

## R E R V M E T V E R B O R V M .

### A

- A**BBATIS historia contra Lugonem adducta à Caramuele. quæst. 9 num. 2. sed retunditur. n. 4.
- Abrahæ filicidium indicitur à Deo sine dispensatione. q. 2. n. 38.
- Absolutio peccati dubij ritè fit à Sacerdote. q. 12. n. 18.
- Absurda impossibilia si assereretur fornicationem non esse malam intrinsecè. q. 3. n. 17.
- Absolutio absoluta potest dari confitenti peccata dubia. q. 12. n. 5. 6. 8. & 9.
- Absolvere moribundum tenetur confessor, etsi nulla dederit signa. q. 12. n. 8.
- Accidentalis distinctio sufficit, ut vna pars sit obiectum præcepti & non alia. q. 7. n. 25. & 26.
- Accusatori falso potest reus imponere falsum crimen. q. 11. n. 12.
- Vnica actione posse satisfieri duobus præceptis, certum est. q. 10. num. 1.
- Hoc non est ita generaliter ibid.
- Actio vnica pro duabus præcepti partibus an sufficiat. quæst. 10. num. 4.
- Actio externa exprimenda necessariò in confessione. quæst. 6. num. 46.
- Actiones quæ contra decalogum militant sunt malæ ante omnem legem humanam, an ante omnem diuinam. q. 1. n. 2.
- Actus externi requisiti ad ponendum actum præcepti sunt indi-

## *Index Rerum,*

- rectè præcepti q.7. num.19.  
Actus inualidus in vna specie, non remanet validus in alia. q.8.  
n.30. & 31.  
Adulter violat duo præcepta & quæ. q.5. n.34.  
Adulterij malitia communis & specialis intra genus luxuriæ. q.5.  
num.20.  
in Albedine non est separabilis ratio albi, à ratione disgregatiui  
visus. q.9. n.21.  
Angeli locutio ad virginem malè adducitur. q.5. n.53.  
Anima rationalis non est lex naturalis. q.1. n.25.  
Argumentum quod ridiculum videretur Caramueli ab eodem  
proponitur. q.2. n.28.  
Attentio interna quomodo requiratur ad officium diuinum le-  
gendum. q.7. n.17.  
Attentio cum Sacramento sine ordine ad contritionem remittit  
peccata. q.2. n.19.  
Axioma certum quædam esse mala quia prohibita, quædam  
prohibita, quia mala. q.1. n.1.

## B

- B**ernardi verba omiffa à Caramuele. q.2. n.66.  
Bernardus non tractat quæstionem de dispensatione legis  
diuinæ ex professo, sed occasione legis Cisterciensis. q.1. n.57.  
Bernardus non potest adduci ad sententiam Caramuelis. q.2.  
§.10 per totum.  
Bernardus clarè negat Deum posse dispensare in prima tabula.  
q.2. n.71. & deinceps.  
Bernardus non intelligitur de sola dispensatione contraria. q.2.  
num.72.  
Bernardus Caramueli aduersatur, licèt de sola contraria intelli-  
gatur. ibid.  
Bestialitas cum diuersis brutis non distinguitur specie. quæst 5.  
num.38.  
Bona animæ sunt præferenda bonis corporis, ex Augustino. q.3.  
n.31.  
Vnus actus potest gaudere pluribus Bonitatibus moralibus. q.6.  
n.7. Gradus

- G**Radus caloris qua ratione opponatur frigiditati. q. 3. n. 42.
- G**Caramuelis conclusiones ex doctrina Bernardi. quæst. 2. num. 59.
- Caramuel asserit ignorare Thomam & Scotum, qui legem naturalem à positiva distinguunt q. 1. n. 1.
- Caramuelis Paraphasis ad locum Pauli. q. 1. n. 29.
- Caramuelis solutio ad argumenta probantia eas distingui. q. 1. num. 38.
- Caramuelis sententia differt à nostra circa legis dispensationem. q. 2. n. 35.
- Caramuel idem sentit esse ius naturale ac positivum. q. 1. n. 3.
- Caramuel dissentit Scotistis, & Thomistis consentit. quæst. 1. num. 9.
- Caramuel quomodo prober legem naturalem esse liberam. q. 1. num. 39 & 40.
- Cardinalis celebrans ante mediam noctem Natalis Domini in quo dispensetur à Papa. q. 10. n. 25.
- Quid possit facere circa officium & Missam ab illa hora. q. 10. n. 30. & 31.
- Carnium abstinentia quo fine indicatur ab Ecclesia q. 8. n. 22.
- Carnes qui in Sabbato comedit putans esse Dominicam non potest postea velle illas comedere in Sabbato. q. 9. n. 8.
- Castitatem non admittit qui patitur violentiam. q. 3. n. 31.
- Pro castitate vita corporis fundenda est. q. 3. n. 31.
- Causæ irritantes contractum non sunt omnibus contractibus communes. q. 8. n. 32. & 41.
- Causa per accidens eundem effectum causat per accidens quem causa per se causat per se. q. 7. n. 9.
- Christus quomodo habuit duas voluntates apud discipulos manendi in Emaus & transeundi. q. 9. n. 28.
- Christus non dispensavit in lege Decalogi sed eam perfecit. q. 2. num. 19.
- Christus non dispensavit in Decalogo provt lex naturalis est. q. 2. n. 10.
- Circumcisio qua ratione censeatur abrogata. q. 2. n. 36.

## *Index Rerum*

- Circumstantias aggrauantes esse confitendas docet Suarez. q.6.  
num 3.  
Non esse confitendas docet Vasquez. *ibid.*  
Ex vtraque sententia vnā conficiunt iuniores. q.6. n 5.  
Circumstantiæ mutantes speciem non esse confitendas infertur  
ex doctrina tradita à Caramuelè. q.6. n 1.  
Esset hæreticum hoc affirmare. q.6. n 31, 32. & 33.  
Circumstantiæ aggrauantes non sunt inclusæ à Concilio secus  
peccata dubia q.11. n 41.  
Circumstantias aggrauantes non tenemur confiteri. q.5. n.50.  
Coitus cum Dæmone peccatum contra naturam specie distin-  
ctum à cæteris. q.5. n 32.  
Cur pro collatiuncula possunt comedi res specie diuersæ. q.7.  
num. 28.  
Comestio capitis an reddat licitam comestionem cæterarum  
partium animalis. q.7.n.27.  
Communione vnica non potest satisfieri duorum annorum præ-  
cepto q.10. n.6.  
Communions præceptum non esse alligatum tempori Pascha-  
li, sed contrarium est verius. q.9. n.6.  
Communitas vnum corpus & vna lingua est. q.10. n 46. & 49.  
Conclusiones auctoris ex Doctrina Bernardi. q.2. n.59. & 60.  
& deinceps.  
Commutare & dispensare non esse idem. q.2. n 18.  
Confessione vnica posse satisfieri duobus annis discutitur. q.10.  
num 2.  
Inter præcepta confessionis & comunions est differentia.  
q.10. n 3  
Concilium Tridentinum vult omnia peccata quæ memoriæ oc-  
currunt confiteri, & dubia occurrunt memoriæ. q. 2. n. 10.  
& 21.  
Concilia non omnia definiunt, sed ea de quibus est controuersia.  
q.12. n.40.  
Quod est probabile, est tutum in conscientia. q.5.n.50.  
Confessio peccati dubij non est causa incognita. q.12. num.16.  
& 17.  
Confessio certa est de peccato dubio. *ibid.*

## 65 Verborum.

Confessione censentur inclusa peccata quæ non occurrunt. q. 12. num. 23.

ad Confessionem obligatur dubius de peccato si Sacramentum accipere debeat. q. 12. n. 32.

Item in articulo mortis. ibid.

qui Confessus est hoc anno si postea labitur in peccatum non tenetur iterum confiteri. q. 10. n. 22.

Quid si tantum confessus fuit venialia. ibi.

Confessionis annus quàm variè computetur à Doctoribus. q. 10. num. 7.

Vnicam posse deseruire pro duobus annis est probabile. q. 10. num. 9. 10.

Imò pro decem & pro pluribus. ibid.

Idem de confessione menstrua & de communione. q. 10. n. 11.

Coniunctio quid propriè importet. q. 5. n. 45.

Coniugatus potest incipere actum manibus vxoris. q. 5. n. 47.

Quid si cum masculino vel bruto. ibid.

Consensus interni non subduntur potestati Ecclesiæ q. 7. n. 19.

Consilia non transeunt in præcepta. q. 3. n. 45.

qui Contractum inuit merè probabilem si cessit iuri suo tenetur illi, aliàs non. q. 9. n. 3.

Contractum quæ mutatio rescindat. q. 8. 32.

Contractus quando intelligitur rescindi à contrahente si præiudicet quæ non vidit. q. 8. n. 27.

Contritio conditionata si requiritur de peccato dubio, etiam confessio. q. 12. n. 36.

Contritus homo tenetur confiteri de peccato dubio. q. 12. n. 35.

Contritio est votum confessionis, nec peccata remittit sine ordine ad claves. q. 12. n. 36.

In articulo mortis cur debeat homo conteri de peccato dubio. q. 12. n. 37.

Contritionis lex non dispensatur à Deo. q. 2. n. 18. 19. & 20.

Contritio non est debitum iuris naturæ, sed iuris supernaturalis. q. 2. n. 20.

Contritio naturaliter elicita non sufficit ad remissionem peccati. q. 2. n. 20.

Contritio supernaturalis an ex natura rei tollat peccatum non est certum. q. 2. n. 20.

Contri

*Index Rerum,*

Contritio non tollit peccatum sine ordine ad confessionem. q. 2.  
num. 19.

Contritione vel confessione pro libito nemo potest uti. quaest. 2.  
n. 19.

**D**

**D**electatio venerea opponitur bono animæ, cui cedere debet  
vita corporea. q. 3 n 31.

Eius vehemens malitia. q. 3. n. 35.

Delectatio venerea repugnat statui beatifico q. 3 D. 25.

Descensus ad inferos cur non sit expressus in symbolo Nicæno.  
q. 12. n. 40.

Delirium iudicat Caramuel inquirere an dentur mala quia op-  
posita legi naturali independeter à positiva. q. 1. n. 2.

Desiderium nocendi proximo est intrinsecè malum. q. 2. n. 56.

Deum posse dispensare in quarto præcepto supponit, non probat  
Caramuel. q. 2. n. 27.

Deus non dispensavit in tertio præcepto Decalogi. q. 2. n. 26.

Deo præcipiente homicidium potest esse peccatum si fiat cum  
odio q. 2. n. 43.

Deus an possit præcipere Petro vt se mori sinat & non Paulo &  
quomodo q. 2 n. 37.

Deo concedente alicui vt auferat alteri aliquid hic non est ratio-  
nabiliter inuitus. q. 2 n. 51.

Deo repugnat innocentem punire q. 3. n. 22.

Deo repugnat esse crudelem & immisericordem. q. 3. n. 16.

Deus essentialissime bonus physice & moraliter. ibid.

Deus non potest dispensare in octavo præcepto nec in cæteris  
probat ex doctrina Caramuelis q. 2 n 54.

Deum posse dispensare in mendacio nemo dixit. q. 3. n. 49.

Nunquam dispensavit in fornicatione. q. 3. n. 50.

Nihil præcipit contra ordinem naturæ. q. 3. n. 29.

Au comprehenderit Abraham quinto præcepto q. 2. num. 42.  
& 43

Non dispensavit Deus in idololatria q. 2 n. 3 & deinceps.

Non dispensavit Deus in septimo præcepto in Israëlitis expo-  
sulantibus Ægyptios. q. 2. n. 50.

Deus non dispensavit in lege contritionis q. 2. n. 17.

## *Et Verborum.*

Deo liberum est creare hominem, sed non est liberum creare illum sine anima & corpore. q. 2. in fine.

Deus non potest facere ut quis se infamet & quomodo. q. 2. n. 55.

Deus potest præcipere quæ potest consulere. q. 2. n. 53.

Si Deus posset dispensare in mendacio ex multis scripturæ testimoniis posset probari. q. 2. n. 53.

Diana & alij distinguentes legem naturalem à positiva non sunt audiendi q. 1. n. 37.

Dies natalis Domini incipit Romæ duabus horis ante mediam noctem non quoad omnia. q. 10. n. 29 & 30.

Dies licet pro vna actione censetur inceptus non pro aliis. q. 10. n. 27. 28.

Qui potest recitare pro die sequenti non ideo potest audire sacrum. ibid.

Didacus Alvarez docet nullum dari peccatum nisi ex lege naturali vel æterna q. 1. n. 10.

Dies Sabbati non obligabat Iudæos ad non præliandum sicut nec nos dies Dominica c. 2. n. 26.

Dispensatio quid iuxta Caramuelem. q. 2. n. 19.

Quid nomine dispensationis Bernardus intelligat. n. 65.

Dispensans in aliis non ideo dispensare secum potest q. 3. n. 48.

Dispensatione data in lege contritionis non ideo daretur in lege naturæ q. 2. n. 20.

Dispensatio in secundo præcepto probatur à Caramuele. quæst. 2. n. 21.

Dispensare in lege naturali Deum posse generaliter affirmat Caramuel. q. 2. n. 1.

Dispensationem non petiit Naaman ab Elisæo. q. 2. n. 7.

Dispensatio non colligitur ex facto Prophetæ q. 2. n. 44.

Dispensare non potest Deus contrarie in lege naturali. q. 2. n. 34.

Dispensavit ne Deus in sexto præcepto? q. 2. n. 45.

Non dispensat homo in voto manentibus eisdem circumstantiis. q. 2. n. 24.

Dispensationis triplex modus q. 2. n. 1.

Dispensare in præceptis primæ tabulæ an Deus possit. q. 2. n. 2.

Dispensatio non probatur ex verbis Naaman sed veniæ petitio q. 2. n. 9.

## *Index Rerum,*

Dispensatio Pontificis in die vigiliæ Natalis Domini quomodo intelligatur q 10 n. 33.

Dispensare non possunt homines in lege Dei. q 2 n. 22.

Dispensatus potest non vti dispensatione. q. 2 n. 19.

Distinctio legis naturalis à positiua probatur ex thesibus à Caramuele pro se adductis. q. 1 n. 21 & deinceps.

Distinctio specifica difficile probatur. q. 5 n. 4.

Vnde colligatur n. 5. & 6.

Qui cum solo diurnali nauim ascendit tenetur recitare nec potest mutare dictamen q 9. n. 27 & 28.

Duellum ex occulto respiciens non incurrit censuram contra spectatores latam. q. 7. n. 6.

### E

**E**Cclesia præcipiens ieiunium compræcipit non mutare dictamen ad euadendum præceptum. q. 9 n. 10 & 11.

Error certus dat ius ad mutandum opinionem seu dictamen q. 9. n. 18.

Secus error probabilis. n. 19. & 20.

### F

**F**elice Scotista docet legem naturalem à positiua distingui. q. 1 n. 16.

Filliucij argumentum circa specificam distinctionem peccatorum contra naturam soluitur. q. 5. n. 45.

Finis ratio formalis legis q 8 n. 1.

Fine cessante siue in communi siue in particulari cessat lex ibid.

Finis legis quando cessat contrarie. q 8. n. 3.

Finis intrinsecus quis. q. 8. n. 5.

Finis extrinsecus quis. n. 6.

Circa finis & legis cessationem tres sententiæ concordantur. num. 7.

Finis prohibitionis librorum cessat in Germania contrariè. q. 8. num. 11.

Finis legis prohibentis carniū comestionem non est quem supponit Caramuel. q. 8. n. 22.

## ¶ Verborum.

Fornicatio simplex est mala quia opponitur castitati non vero  
matrimonium-q. 3.n.42.

Eius malitia probatur à paritate mendacij q. 3.n. 47.

Essè intrinsecè malam probatur à ratione. q. 3.n. 35.

Fornicatio habet species subalternas. q. 5 n. 34.

Fornicationem esse licitam pro vita tuenda videtur inferri ex  
doctrina Caramuelis, quod ipse fatetur esse delirium. q. 3. n. 23.

Essè intrinsecè malam Augustinus clarè docet. q. 3. n. 7.

Idem docet sanctus Thomas. q. 3. n. 8.

Ratio sancti Thomæ impugnatur à Caramuele. q. 3. n. 9.

Fornicationem non esse malam probari posse in via Scoti si va-  
leret argumentum Caramuelis. q. 3. n. 11.

Fornicationis duplex malitia. q. 3. n. 12.

Fornicationem non esse malam intrinsecè dicere, plura parit ab-  
surda. q. 3. n. 13.

Fornicatio simplex est intrinsecè mala. q. 3. n. 1.

Contrarium assumitur probandum à Caramuele, eius ratio-  
nes dissoluuntur. ibid & inde fusè.

Fornicatio quamvis esset bona concumbentibus esset mala in se.  
q. 3. n. 3.

Fornicatio si solum esset mala quia insalutifera vel nociua proli  
non esset prohibita 6. præcepto. q. 3. n. 4.

Fornicatio leuiter insalubris est grauius mala. q. 3. n. 5. & 6.

Fornicationem & alia venerea fere eisdem verbis Sancti Patres  
abhorrent. q. 3. n. 7.

Furtum quid. q. 2 n. 51

à Furto excusantur Israëlitæ pluribus de causis. q. 2. n. 50.

Furtum non distinguitur specie licet materiæ distinguantur  
specie q. 5 n. 44.

## G

**G**ehu interficiens Achab ex Dei mandato cur punitur. q. 3.  
num. 22.

Genus humanum propagare sine matrimonio non licet. q. 3.  
in fine

Generationem impedire non est de linea luxuriæ sed iniustitiæ  
L. 2. vel

## Index Rerum;

- vel impietatis. q. 5 n. 33. & 34.  
Gula est peccatum mortale quia dilectioni Dei opponitur. q. 3.  
num. 36.  
Gulæ peccatum reducitur ad tertium præceptum. q. 3. n. 37.

### H

- H**æreticorum libri Grammaticæ & Rhetoricæ pleni sunt er-  
roribus. q. 8. n. 13.  
an in Hispania sit licitum libros prohibitos legere. q. 8. n. 12.  
An liceat in ea Sabbato comedere carnes præter spolia. q. 7.  
n. 23. 24. & 25.  
Homicidium indirectè volitum non prohibetur quinto præcepto.  
q. 3. n. 55.  
Homicidium sine causa interdicitur quinto præcepto. quæst. 3.  
num. 22.  
Homicidium cum odio non potest esse bonum adhuc diuinitus.  
q. 3. num. 12.  
Homicidium ex odio prohibetur quinto præcepto. q. 2. n. 75.  
Horologium facit opinionem probabilem si sit bene governa-  
tatum. q. 9. n. 9.  
Primo audito quid possit Petrus facere. q. 9. n. 17.

### I

- V**No ictu plures vulnerare an sit multiplex peccatum.  
q. 6. n. 8. 9 & 10.  
Qui in die Ieiunij comedit materiam quæ in vna opinione  
est parua non potest postea sequi illam quæ dicit esse gra-  
uem vt soluatur ieiunium. q. 9. n. 35.  
Ieiunij die potest quis aliquid manducare in loco vbi obligat si  
profecturus est ad locum vbi non obligat. q. 9. n. 24.  
Ieiunij finis. q. 8. n. 22.  
Ieiunium vnus diei non potest dici materia leuis. ibid.  
Ieiunio an deobligentur qui aliquid faciunt cum eo incompossi-  
bile. q. 7. n. 30.  
Inclinatio Naaman idolo puræ materialis permitti potuit fieri  
sine idololatria. q. 2. n. 8.

- Inconuenientia actiue resultantia ex aliqua opinione reddunt illam falsam. q. 8. n. 42.
- Infamare aliquem se ipsum an Deus possit præcipere. q. 2. n. 55.
- Indirectè præcepta quæ censeantur. q. 7. n. 1.
- Incestus non distinguitur specie ratione graduum probabile. q. 5. n. 52.
- Vnus impetus luxuriæ qualis censeatur. q. 6. n. 9.
- Impetu vno quando comittantur plura peccata. q. 6. n. 12. 13. vsque ad 24.
- Innocentium excidium prohibetur quinto præcepto.
- Inquisitionis tribunal potest punire legentes libros prohibitos in foro externo etsi licite in interno illos legant. q. 8. n. 16.
- Interdictum ciuitatis comprehendit suburbium. q. 9. n. 10.
- Inuasus occidens inuasorem pro vita tuenda non peccat sed vtitur suo iure. q. 3. n. 55.
- Inuitus immerito virtualiter est non inuitus. q. 2. n. 51.

L

- L**atria conuenit cum Dulia, Hyperdulia & politica in aliqua actione. q. 2. n. 10.
- Defessus labore an teneatur ad ieiunium. q. 7. n. 32. & 33.
- Laici nomine quis intelligatur. q. 8. n. 20.
- Laico docto cur conceditur disputatio cum hæretico & viro docto non conceditur lectio librorum prohibitorum. q. 8. n. 19. & 20.
- Laicus doctus an possit disputare de rebus fidei cum hæretico. q. 8. n. 18.
- Laude digni non sunt omnes qui se gladio tradunt. q. 2. n. 43.
- Lex naturalis dupliciter consideranda. q. 2. n. 32.
- Lex naturalis nobilius præceptum præfert minus nobili. q. 3. num. 22.
- Lex præcipit indirectè ea sine quibus stare non potest. q. 9. n. 10.
- Lex naturalis iubet seruare ordinem inter parentes. q. 2. n. 33.
- Lex naturalis semper manet illæsa. q. 2. n. 5.
- Lex naturæ est Deo necessaria & indispensabilis. ibid.
- Lex naturalis dicitur recta ratio. q. 2. n. 31.
- Lex vetus non respiciebat actus internos quomodo. q. 2. n. 56.

## Index Rerum,

- Lex à Deo dispensabilis & indispensabilis quæ. q. 1. n. 19.  
Leges etiam diuinæ non sunt æquales & duabus concurrentibus  
nobilior obtinet. q. 2. n. 76.  
Legem naturalem esse naturam humanam sententia Vasquez.  
q. 1. n. 27.  
Legem naturalem esse dictamen rationis. q. 1. n. 25.  
Legem naturalem esse actum liberum Dei non fuit mens Theo-  
logorum. q. 1. n. 29.  
Legem naturalem à positua distingui colligitur ex Paulo. q. 1.  
n. 26. & deinceps.  
ad Legis determinationem non attenditur quod contingit in ali-  
quo casu particulari. q. 8. n. 3.  
Legislator non explicat finem quo mouetur semper, sed relinquit  
hoc Doctorum iudicio. q. 8. n. 8.  
Libri quo fine interdicanur. q. 8. n. 9.  
Libri permissio cum nota Auctoris an sit plus dedecoris. quæst. 8.  
n. 18. & 21.  
circa Librorum prohibitionem sententiam Dianæ refutat Cara-  
muel. q. 8. n. 10. sed non contrariatur Dianæ. n. 11.  
Librorum prohibitorum lectio asseritur eodem modo à Diana &  
Caramuel. q. 8. n. 17.  
Mutatione loci potest quis euadere ieiunij præceptum. q. 7. n. 31.  
cur non mutatione officij. ibid.  
Locum mutatione eximitur quis à præcepto. quæst. 9. num. 22. 23  
& 24.  
Intra genus Luxuriæ dari peccata specie distincta certum.  
q. 5. n. 7.  
Naturalia inter se & à contranaturalibus specie differunt.  
ibid.

## M

- M**Ahometani ponunt Beatitudinem in deliciis carnis. q. 4.  
num. 11.  
Errant illusi à Diabolo, in filiorum educatione, spurios præfe-  
runt legitimis. ibid.  
Mala sunt aliqua quia legi naturali opposita. q. 1. n. 17.

## *de Verborum.*

Malitia moralis potest esse multiplex in vno actu tam specificè quam numericè. q. 6. n. 6.

Malitiam euacuat intentio vel minuit. q. 2. n. 68.

Malitia moralis intrinseca colligitur ex intrinseca oppositione cum castitate. q. 3. n. 39.

Malitiam moralem non consistere in oppositione cum virtute probat Ouiedo q. 3. n. 40.

Eodem argumento probatur non consistere in oppositione cum natura rationali. q. 3. n. 41.

Malitiam moralem quam variè Theologi explicent. quæst. 3. num. 46.

Malitiam maiorem quam vniformiter. ibid.

Malum est quicquid opponitur virtuti positivæ. q. 3. n. 45.

Malum intrinsecè dari probatur. q. 1. n. 30. vsque ad 37.

Malum ex suo genere non potest fieri bonum ex S. Thoma. q. 3. num. 14.

Malum alteri non ideo malum in se. q. 3. n. 3.

Mater grauida potest emittere prolem pro tuenda vita. quæst. 3. num. 32.

Matrimonium est licitum sine dispensatione diuina. q. 3. num. 50. & 52.

Matrimonium in cælo cur cessabit. q. 3. n. 19. 20. & 21.

Matrimonij clandestini lex etiam cessante periculo non cessat. q. 8. n. 23.

de Matrimonio clandestino iudicat Ecclesia. q. 7. n. 19.

Medina docet nullum dari peccatum sine lege. q. 1. n. 11.

Millenariorum error. q. 3. n. 18.

Memoriæ occurrere quid sit. q. 12. n. 25.

Meminisse an sit scire. q. 12. n. 24.

Mendacium si posset Deus præcipere posset moraliter mentiri. q. 2. num. 53.

Mendacium strictè est de lege naturæ. q. 1. n. 15.

Mentiri Deum non posse, & posse dispensare in mendacio. q. 2. num. 53.

An possit qui Missam audire tenetur, occupationem suscipere cum auditione impossibilem. q. 7. n. 34.

in Missa solemnè simul Sacerdos aliud legit quam cantatur à choro. q. 10. n. 48.

## Index Rerum,

- Missæ vnius auditione quomodo satisfiat duorum dierum obligationi. q. 10. n. 25.
- Missam quam in die vigiliæ Natalis Domini celebrat Cardinalis ante mediam noctem an computanda sit pro vigilia an pro die narali. q. 10. n. 27.
- Missam audiens à duobus Sacerdotibus an satisfaciat. quæst. 10. num. 35.
- Quid si à quatuor vel pluribus diuersas partes audiat. *ibid.*
- Quid de Missa solemni. n. 38.
- in Missa attendere plusquam duobus celebrantibus est impossibile. q. 10. n. 45.
- Modus quando censeatur indirectè præceptus. q. 7. n. 12.
- Mollities, an esset mala secluso præcepto. q. 4. n. 1.
- Mollities an impediret Matrimonia. q. 4. n. 2. An esset aliquando obligatoria. n. 3. 4. 5 & 6.
- Mollities vel est mala intrinsecè; vel nullo modo. q. 4. num. 8. & 9.
- Mollitiei vitium pestis totius mundi. q. 5. n. 48.
- Huic malo non succurritur æquiparando eam bestialitati. q. 5. n. 49. & 50.
- Mollis duo præcepta frangit. q. 5. n. 34.
- Mollitiem à fornicatione distingui specie non est magis euidens quam distingui à bestialitate. q. 5. n. 35.
- Mollis non potest æqualiter reprehendi ac sodomita. quæst. 5. num. 54.
- Mutatio materiæ non est dispensatio. q. 2. n. 21. & 32.
- Mutatio contingens post votum solemne Professionis quamuis grauis sit, non retrahit Religiosum ad sæculum. q. 8. n. 36. Idem dicendum de voto castitatis in susceptione sacri Ordinis. *ibid.*
- Mutatio grauis nouiter adueniens si retraheret Religiosum à Religione restitutio rerum ad statum pristinum restitueret eum ad Religionem; sicque nullus esset absolutè Religiosus nec vxoratus. *ibid.*

N

- N**Aaman non petiit dispensationem ab Elisæo. quæst 2. num. 7.  
 Naaman cultum extrinsecum denegabat idolo. q 2. n 6.  
 Naamani actio ex quibus capitibus excusetur. quæst 2 num. 14. & 15 &c.  
 Natura habet ius ad sui propagationem. q 3. n 57.  
 Necessitas seu indispensabilitas triplex. q 2. n. 58.  
 Numerus, species & circumstantiæ mutantes speciem sunt confitendæ. q 6 n. 1.  
 Numerica pluralitas concorditer explicari videtur à Diana & Caramuele q. 6 n. 11.

O

- O**bligandi diuersitas in diuersis præceptis. q. 10. n. 24.  
 Occulta de quibus Ecclesia non iudicat non sunt matrimonia clandestina. q. 7. n. 5.  
 Occultè occidens alium an incurrat irregularitatem. q 7. n. 6.  
 Occulta subiacent potestati Ecclesiæ. q 7. n. 8. 9. & 12.  
 Officium diuinum recitans voluntariè distractus satisfacit. q. 7. num 4.  
 Quid inde inferat Caramuel. ibid.  
 Officium an possit quis suscipere ex quo sequitur ommissio auditionis sacri, ieiunij, &c q. 7. n 38. vsque ad finem.  
 An obligatus ad officium diuinum possit assumere occupationem impediendam eius lectionem. q. 7. n. 37.  
 Officiū recitans si simul sociū audiat satisfacere potest. q. 10. 47.  
 Si esset homo Bilinguis duas horas recitare posset. quæst. 10. num 48.  
 Quid de communitate quæ videtur multilinguis q 10. n. 4.  
 Quid de Scithis qui dicuntur bilingues. q 10 n. 39.  
 Officio diuino an satisfaciatur qui simul recitat & audit à pluribus diuersas partes q. 10. n. 36. & 37.  
 Officio diuino Natalis Domini an possit quis satisfacere Romæ

## *Index Rerum,*

- in illis duabus horis in quibus Papa dispensat cum Cardinali  
vt possit celebrare q. 10. n. 27.
- Cur vnica Missæ auditione satisfaciatur duobus præceptis & non  
vnica officij lectione duobus officiis. q. 10. n. 24.
- Cur vna lectio officij non possit deferri pro duobus diebus &  
vna confessio possit pro duobus & multis annis. q. 10. n. 19. 20.  
& 21.
- Officium diei sequentis quoad horas diurnas non potest legi in  
die antecedenti in Vespere. n. 17.
- Officij recitandi præceptum singulis diebus, singula distincta  
officia petit. q. 10. n. 16.
- Officij diuini vnica lectione an possit satisfieri pro duobus diebus.  
q. 10. n. 13. 14. & 15.
- Officium quoad matutinas potest legi in Vespere antecedente.  
q. 10. n. 12.
- Eodem tempore potest pro die præsentis ibid.
- Vnica officij diuini lectione posse satisfieri duorum dierum obli-  
gationi negatur. q. 10. n. 12.
- An sufficiat in officio diuino semel dicere quæ pluries repe-  
tuntur vt Pater, Ave Maria, Credo, &c. q. 10. n. 41.
- pro Officio feriali qui de sancto recitat probabiliter satisfaciatur.  
q. 9. n. 33.
- pro Officio diuino recitando qui sequitur opinionem asseren-  
tem sufficere diurnale non potest sequi aliam dicentem diur-  
nale non sufficere si non potest habere Breuiarium. quest. 9.  
num. 4.
- Officij diuini pars maior quo modo trahit ad se minorem.  
q. 9. n. 30.
- Qui non potest recitare totum an teneatur ad partem. ibid.
- Sanchezij non fideliter citantur circa hoc. q. 9. n. 30. & 31.
- Officiales tenentur obedire suo superiori probabili, nec possunt  
mutare dictamen. q. 9. n. 26.
- Omissio lectionum cum Responsoriis in officio feriali aut sancti  
simplicis an sit parua materia. q. 9. n. 31 & 32.
- Opinio. Qui nunc sequitur vniam opinionem & postea aliam con-  
tradictoriam neutri se conformat. q. 9. n. 36. & 37.
- Opiniones probabiles contradictoriæ in moralibus semper dan-  
tur. q. 9. n. 1.

- Opinio probabilis quæ. q. 5. n. 24.  
 Opiniones probabiles contradictorias posse sequi docet Caramuel. q. 9. n. 1. & 2.  
 Ex duabus opinionibus probabilibus qui nunc sequitur vnam potest momento sequenti sequi alteram, docet Caramuel. q. 9. n. 2. Refellitur n. 5. n. 35. & 36.  
 Opiniones non debent solum esse probabiles sed comprobabiles. q. 9. n. 5.  
 Ex duabus opinionibus simul sumptis sequuntur hæreses. ibid. n. 6. & 7.  
 Opinio quæ est causa actiua scandali mala est. q. 9. n. 12.  
 Si possent eligi duæ opiniones contradictoriæ præcepta ieiunij, officij legendi & alia corruerent. q. 9. n. 13. & 14.  
 Repugnat habere animum sequendi duas opiniones contrarias. q. 9. n. 25.  
 Ordinariam potestatem fatetur qui delegatam accipit. quæst. 9. num. 16.  
 Oseæ concubitus fornicatio non fuit. q. 3. n. 50.  
 Oseæ factum perpenditur. q. 2. n. 48.  
 Quid in eodem facto nomine mulieris fornicariæ intelligatur. ibid.

P

- P**aradisus Mahometicus. q. 3. n. 18.  
 Circa parentum cultum conciliantur loci sacri textus. q. 2. n. 34.  
 Paritates morales in moralibus dandæ sunt. q. 6. n. 1.  
 Non omne peccatum directè opponitur Decalogi præceptis. q. 3. n. 38.  
 Peccata dubia an in confessione explicanda. q. 12. per totam.  
 Peccata dubia non confiteri suadetur scrupulosis. quæst. 12. n. 9. & 10.  
 Peccasse dubitans vel absolutum fuisse, tenetur confiteri. n. 11. & 12.  
 Peccata dubia non esse confitenda non rectè probatur ex Tridentino. q. 12. n. 13.  
 Potius probatur non posse licitè confiteri si dicatur non debere. q. 12. n. 14.

## *Index Rerum,*

- Peccata dubia exprimuntur à Concilio magis quam circumstantiæ aggrauantes. q. 12 n. 39.
- Peccata dubia non sunt censenda venialia. q. 12. n. 42.
- Peccata non distinguuntur specie ex eo quod militent contra diuersa præcepta q. 5. n. 42.
- Poligamia an iuxta naturam q. 1. 47.
- in Pollutione procurata tactibus alienis non datur proprie coniunctio. q. 5. n. 45.
- Pollutio & bestialitas non conueniunt in hoc quod ex neutro oritur generatio. q. 5. n. 30. & 31.
- Pollutionis Patronos male vocat Caramuel distinguentes eam specie à sodomia. q. 5. n. 2. & 53.
- Pollutionem aliquando fore licitam non probatur. q. 3. n. 24.
- Pollutio non est mala ex eo præcisè quod sit feminis infecunda decisio. q. 3. n. 30.
- Pœnitentiæ tribunal similis forensi & in quibus. q. 17. n. 3.
- Potestas duplex in Ecclesia, obligatoria & punitiua. q. 7. n. 14.
- Possessio si stat pro præcepto & non pro libertate tenemur præcepto. q. 12. n. 33. & 34.
- Possessio pro præcepto stat in peccatis dubiis. q. 12. n. 26. 27. & deinceps.
- Præceptum quartum non dispensatur à Deo q. 2. n. 33.
- quinto Præcepto quid prohibeatur q. 2. n. 42 & 43.
- Præcepta primæ tabulæ præferenda sunt præceptis secundæ q. 2. n. 41.
- Præcepta secundæ tabulæ non sunt de lege naturæ strictæ excepto mendacio. q. 1. n. 15.
- Præcepto secundo quid circa vota & iuramenta caueatur. q. 2. num. 25.
- Præcepta primæ tabulæ sunt de lege naturæ strictæ. q. 1. n. 5.
- Præcepta plura quandoque non possunt vna actione non satisfieri. q. 10. n. 43.
- Præceptum nonum & decimum explicantur. q. 2. n. 56.
- Præcepta primæ tabulæ sunt excellentiora præceptis secundæ tabulæ nec potest Deus contrarium facere. q. 2. n. 76.
- Ex duobus Præceptis nobilius obtinet. q. 2. n. 67. sine dispensatione. n. 69.

## ¶ Verborum.

Posito Dei præcepto, potest homo peccare rem præceptam exequendo. *ibid.*

Principium certum Caramueli, sicut in physicis physicè sic in moralibus moraliter philosophandum est. q. 9. n. 5.

Probabilitas duplex intrinseca & extrinseca. q. 5. n. 8.

Propheta qui iussit proximo vt ipsum percuteret, an traditus dominio percutientis. q. 2. n. 39.

Promissio alicuius rei continentis aliam est rei contentæ promissio. q. 8. n. 32.

Eadem propositio ex diuersis motiuis prolata in suo auctore damnatur, in alio permittitur. q. 7. n. 21.

### Q

Qvæstio celebris, An actiones malæ sint malæ quia prohibitæ aliqua lege, an prohibitæ quia malæ. q. 1. n. 2.

### R

IN Raptu & stupro eidem personæ fit iniuria. q. 5. n. 18.

Inter Raptum & stuprum non est major deformitas quam inter pollutionem & bestialitatem. q. 5. n. 27.

Ratio euidens quæ. q. 5. n. 24.

Religiosus non potest diuidere peccatum sacrilegij in duo peccata non exprimendo sacrilegium fuisse in materia castitatis. q. 6. n. 40.

Religiosus an possit reclamare ex eo quod post professionem coronam hæreditauit. q. 8. n. 25.

An sit Interrogandus si hoc præuidisset an professus fuisset. q. 8. n. 34. 35. & 36.

Religio an possit expellere Religiosum professum ex eo quod ei non sit utilis sicut sperabat. q. 8. n. 37.

Reseruatio an inferat distinctionem specificam. q. 5. n. 43.

Respublica occidens homines malos an vtatur dispensatione. q. 3. num. 56.

Restrictionum mentalium assertores sentiunt benè, & malè loquuntur. q. 3. n. 51.

Restrictio mentalis debet esse in mente interrogantis & respondentis. q. 3. n. 51.

## *Index Rerum,*

- Restrictio mentalis vt sit licita circumstantias requirit. *ibid.*  
Restrictiones mentales si negantur non potest reus à mendacio excusari si falsum crimen obiiciat falso accusatori. *quæst. 3. n. 54.*  
Restrictiones dictionum dantur. *q. 11. n. 1.*  
An sint mentales *q. 11. n. 1. & 2.*  
Ad tollendas Restrictiones mentales confingit Caramuel dialectum vrbanam. *q. 11. n. 3.*  
Restrictione opus est vt quis in hac vel illa dialecto loquatur. *q. 11. n. 4.*  
Restrictione indigent æquiuoca. *q. 11. n. 5. 6. & 7.*  
si Restrictiones tollunt societatem humanam etiam dialecto noua tollitur. *q. 11. n. 4.*  
Restrictiones probat Scriptura sacra. *q. 11. n. 13. 14. 15.*  
Restrictionibus mentalibus si tollatur humana societas etiam tollitur multiplicatione voluntatum. *q. 11. n. 16. & 20.*  
Restrictiones sine causa nemo concessit & vsque ad Caramuel omnes illas cum illa concesserunt. *q. 11. n. 21.*  
Reus potest sibi imponere falsum crimen cum restrictione, vt euadat tormenta. *q. 11. n. 11.*  
Reus potest accusatori falso obiicere falsum crimen. *quæst. 3. num. 53.*

### S

- S**acerdos excommunicatus occultus quomodo se gerere debeat. *q. 7. n. 15.*  
Scandalum nemini erat occasio Naaman. *q. 2. n. 111.*  
Scandalum receptum à dato distinguendum. *q. 2. num. 11. & q. 5. num. 53.*  
Scire quomodo dicatur esse meminisse. *q. 12. n. 24.*  
Scotus concedit peccatum independenter à lege positua diuina. *q. 1. n. 14. 15. & deinceps.*  
Scotus distinguit duplicem legem naturalem latam & strictam. *q. 1. n. 3. 4. & 24.*  
Scotistæ in substantia conueniunt cum Thomistis. *ibid.*  
Scotus distinguit legem naturalem à positua. *q. 1. n. 14.*

## *De Verborum.*

Semen quid sit non constat. q.4. n.8.

Scriptura sacra semper benigniori sensu interpretanda. quaest. 2. num.49.

Sensus corporei in caelo sua beatitudine fruuntur. q.3. n.18.

Sodomia cum consanguineo est species distincta. q.5. n.29.

Somnia à distinguentibus legem naturalem à positiua non finguntur. q.2. n.40.

Siluij doctrina defenditur. q.2. n.74.

Eius vinculo tenetur Caramuel. ibid.

Suffragia Sanctorum Patrum non fauent Caramueli. q.1. n.42. 43 & 44.

Subditus qui obedit superiori probabili in vna actione non potest ei negare potestatem in alia. q.9. n.27.

inter Stuprum & raptum non est maior differentia quam inter pollutionem & bestialitatem. q.5. n.27.

## T

**T**Heses à Caramuele adductæ pro sua sententia illi refragantur. q.1. n.18.

Theses in quibus conueniunt Scotistæ cum Thomistis. q.1. n.3. & 4.

Theses Gregorij Martinez. q.1. n.12.

Testes dicto vnus innitentes pro vno reputantur. quaest. 5. num.23.

Sanctus Thomas quomodo dicat violare voluntatem Dei qui eius violat Decalogum. q.1. n.44.

Thomistæ docent nulla lege existente nullum dari peccatum. q.1. n.4. 5. & 6.

Sancti Thomæ verba non citantur fideliter à Caramuele. q.3. num.10.

Sanctus Thomas adulteria verborum horrescit. q.5. n.8.

Eius mens circa distinctionem peccatorum contra naturam. q.5. n.9.

Sanctus Thomas vel ponit distinctionem specificam inter peccata contra naturam, vel eam tollit inter peccata iuxta naturam. q.5. n.13. 14 & 15.

## *Index Rerum,*

- Non solum distinguit vitia iuxta naturam specie ratione oppositionis cum distincta virtute, sed propt castitati opponuntur. q. 5. n. 19. si hoc ita non esset nulla esset quaestio. ibid n. 21.
- Sanctus Thomas non differit de peccatis contra naturam specialiter. q. 5. n. 12. sed hoc non probat ea non distinxisse specie. ibid.
- Traditio Christi à Iuda, à Patre, à se ipso in quo differant. q. 2. num. 41.
- in Tribunali forensi non admittuntur dubiae accusationes q. 12. num. 7.

## V

- V**irtus impeditur à peccato quantum ad statum communem, à minori quantum ad perfectionem. q. 3. n. 42.
- Virtutis minor gradus dicit carentiam maioris, & est assensus ad illum. ibid.
- Violentia fieri aliquid aut sine illa modus accidentalis est. quaest. 5. n. 11.
- Vitia contra naturam non distingui specie caret probabilitate ab intrinseco. q. 5. n. 25.
- Inter ipsa datur notabilis differentia in enormitate. quaest. 5. num. 25.
- inter Vitia contra naturam infimum locum tenet pollutio. q. 5. num. 16.
- Vitia contra naturam diuersis praecipis prohibentur à peccatis iuxta naturam. q. 5. n. 40.
- Si non prohiberentur diuersis praecipis non essent specie distincta ex Caramuele. ibid.
- inter Vitia contra naturam comparata inter se non est minor differentia quam inter vitia iuxta naturam inter se comparata. q. 5. n. 28.
- Illorum distinctio specifica ex horum distinctione colligitur. q. 5. n. 24.
- Vitij nomine habitus intelligitur. q. 5. n. 17.
- Vitia contra naturam distingui specie inter se probatur lex Sancto Thoma. q. 5. n. 2. 10. 11. 12. & 13.

## *& Verborum.*

- Item soluendo argumentum in contrarium. quæst. 5. num. 39.  
& 40.  
Hoc asserere non est contra philosophiam vt vult Caramuel.  
q. 5. n. 3.  
Eorum distinctio probatur argumento dialectico. n. 37.  
Vitia contra naturam non differre specie docet Caramuel. q. 5.  
num. 1.  
Vitiis contra naturam numerica distinctio non reuocaret  
iuuenes à pollutione, sed facilem redderet bestialitatem. q. 5.  
num. 51.  
Visibile per se & visibile per accidens quid q. 7. n. 8.  
qui Vnica voluntate vult plures occidere an pluries peccet. q. 6.  
num. 2.  
Votum cadit sub præcepto 2. Decalogi reductiuè. q. 2. n. 23.  
Est lex humana. ibid.  
Voto qui tenetur non potest illud euadere mutando opiniones.  
q. 9. n. 16.  
qui Voto tenetur ad Rosarium recitandum an satisfaciatur dicendo  
semel Pater, & Auc. q. 10. n. 42.  
Votum à se emissum quilibet potest in æquale commutare sine  
dispensatione. q. 2. n. 18.  
Votum posse ab aliquo relaxari non oritur à potestate in votum  
sed in vouentem. ibid. n. 23.  
Votum an distinguatur specie ratione materiæ. q. 6. num. 26. 27.  
& 28.  
Voti materia si non esset exprimenda in confessione neque præ-  
cepti materia deberet exprimi q. 6. n. 35. & 36.  
Votum ponit materiam in ordine virtutis quam intendit non  
secus ac præceptum. q. 6. n. 36.  
inter Votum & periurium est differentia in ordine ad exprimen-  
dam materiam in confessione. q. 6. n. 39.  
Votum ieiunij pro feriis sextis an includat diem Natalis Domini  
incidentem in feriam sextam. q. 8. n. 24.  
Votum castitatis emittens an sit interrogandus quid fecisset si  
præuidisset se non posse illud obseruare. q. 8. n. 25.  
circa Votum ieiunandi feriis sextis ponitur discrimen inter Mo-  
linam & Rodriguez. q. 8. n. 26.

## *Index Rerum & Verborum.*

inter Votum ieiunij & castitatis assignatur disparitas. quæst. 8.  
num. 33.

Votum de re moraliter impossibili non est impossibile. quæst. 8.  
num. 38. & 39.

de Voto solemnij & simplici non est eodem modo philosophan-  
dum. ibid.

Vouens tenetur exprimere materiam voti. q. 6. n. 34.

Non fecus ac præcepti. r. 37. & 38.

qui Vouit solemniter inualidè non remanet obligatus voto sim-  
plici validè. q. 8. n. 28. & 29.


Vtilitas sententiæ non distinguens vitia contra naturam nulla.  
q. 1. n. 48.

Vxoratus non potest diuidere adulterium in fornicationem & in-  
iuriziam in confessione. q. 6. n. 29. & 42.

*F I N I S.*







Signat. Top.

Est. 62

Tell. 1

Nov. 5

BORCA

quarto

Selectas

Morales

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

1757

3763

A-1912